


[illegible]

Iste liber est magistri Bernardi [illegible]

Contenta

Mar. Tullius
- De officiis
- in paradoxis
- De amicicia
- De oratore
- opusculum poggii florentini de miseria condicionis humane
- De finibus bonorum et malorum
- in Tusculanis questionibus

Contra ventositates abominabiles ad caput ascendentes et turbantes [illegible] [illegible] 2 [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] 2 [illegible] [illegible] [illegible] 3 [illegible] [illegible] [illegible] ad pondus [illegible] [illegible] [illegible]

515

N. Inv. 515.

Cicero in de officiis li. 3°.

Hominum hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam quam mors quam paupertas quam dolor quam cetera que possunt aut corpori accidere aut rebus externis

Lucanus in primo

Nulla fides regni sociis omnisque potestas
Impatiens consortis erit nec gentibus ullis
Credite nec longe fatorum exempla petantur
Fraterno primi maduerunt sanguine muri

Item Plato obiit anno 81

[illegible]

Ciceronis Varia opuscula.

Liber Mgri Bernardi Metusch de Nissa

Vendatur et detur pro anima sua pauperibus

Liber mgri Bernardi de Nissa

I

Sermones de corpore Xpi

Sub obligatione de loco
et sub Zodiaco

Loco Salutis ... folio

Urbanus eps servus servorum dei Venerabili fratri -- E

cclia tue . . . Dot apud sedem aplicam constituti supplicacionibus inclinati

cclia qui ut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtinet et prem

diligenter quinque in illa repertus est ydoneus ad ecclesiasticum beneficium

pererit et aliud beneficium ecclesiasticum non obtineat aliudque canonicum

cialibus assignari huiusmodi in ecclia Cathedrali non existat cuius fr

marcharum argenti secundum taxacionem decime si taxatum fuerit vel

obtinet bona [illegible] non est

lorem annuum non excedant ad collacionem vel presentacionem dilector

cracionem vacat ad presens vel cum vacaverit quod idem clericus ins

tandum auctoritate nra providere procures inducens per te vel

inductum ac faciens ipsi ad illud etiam si Canonicatus et prebenda fu

et obvencionibus universis integre respondere Contradictores per censu

nibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis

[illegible] etiam si per eas ad inhibicionem reservacionem

nra huiusmodi beneficia expectantibus in eiusdem beneficii assecucione

aliorum premunitionum generari Seu si eisdem Capitulo vel quibusvis ali

alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdicta suspen

presentacionem communiter vel separatim spectantibus nulli valeat

de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulg

ssam vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat quomod

cialis Volumus autem quod si tu presentes litteras non poteris per

Abbates -- -- litteras ipas ac omnia et singula in eis c

nore presencium mandatum damus et etiam potestatem Et ins

presencium et processuum per eos habitorum eis factum ins post

quoquomodo presumant districtius inhibemus decernentes irrit

contigerit attemptari Dat Rome apud Sanctum

Prefatio generalis in libros omnes

Marci Tulii Ciceronis arpinatis consulisque romani ac oratoris maximi ad M. Tulium C. filium suum officiorum lib' incipit

Quamquam te marce fili annum iam audientem cratippum idque athenis, abundare oportet preceptis institutisque philosophie propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alterum te scientia augere potest, altera exemplis, tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum grecis latina coniunxi. Neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, id tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos ut videmur, magnum adiumentum attulimus hominibus nostris, ut non modo grecarum litterarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos, et ad dicendum et ad iudicandum. Quaobrem disces tu quidem a principe huius etatis philosophorum, et disces quamdiu voles, tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non penitebit. Sed tamen nostra legens, non multum a peripatheticis dissidentia, quoniam utrique socratici et platonici volumus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio. Nichil enim impedio. Orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio etatem consumpsimus, si id michi assumo, videor id meo iure quodammodo vendicare. Quamobrem magnopere te hortor mi cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros qui se iam illis fere equarunt, studiose legas. Vis enim dicendi maior est in illis, sed hoc quoque colendum est, et equabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini grecorum video adhuc contigisse, ut idem utroque in genere laboraret, sequereturque et illud forense genus dicendi et hoc quietum disputandi. Nisi forte demetrius phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus aliorum sit iudicium. Utrumque certe secuti sumus. Equidem et platonem existimo, si genus id forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere. Et demosthenem, si illa que a platone didicerat tenuisset et pronunciare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de arestotele et socrate iudico, quorum uterque suo studio delectatus contempsit alterum. Sed cum statuissem aliquid hoc tempore

Ad te scribere & multa post hac ab eo exordiri volui maxime quod
et etati tue esset aptissimum et auctoritati mee gravissimum. Nam cum multa
sint in philosophia et gravia et utilia accurate copiose a philosophis disputata
latissime patere videntur ea que de officiis tradita ab illis et precepta
sunt. Nulla enim vite pars neque publicis neque privatis neque forensibus
neque domesticis in rebus neque si tecum agas quid neque si cum
altero contrahas vacare officio potest. In eoque colendo sita vite
est honestas omnis et in negligendo turpitudo. Atque hec quidem questio
communis est omnium philosophorum. Quis est enim qui nullis officii preceptis
tradendis philosophum se audeat dicere. Sed sunt nonnulle discipline que
propositis malorum et bonorum finibus officium omne pervertunt. Nam qui
summum bonum sic instituit ut nihil habeat cum virtute coniunctum
idque suis commodis non honestate metitur hic si sibi ipse consentiat
et non interdum nature bonitate vincatur neque amicitiam colere possit
nec iustitiam nec liberalitatem. Fortis vero dolorem summum malum
iudicans aut temperans voluptatem summum bonum statuens esse
certe nullo modo potest. Que quamquam ita sint in promptu ut res disputa-
tione non egeat sunt tamen a nobis alio loco disputata. Hee discipline
igitur si sibi consentanee esse velint de officio nihil queant dicere neque
ulla officii precepta firma stabilia coniuncta nature tradi possunt
nisi aut ab hiis qui solam virtutem aut ab hiis qui maxime honestatem
propter se dicunt expetendam. Itaque propria est ea preceptio stoicorum
et achademicorum et peripatheticorum quoniam Aristonis Pirronis et
Erilli iam pridem explosa est sententia qui tamen haberent ius suum dis-
putandi de officio si rerum aliquem delectum reliquissent ut ad officii
inventionem aditus esset. Sequimur igitur hoc quidem tempore et in hac que-
stione potissimum stoicos non ut interpretes sed ut solemus e fontibus
eorum iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur hauriemus.

Argumentum

Placet igitur quoniam omnis disputatio de officio futura est
ante diffinire quid sit officium quod a Panetio pretermis-
sum esse miror. Omnis enim que a ratione suscipitur de
aliqua re institutio debet a diffinitione proficisci ut intelligatur
quid sit id de quo disputetur. Prohemium

Omnis de officio duplex est questio. Unum genus est quod
pertinet ad finem bonorum alterum quod positum est in
preceptis quibus in omnes
partes usus vite conformari possit. Superioris generis huius exem-
pla sunt. Omniane officia perfecta sint num quid officium aliud alio
maius sit et que sunt eiusdem generis. Quorum autem officiorum
precepta traduntur ea quamquam pertinent ad finem bonorum tamen id
minus apparet quia magis ad institutionem vite communis spectare videntur.

De quibus est nobis his libris explicandum. Atque etiam alia divisio
est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum.
Perfectum autem officium rectum opinor, quod vocemus, quod greci
κατορθωμα. Hoc autem commune officium vocant. Atque ea
diffiniunt sic ut rectum quod sit, id perfectum officium esse diffiniunt.
Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis
reddi possit. **Triplex est deliberatio**

Triplex igitur est ut Panetio videtur consilii capiendi deliberatio. Nam honestum-
ne factum sit an turpe dubitant, id quod in deliberatione
cadit, in quo considerando, sepe animi in contrarias sententias dis-
trahuntur. Tum autem aut inquirunt, aut consultant ad vite
commoditatem iocunditatemque, ad facultates rerum, atque copias,
ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare, et suos, condu-
cat id, necne, de quo deliberant. que deliberatio omnis in ratio-
nem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare
videtur cum honesto id quod videtur esse utile. Cum enim utilitas
ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit ut
distrahatur in deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogi-
tandi. Hac divisione, cum preterire aliquid maximum vicium in di-
videndo sit, duo pretermissa sunt. Nec enim solum utrum honestum
an turpe sit, deliberari solet, sed etiam duobus propositis honestis, utrum
honestius. Itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam
ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere
reperitur. Primum est igitur de honesto dupliciter, tum pari ra-
tione de utili, post de comparatione eorum disserendum. **Quod natura officium inseruerit animalibus**

Principio generi animantium omni, est a natura tributum
ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea que ei no-
citura videantur, queque sint ad vivendum necessaria inqui-
rat et paret ut pastum, ut latibula, ut alia eiusdem generis.
Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus, procreandi
causa, et cura quedam eorum que procreata sunt. Sed inter hominem
et beluam hoc maxime interest, quod hec tantum quantum sensu mo-
vetur ad id solum quod adest, quodque presens est se accommodat, paulum
admodum sentiens preteritum aut futurum. Homo autem quia rationis
est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earum-
que progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines
comparat, rebusque presentibus adiungit atque annectit futuras, facile totius
vite cursum videt, ad eamque degendam preparat res necessarias. Eademque
natura, vi rationis hominem conciliat homini, et ad orationis
et ad vite societatem. Ingeneratque in primis precipuum quendam amorem
in eos qui procreati sunt, impellitque ut hominum cetus et celebrari

Nam prudens cum videt aliqua signa quod futurum sit [illegible] ea [illegible] quae presserat

Secundum officia nostra erga ... (margin)
De officiis circa societatem humanam
De honestate precedenti
[illegible] ad bene beate vivendum
De contemplatione [illegible]
De seminariis temperancie
[illegible] prudencia est

Sed inter se et sibi obedire velit, ob easque causas studeat parare ea que subpeditent ad cultum et ad victum nec sibi soli, sed coniugi liberis ceterisque quos caros habeat, tueri que debeat. Que cura exsuscitat etiam animos, et maiores ad rem gerendam facit. In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negociis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere. Cognitionemque rerum, aut occultarum, aut admirabilium, ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum simplex sincerumque sit, id esse nature hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi precipienti aut docenti, aut utilitatis causa, iuste et legitime imperanti. Ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa parva vis nature est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui sit modus. Itaque eorum ipsorum que aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandam putat, cavetque ne quid indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id quod querimus honestum, et quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, laudabile esse

Diuisio honesti

Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides, que si oculis cerneretur mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret sapientie. Sed omne quod honestum est, id quattuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri et solercia que versatur, aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, et rerum contractarum fide, aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore, aut in omnium que fiunt quaeque dicuntur ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Que quattuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte que primo descripta est, in qua sapienciam et prudenciam ponimus, inest indagatio atque inventio veri, eiusque virtutis hoc munus est proprium. Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique et acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Quocirca huic quasi materia quam tractat, et in qua versetur, subiecta est veritas. Reliquis autem virtutibus necessitates proposite sunt ad eas

Res parandas tuendasque quibus actio vite continetur, ut soci-
etas hominum coniunctioque servetur, et animi excellencia magnitudoque, (scilicet est iusticia)
tum in agendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo
magis in hiis ipsis despiciendis eluceat. Ordo autem et constantia et mo- (fortitudo)
deratio, et ea que sunt hiis similia, versantur in eo genere, ad quod ad-
hibenda est quedam actio non solum mentis agitatio. His enim (et hec est temperancia)
rebus que tractantur in vita, modum quendam adhibentes et or-
dine, honestatem et decus conservabimus. ~~[struck-through red text]~~

De prudentia parte honestatis

Ex quatuor autem locis in quos honesti naturam
vimque divisimus, primus ille qui in veri cognitione consistit,
maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur
et ducimur ad cognitionis et scientie cupiditatem, in qua excellere pulchrum
putamus, labi autem et errare, nescire, decipi, et malum et turpe
ducimus. In hoc genere naturali et honesto duo vicia vitanda sunt,
unum ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur.
Quod vicium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit
ad considerandas res, et tempus et diligenciam. Alterum est vicium, quod
quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque
difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus viciis declinatis,
quod in rebus honestis et cognitione dignis opere curaeque ponetur,
id iure laudabitur, ut in astrologia C. Sulpicium audivimus, in geo-
metria Sextum Pompeium ipsi cognovimus. Multos in dyalecticis,
plures in iure civili, que omnes artes in veri investigatione versantur, cuius
studio a rebus agendis abduci contra officium est. Virtutis
enim laus omnis in actione consistit, a qua tamen sepe fit intermissio,
multique dantur ad studia reditus. Tum agitatio mentis, que numquam
acquiescit, potest nos in studiis cogitationis et sine opera nostra continere.
Omnis autem cogitatio motusque animi, aut in consiliis capiendis
de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum,
aut in studiis scientie cognitionisque versabitur. Ac de primo quidem
officii fonte diximus.

De hominis societate tuenda in qua iusticia

De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio qua socie-
tas hominum inter ipsos et vite quasi communitas continetur.
Cuius partes due sunt, iusticia, in qua virtutis splendor est
maximus, ex qua boni viri nominantur. Et huic coniuncta
beneficencia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appel-
lari licet. Sed iusticie primum munus est, ut ne cui quis noceat nisi
lacessitus iniuria. Deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis
autem ut suis. Sunt autem privata natura nulla. Sed aut veteri
occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria,
ut qui bello potiti sunt, aut lege, aut pactione, condicione, sorte.

Ex quo fit ut ager arpinas arpinatium dicatur, tusculanus tusculanorum. Similisque est privatarum possessionum descripcio. Ex quo quia suum cuiusque fit eorum que natura fuerunt communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. E quo si quis plus sibi appetet, violabit ius humane societatis. Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici. Atque ut placet stoicis, que in terris gignuntur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent, in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem. Fundamenta iusticie que sunt

Fundamentum autem iusticie est fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari stoicos, qui studiose exquirunt unde verba sint ducta, credamusque quia fit quod dictum est, appellatam fidem. De iniusticia

Sed iniusticie genera duo sunt. Unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab hiis quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste impetum in quempiam facit aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus violenter videtur afferre socio. Qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniurie, tam est in vicio quam si parentes aut amicos aut patriam deserat. Atque ille quidem iniurie que nocendi causa de industria inferuntur, sepe a metu proficiscuntur, cum hic qui alteri nocere cogitat, timet ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea que concupierunt. In quo vicio latissime patet avaricia. Expetuntur autem divicie tum ad usus vite necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem maior est animus, in hiis pecunie cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem, ut nuper M. crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei qui in re publica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus, vite que cultus cum elegancia et copia, quibus rebus effectum est, ut infinita pecunie cupiditas esset. Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda est. Sed fugienda semper iniuria est. Maxime autem adducuntur plerique, ut eos iusticie capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, glorie cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud ennium, nulla sancta

Societas nec fides regni est. Id latius patet. Nam quicquid eiusmodi
est in quo non possint plures excellere in eo plerumque fit tanta con-
tentio ut difficillimum sit sanctam servare societatem. Declaravit
id modo temeritas C. Cesaris qui omnia iura divina et humana per-
vertit propter eum quem sibi ipse opinionis errore finxerat principa-
tum. Est autem in hoc genere molestum quod in maximis animis sple-
ndidissimis ingeniis plerumque existunt honoris imperii potentie
glorie cupiditates. Quo magis cavendum est ne quid in eo
genere peccetur. **De dua iniuriar**
Sed in omni iniusticia permultum interest utrum perturbatione aliqua animi que
plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat
iniuria. Leviora enim sunt ea que repentino aliquo motu accidunt
quam ea que meditata et preparata inferuntur. Et de inferenda
quidem iniuria satis dictum est. **De causis quibus pretermittitur officium**

Pretermittende autem defensionis deserendique officii plu-
res solent esse cause. Nam aut inimicitias aut laborem
aut sumptus suscipere nolunt. Aut etiam negligentia
pigritia inertia aut suis studiis quibusdam occupationibus
sic impediuntur ut eos quos tutari debeant desertos esse patiantur.
Itaque videndum est ne non satis sit id quod apud Platonem est
in philosophos dictum quod in veri investigatione versentur quodque ea
que plerique vehementer expetant de quibus inter se digladiari
soleant contempnant et pro nichilo ducant et propterea iustos esse.
Nam dum alterum iusticie genus assequuntur ut inferenda
ne cui noceant iniuria in alterum incidunt. Discendi enim
studio impediti quos tueri debent deserunt. Itaque eos ad rem
publicam nec quidem accessuros putat nisi coactos. Equius autem erat
id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est quod recte fit si
est voluntarium. Sunt etiam qui aut studio rei familiaris tuende
aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant nec fac-
ere cuiquam videantur iniuriam. Qui dum altero iniusticie genere va-
cant in alterum incurrunt. Deserunt enim vite societatem quia
nichil conferunt in eam studii nichil operum nichil facultatum.
Quoniam igitur duobus generibus iniusticie propositis adiunximus causas
utriusque generis easque res ante constituimus quibus iusticia contineretur
facile quod cuiusque temporis officium sit poterimus nisi nosmetipsos va-
lde amabimus iudicare. Est enim difficilis cura rerum alienarum
quamquam Terentianus ille Chremes humani nichil a se alienum
putet. Sed tamen quia magis ea percipimus atque sentimus que
nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt quam illa que ceteris
que quasi longo intervallo interiecto videmus aliter de illis ac

Sed de nobis meditamur. Quo circa bene precipiunt qui vetat quicquam agere, quod dubites equum sit aut iniquum. Equitas enim lucet ipsa per se. Dubitatio autem cogitationem significat iniurie. Sed incidunt sepe tempora, cum ea que maxime videntur digna esse iusto homine eoque quem virum bonum dicimus commutantur, fiuntque contraria, ut non reddere depositum etiam ne furioso, promissum facere, queque pertinet ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare sit iustum. Referri enim decet ad ea que posui in principio fundamenta iustitie, primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non semper sit idem. Potest enim accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile. Vel ei cui promissum sit, vel ei qui promiserit. Nam si (ut in fabulis est) Neptunus quod Theseo promiserat non fecisset, Theseus filio Ipolito non esset orbatus. Ex tribus enim optatis (ut scribitur) hoc erat tertium, quod de Ypoliti interitu iratus optavit. Quo impetrato in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt hiis quibus promiseris inutilia si sint. Nec si plus tibi noceant quam illi prosint cui promiseris. Contra officium est maius damnum anteponi minori. Ut si constitueris te cuipiam advocatum in rem presentem esse venturum, atque interim graviter egrotare filius ceperit, non sit contra officium non facere quod dixeris. Magisque ille cui promissum sit ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam in illis promissis non standum esse quis non videt, que coactus quis metu aut deceptus dolo promiserit. Que quidem pleraque iure pretorio liberantur, nonnulla legibus.

De insecutibus iniuria nimia callidi[ta]te

Existunt etiam iniurie sepe calumnia quadam et nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud summum ius summa iniuria factum iam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in re publica multa peccantur. Ut ille qui cum triginta dierum essent cum hoste pacte induciae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pacte, non noctium induciae. Nec noster quidem probandus est, si verum est Quintum Fabium Labeonem seu quem alium (nichil enim preter auditum habeo) arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus agri a senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid ageret, nec appeteret, atque ut regredi quam progredi mallet. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit. In medio relictum quod erat populo romano adiudicavit. Decipere hoc quidem, non iudicare est. Quo circa in omni re fugienda est talis solertia.

De officiis servandis in eos qui intulere nobis iniuriam

Sunt autem quedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis. Est

enim ulciscendi et puniendi modus Atque haud scio an satis sit eum
qui lacessierit iniurie sue penitere ut et ipse ne quid tale post hac
committat, et ceteri sint ad iniuriam tardiores Atque in re publica maxime
conservanda sunt iura belli Nam cum sint duo genera decertandi,
unum per disceptationem, alterum per vim Cumque illud proprium sit hominis,
hoc beluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet supe-
riore Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut si-
ne iniuria in pace vivatur, Parta aut victoria, conservandi
sunt hii qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, ut maiores nostri
tusculanos equos vuolscos, sabinos, hernicos in civitatem etiam accepe-
runt At cartaginem et numanciam funditus sustulerunt Nollem corinthum
Sed credo illos secutos oportunitatem loci maxime ne posset aliquando
ad bellum faciendum locus ipse adhortari Mea quidem est sententia pa-
ci que nichil habitura sit insidiarum, semper est consulendum In
quo si michi obtemperatum esset, et si non optimam, at aliquam rem publicam que
nunc nulla est haberemus Et cum hiis quos vi deviceris consulendum
est tum hii qui armis positis, ad imperatorem fidem confugiunt (quamvis
murum aries percusserit) recipiendi sunt In quo, tantopere apud
nos iusticia culta est ut hii qui civitates, aut nationes devictas
bello, in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum Ac
belli quidem equitas sanctissime feciali populi romani iure perscripta est
Ex quo intelligi potest nullum bellum esse iustum, nisi quod aut re-
bus petitis geratur, aut denunciatum ante sit et indictum Pom-
pilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu catonis fi-
lius tiro militabat Cum autem pompilio videretur unam dimittere
legionem, catonis quoque filium qui in eadem legione militabat, dimisit Sed
cum amore pugnandi in exercitu remansisset, cato ad pompilium
scripsit, ut si eum pateretur in exercitu remanere secundo eum obligaret
militie sacramento, quia priore amisso iure, pugnare cum hos-
tibus non poterat Adeo summa erat observatio in bello movendo
Marci quidem cathonis senis est epistola ad M. filium in qua scripsit
se audisse eum missum factum esse a consule, cum in macedonia
bello persico miles esset Monet igitur ut caveat ne prelium ineat
Negat enim ius esse qui miles non sit, pugnare cum hoste Equidem
illud etiam animadverto quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis
vocaretur, lenitate verbi tristicia rei mitigante Hostis enim
apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus
Indicat xii tabule, aut status dies cum hoste, itemque adversus
hostem eterna auctoritas Quid ad hanc mansuetudinem addi potest
eum cum quo bella geras tam molli nomine appellare, quamquam id
nomen durius effecit iam vetustas a peregrino enim recessit et proprie

in eo qui contra ferret arma, remansit

De offitio servando pro imperio

Cum vero de imperio decertatur bello que queritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante iustas causas esse bellorum. Sed ea bella quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum civi similiter contendimus, aliter si est inimicus, aliter si competitor, cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et fame. Sic cum Celtiberis cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret. Cum Latinis Sabinis Samnitibus, Penis, Pirro de imperio dimicabatur. Peni fedifragi, crudelis Anibal, reliqui iustiores. Pirri quidem de captivis reddendis illa preclara sententia est: Nec aurum de posco, nec mi pretium dederitis, nec cauponantes bellum, sed belligerantes ferro, non auro, vitam cernamus utrique. Vos ne velit an me regnare hera, quidve ferat fors, virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum: quorum virtuti belli fortuna pepercit, eorundem me libertati parcere certum est. Dono ducite, doque volentibus cum magnis dis. Regalis sane et digna Eacidarum genere sententia.

De offitio servando in bello

Atque etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda, ut primo Punico bello Regulus captus a Penis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, iurassetque se rediturum, primum ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit, deinde cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere. Ac de bellicis quidem offitiis satis dictum est.

De fide ac iustitia in inferiores servandis

Meminerimus autem et adversus infimos iustitiam esse servandam. Est autem infima condicio et fortuna servorum, quibus non male precipiunt qui ita iubent uti ut mercenariis: ad operandum exigendam, et iusta prebenda. Cum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria, fraus quasi vulpecule, vis leonis videtur, utrumque alienissimum ab homine est. Sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniusticie nulla capitalior est quam eorum qui, tum cum maxime fallunt, id agunt ut viri esse boni videantur. De iustitia satis dictum est.

De beneficentia et liberalitate

Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia ac liberalitate dicatur, qua quidem nichil est nature hominis accommodatius. Sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum ne obsit benignitas, et in hiis ipsis quibus benigne videbitur fieri, et ceteris. Deinde ne maior benignitas sit quam facultas. Tum autem ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iusticie fundamentum, ad quam hec omnia sunt referenda. Nam et qui grati-

ficant et cupiditati qui obsunt illi cui prodesse velle videantur. Nec beneficii neque liberales, sed perniciosi assentatores iudicandi sunt. Et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniusticia, ut si in suam rem alienam convertant. Sunt autem multi et quidem cupidi splendoris et glorie, qui eripiunt ab aliis quod aliis largiantur, hiique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest officio, ut nichil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur ut ea liberalitate utamur que prosit amicis, nemini noceat. Quare L. Sille et C. Cesaris pecuniarum translacio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Nichil enim est liberale quod non idem iustum. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset quam facultates. Nam qui benigniores volunt esse quam res patitur, primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos. Quas enim copias hiis suppeditari equius est et relinqui, transferunt eas ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copie. Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa que videntur magis proficisci ab ostentatione quam a voluntate. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam aut liberalitati aut honestati. Tercium est propositum, ut in beneficencia delectus esset dignitatis, in quo et mores eius erunt spectandi in quem beneficium confertur, et animus erga nos, et communitas ac societas vite, et ad nostras utilitates officia ante collata. Que si concurrant omnia, optabile est; si minus, plures cause maioresque ponderis plus habebunt. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum hiis in quibus preclare agitur, si sunt simulacra virtutis, et hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum in quo aliqua significatio virtutis appareat. Colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque hiis virtutibus lenioribus erit ornatus, modestia, temperancia. Nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapiente ferventior plerumque est. Ille vero virtutes bonum virum videntur potius attingere. Atque hec in moribus considerantur.

De officio erga amicos.

De benivolencia autem quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus a quo plurimum diligimur. Sed benivolenciam non adolescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constancia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gracia, maior quedam cura adhibenda est.

De precepto benivolentie

Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est
Quod si ea que acceperis utenda maiore mensura si modo possis
iubet reddere Hesiodus quidnam beneficio provocati facere
debemus. An non imitari agros fertiles qui multo plus afferunt
quam acceperunt. Etenim si in eos quos speramus nobis profuturos non
dubitamus officia conferre quales in eos esse debemus qui iam pro-
fuerunt. Nam cum duo genera liberalitatis sint unum dandi bene-
ficium alterum reddendi demus necne in nostra potestate est. Non
reddere bono viro non licet si modo id facere possit sine iniuria

Preceptum benivolentie secundum

Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi. Nec dubium quin maximo cuique plu-
rimum debeatur. In quo tamen in primis quo quisque animo stu-
dio benivolentia fecerit ponderandum est. Multi enim faciunt
multa temeritate quadam sine iudicio vel modo in omnes ut
repentino quodam quasi vento impetu animi incitati que beneficia
eque magna non sunt habenda atque ea que iudicio considerate con-
stanterque delata sunt.

Preceptum benivolentie tercium

Sed in collocando beneficio et in referenda gratia si cetera pa-
ria sint hoc maxime officii est ut quisque maxime opis
indigeat ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit a ple-
risque. A quo enim plurimum sperant etiam si ille his non eget
tamen ei potissimum inserviunt.

De societate et communione

Optime autem societas hominum coniunctioque servabitur si ut quisque
erit coniunctissimus ita in eum benignitatis plurimum conferetur
Sed que nature principia sint communitatis et societatis humane re-
petendum altius videtur. Est enim primum quod cernitur in universi generis
humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio que do-
cendo discendo communicando disceptando conciliat inter se homines
coniungitque naturali quadam societate. Neque ulla re longius ab-
sumus a natura ferarum in quibus inesse fortitudinem sepe dicimus
ut in equis in leonibus iusticiam equitatem bonitatem non dicimus
Sunt enim rationis et orationis expertes. Ac latissime quidem patens
hominibus inter ipsos omnibus inter omnes societas hec est. In qua
omnium rerum quas ad communem usum hominum natura genuit est ser-
vanda communitas ut que descripta sunt legibus et iure civili hec ita
teneantur ut sit constitutum e quibus ipsis cetera sic observentur ut in
(Omnia sunt communia ... aut possessionem) Grecorum proverbio est amicorum esse omnia communia. Omnia autem
communia hominum videntur ea que sunt generis eiusdem quod ab
Ennio positum in una re transferri in permultas potest. Homo qui
erranti comiter monstrat viam quasi de suo lumine lumen accendat
facit ut nichilominus ipsi luceat cum illi accenderit. Una ex re satis

Precipitur ut quicquid sine detrimento possit commodari id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere si quis velit, consilium fidele deliberanti dare, que sunt his utilia qui accipiunt, danti non molesta. Quare et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copie parve singulorum sunt, eorum autem qui his egeant infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem, nihilominus ut ipsi luceat, ut facultas sit qua in nostros simus liberales. Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa discedatur infinitate, propior est eiusdem gentis, nationis, lingue, qua maxime homines coniunguntur. Interius etiam est eiusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia, forum, fana, porticus, vie, leges, iura, suffragia, consuetudines, preterea et familiaritates, multeque cum multis res, rationesque contracte. Artior vero colligatio est societatis propinquorum. Ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. Nam cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publice. Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum sobrinorumque, qui cum una domo iam capi non possint, in alias domos tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Que propagatio et suboles origo est rerum publicarum. Sanguinis autem coniunctio et benivolentia devincit caritate homines; magnum est enim eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Sed omnium societatum nulla prestantior est, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestum quod sepe diximus, etiam si in alio cernimus, tamen nos movet atque illi in quo id inesse videtur amicos facit. Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque ut eos diligamus in quibus ipsa inesse videatur, tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit. Nihil autem amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eedem voluntates, in his fit ut eque quisque altero delectetur ac se ipso, efficiturque id quod Pitagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est que conficitur ex beneficiis ultro et citro datis acceptisque. Que et mutua et grata dum sunt, inter quos ea sunt firma devinciuntur societate. Sed cum omnia ratione animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gravior, nulla est carior quam ea que cum re publica est unicuique nostrum.

Ita cum aliis [illegible]

Gradus est distancia unius persone ab alia in linea consanguinitatis

Cari sunt parentes cari liberi propinqui familiares. Sed omnes
omnium caritates patria una complexa est. pro qua quis bonus dubi-
tet mortem oppetere si ei sit profuturus. Quo est detestabilior istorum
immanitas qui laceraverunt omni scelere patriam et in ea funditus
delenda occupati et sunt et fuerunt. Sed si contentio quedam et com-
paratio fiat quibus plurimum tribuendum sit officii principes sint
patria et parentes quorum beneficiis maxime obligati sumus
proximi liberi totaque domus que spectat in nos solos neque ad
ullum potest habere perfugium deinceps bene convenientes propinqui quibus
communis etiam plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria presidia
vite debentur hiis maxime quos ante dixi. Vita autem victusque
communis consilia sermones cohortationes consolationes interdum
etiam obiurgationes in amicitiis vigent maxime. Estque ea iocun-
dissima amicitia quam similitudo morum coniugavit. Sed in hiis
omnibus officiis tribuendis videndum erit quid cuique maxime necesse
sit et quid quisque nobiscum vel sine nobis aut possit consequi aut
non possit. Ita non idem erunt necessitudinum gradus qui temporum.
Suntque officia que aliis magis quam aliis debeantur. ut vicinum citius ad-
iuveris in fructibus percipiendis quam aut fratrem aut familiarem.
At si lis in iudicio sit propinquum potius et amicum quam vicinum defenderis.
Hec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio et consuetudo
exercitatioque capienda ut boni ratiocinatores officiorum esse pos-
simus et addendo deducendoque videre que reliqui summa fiat
ex quo quantum cuique debeatur intelligas. Sed ut nec medici nec
imperatores nec oratores quamvis artis precepta perceperint quicquam
magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt sic
officii conservandi precepta traduntur illa quidem ut faciamus ipsi.
Sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab hiis
rebus que sunt in iure societatis humane quemadmodum ducatur
honestum ex quo aptum est officium satis fere diximus. **Persplendidum dicitur id quod magno factum est animo atque excelso.**
Intelligendum est autem cum proposita sint genera quatuor e quibus honestas officiumque manaret
splendidissimum videri quod animo magno elatoque humanasque res
despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est si
quid tale dici potest. Vos etenim iuvenes animos geritis muliebres.
Illa virgo viri. et si quid eiusmodi Salmacida spolia sine su-
dore et sanguine. Contraque in laudibus que magno animo et ela-
to fortiter excellenterque gesta sunt ea nescio quomodo quasi pleno
ore laudamus. Hinc rethorum campus de Maratone Salamine
Plateis Termophilis Leuctris. Hinc Cocles. Hinc Decii hinc Cn. et
P. Scipiones hinc M. Marcellus innumerabiles alii maximeque

Salmacis ... hermaphroditus

Ipse Pyrrhus eo animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium
bellice glorie, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari. Sed
ea animi elatio que cernitur in periculis et laboribus si iusticia vacat
pugnatque non pro salute communi sed pro suis commodis in vitio est. Non
enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis omnem huma-
nitatem repellentis. Itaque probe diffinitur a stoicis fortitudo, cum eam
virtute esse dicunt propugnantem pro equitate. Quocirca nemo qui forti-
tudinis gloriam consecutus est insidiis et malicia laudem est adeptus.
Nichil enim honestum esse potest quod iusticia vacat. Preclarum igitur plato-
nis illud non solum inquit sciencia que est remota a iusticia calli-
ditas potius quam sapiencia est appellanda. Verum etiam animus paratus
ad periculum si sua cupiditate non utilitate communi impellitur auda-
cie potius nomen habeat quam fortitudinis. Itaque viros fortes magna-
nimos eosdem bonos et simplices veritatis amicos minimeque falla-
ces esse volumus, que sunt ex media laude iusticie. Sed illud odio-
sum est quod in hac elatione et magnitudine animi facillime perti-
nacia et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud plato-
nem est omnem morem lacedemoniorum inflammatum esse cupiditate
vincendi, sicut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita
maxime vult princeps omnium esse vel potius solus esse. Difficile autem
est cum prestare omnibus concupieris servare equitatem, que est
iusticie maxime propria. Ex quo fit ut neque disceptatione vinci se
nec ullo publico ac legitimo iure patiantur. Existuntque in re
publica plerumque largitores et factiosi ut opes quam maximas consequan-
tur et sint potius superiores vi quam iusticia pares. Sed quod diffici-
lius, hoc preclarius. Nullum enim est tempus quod iusticia vacare de-
beat. Fortes igitur et magnanimi sunt habendi non qui faciunt
sed qui propulsant iniuriam. Vera autem et sapiens animi magni-
tudo honestum illud quod maxime natura sequitur in factis posi-
tum non in gloria iudicat, principemque se esse mavult quam videri. Et
enim qui ex errore imperite multitudinis pendet, hic in magnis viris
non est habendus. Facillime autem ad res iniustas impellitur ut quisque
est altissimo animo et glorie cupiditate. Qui locus est sane lubricus
quod vix invenitur qui laboribus susceptis periculisque aditis non
quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Dupliciter modo aug

Omnino fortis animus et magnus. fort a excelsis intelligit
duabus rebus maxime cernitur. Quarum una in rerum exter-
narum despicientia ponitur cum persuasum sit nichil hominem
nisi quod honestum decorumque sit aut admirari aut optare aut
expetere oportere, nulli neque homini neque perturbationi animi nec
fortune succumbere. Altera est res ut cum ita sis animo affectus

Ut supra dixi, res gerat magnas illas quidem et maxime utiles,
sed ut vehementer arduas plenasque laborum et periculorum tum
causa vite, tum multarum causa rerum que ad vitam pertinent. Harum
rerum duarum splendor omnis, amplitudo est. addo etiam utilitatem
in posteriore. Causa autem et ratio efficiens magnos viros est
in priore. In ea enim est illud quod excellentes animos et humana
contempnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus. et si solum
id quod honestum sit bonum iudices, et ab omni animi perturbatione
liber sis. Nam et ea que eximia plerisque et preclara videntur, par-
va ducere. eaque ratione stabili firmaque contempnere, for-
tis animi magnique ducendum est. Et ea que videntur acer-
ba, quorum multa et varia in hominum vita fortunaque versantur,
ita ferre, ut nichil a statu nature discedas, nichil a dignitate
sapientis, robusti animi est magneque constancie. Non est autem
consentaneum qui metu non frangatur eum frangi cupiditate
Nec qui invictum se a labore prestiterit, vinci voluptate. Quam
ob rem et hec vitanda sunt, et pecunie fugienda cupidi-
tas. Nichil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare
divicias. Nichil honestius magnificenciusque quam pecuniam contempnere si
non habeas. Si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.
Cavenda est etiam glorie cupiditas, ut supra dixi. Eripit enim
libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.
Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum,
aut deponenda non numquam. Vacandum autem est omni animi
perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam egritudine et vo-
luptate animi et iracundia. Cum tranquillitas adsit et securitas,
que afferat constanciam, tum etiam dignitatem. De vita ociosa

Multi autem et sunt et fuerunt qui eam quam dico tranquillitatem
expetentes, a negociis publicis se removerunt, ad ociumque
perfugerunt. In hiis et nobilissimi philosophi longeque principes,
et quidam homines severi et graves, nec populi nec principum mores
ferre potuerunt. Vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua
familiari. Hiis idem propositum fuit quod regibus, ut ne qua re ege-
rent, nec cui parerent, libertate uterentur, cuius proprium est sic vivere
ut velis etc. Vita ociosa tucior, activa autem fructuosior est

Quare cum hoc commune sit potentie cupidorum cum hiis
quos dixi ociosis, alteri se adipisci id posse arbitrantur, si
opes magnas habeant, alteri si contenti sint et suo et
parvo. In quo neutrorum omnino contempnenda est sententia. Sed et
facilior et tucior et minus aliis gravis aut molesta vita est ociosorum,
fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque

Aptior eorum qui se ad rem p. et ad magnas res gerendas acco-
modauerunt. Quapropter et hiis forsitan concedendum sit. re
p. non capescentibus qui excellenti ingenio doctrine se se dederunt
et hiis qui aut valitudinis imbecillitate. aut aliqua grauiore
causa impediti. a re p. recesserunt. cum eius administrande potesta-
te aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit cau-
sa si despicere se dicant. ea que plerique admirentur imperia
et magistratus. hiis non modo non laudi. verum etiam vitio dan-
dum puto. quorum iudicium in eo quod gloriam contemnant et pro nichilo
putent difficile factum est non probare. Sed videntur labores
et molestias tum offensionum. tum repulsarum. quasi quandam igno-
miniam timere. et infamiam. Sunt enim qui vere in rebus
contrariis parum sibi constent. voluptatem seuerissime contemnant.
in dolore sint molliores. gloriam negligant. frangantur infamia
Atque ea quidem non satis constanter. Sed hiis qui habent a
natura adiumenta rerum gerendarum. abiecta omni cunctatione
adipiscendi magistratus. et gerenda res p. est. Nec enim aliter aut
regi ciuitas. aut declarari animi magnitudo potest. Capescentibus
autem rem p. nichil minus quam philosophis. haud scio an magis etiam.
et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum
quam sepe dico. et tranquillitas animi. atque securitas. Si quidem
nec anxii futuri sunt. et cum grauitate constantiaque victuri. que
eo faciliora sunt philosophis. quo minus patent multa in eorum vita
que fortuna feriat. et quo minus multis rebus egent. et quia si quid
aduersi eueniat. tam grauiter cadere non possunt. Quo ita non
sine causa maiores motus animorum concitantur maioraque effici-
endi rem p. gerentibus. quam quietis. quo magis hiis et magnitudo
animi est adhibenda. et vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam
atque qui accedit. caueat. ne id modo consideret. quam illa res honesta
sit. sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo considerandum
est ipso. ne aut temere desperet propter ignauiam. aut nimis con-
fidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis priusquam
aggrediare. ad adhibenda est preparatio diligens. Sed cum plerique
arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas. minuenda est
hec opinio. Multi enim bella sepe quesiuerunt propter glorie cupi-
ditatem. Atque in magnis animis ingeniisque id plerumque contin-
git. eoque magis si sunt ad rem militarem apti. et cupidi bellorum
gerendorum. Vere autem si volumus iudicare. multe res
extiterunt urbane maiores clarioresque quam bellice. Quamuis enim
temistocles iure laudetur. et sit nomen quam solonis illustrius. citeturque
quam salamis clarissime testis victorie. que anteponatur consilio

Solonis, ei qui primum constituit ariopagitas. non minus preclarum
hoc quam illud iudicandum est. Illud enim semel profuit hoc semper
proderit civitati. Hoc consilio leges atheniensium. hoc maiorum
instituta servantur. Et temistocles quidem nihil dixit in quo ipse
ariopagum adiuverit. At ille adiuvit themistoclem. Est enim bellum
gestum consilio senatus eius. qui a solone erat constitutus. Licet eadem
de pausania lisandroque dicere. Quorum rebus gestis. quamquam
imperium lacedemoniis dilatatum putatur. tamen ne minima quidem
ex parte ligurgi legibus et disciplinae conferendi sunt. quin etiam
ob has ipsas causas et paratiores habuerunt exercitus et fortio-
res. Michi quidem neque pueris nobis. M. Scaurus. Caio Mario
neque cum versaremur in re p. Q. Catulus Gn pompeio cede-
re videbantur. Parva enim sunt foris arma nisi est consilium domi.
Nec plus affricanus singularis. et vir et imperator in exciden-
da numancia rei p. profuit quam eodem tempore publius nasica pri-
vatus cum tiberium gracum interemit. Quamquam hec quidem res
non solum ex domestica est ratione. attingit et bellicam. quoniam vi
manuque confecta est. sed tamen id ipsum gestum est consilio urba-
no sine exercitu. Illud autem optimum est in quo invadi solere ab im-
probis et ab invidis me audio. Cedant arma toge. concedat laurea
lingwe. Ut enim alios omittam nobis rem p. gubernantibus nonne
toge arma cessere. Neque enim in re p. periculum fuit gravius umquam
nec maius ocium. Ita consiliis diligentiaque mea celeriter de manibus
audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Que res igitur
umquam in bello tanta. Quis triumphus conferendus. Licet enim
michi M. fili apud te gloriari ad quem et hereditas huius glorie
et factorum imitatio pertinet. Michi quidem certe vir abundans
bellicis laudibus Gn pompeius multis audientibus hoc tribuit. ut
diceret frustra se tercium triumphum deportaturum fuisse nisi meo
in rem p. beneficio. ubi triumpharet. esset habiturus.

De preceptis domestice fortitudinis orte a sapientia

Nunt ergo domestice fortitudines non infe-
riores militaribus. in quibus plus etiam quam
in his opere studii ponendum est. Omnino enim illud hones-
tum quod ex animo excelso magnificoque querimus animi efficitur
non corporis viribus. Exercendum tamen corpus. et ita afficiendum
est. ut obedire consilio rationique possit in exequendis negotiis. et in la-
bore tollerando. Honestum autem id quod exquirimus. totum est
positum in animi cura et cogitatione. In quo non minorem utilitatem
afferunt. qui togati rei p. presunt. quam qui bellum gerunt. Itaque
eorum consilio sepe. aut non suscepta. aut confecta bella sunt. Non-
numquam autem illata. Ut M. Catonis. bellum tercium punicum

bello

In quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem
magis est decernendi ratio quam decertandi fortitudo. Sed tamen
ne id bellandi genus magis fuga quam utilitatis ratione faciamus.
Bellum autem ita suscipiatur ut nichil aliud nisi pax quesita
videatur. Fortis vero animi et constantis est non perturbari in re-
bus asperis nec tumultuantem de gradu deici ut dicitur. Sed presenti
uti consilio nec a ratione discedere. Quamquam hoc animi illud etiam
ingenii magni est percipere cogitatione futura et aliquando
ante constituere quod accidere possit in utramque partem et quid agen-
dum sit cum quid evenerit nec committere aliquid ut aliquando dicendum
sit non putaveram. Hec sunt opera magni animi et excelsi
et prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie versari
et manu cum hoste confligere immane quiddam et beluarum simile
est. Sed cum tempus necessitasque postulat decertandum manu est et mors
servituti turpitudinique anteponenda.

Quod in evertendis diripiendisue agendum sit

De evertendis autem diripiendisque urbibus valde illud considerandum est ne quid temere
ne quid crudeliter. Id quod est viri magnanimi rebus agitatis
punire sontes multitudinem conservare in omni fortuna recta atque
honesta retinere. Ut enim sunt (quemadmodum supra dixi) qui ur-
banis rebus bellicas anteponunt sic reperias multos quibus periculo-
sa et calida consilia quietis cogitationibus et splendidiora et maiora
videantur. Nunquam omnino periculi fuga committendum est ut im-
belles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud ne offera-
mus nos periculis sine causa quo nichil potest esse stultius. Qua-
propter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est qui
leviter egrotantes leviter curant gravioribus autem morbis periculo-
sas curationes et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo
tempestatem adversam optare dementis est subvenire autem tem-
pestati quavis ratione sapientis. Eoque magis si plus adipiscare
re explicata boni quam addubitata mali. Periculose autem rerum actio-
nes partim hiis sunt qui eas suscipiunt partim rei publice. Itemque alii de
vita alii de gloria et benivolentia civium in discrimine vocantur. Prom-
ptiores igitur debemus esse ad nostra pericula quam ad communia dimicareque pa-
ratius de honore et gloria quam de ceteris commodis. Inventi autem
multi sunt qui non modo pecuniam sed vitam etiam profundere pro patria
parati essent. Idem glorie iacturam ne minimam quidem facere
vellent ne re publica quidem postulante. Ut Callicratidas qui cum La-
cedemoniorum dux fuisset Peloponensiaco bello multaque fecisset
egregie vertit ad extremum omnia cum consilio non paruit eorum
qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum

Putabant. Quibus ille respondit Lacedemonios classe illa amissa
aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque hec
quidem Lacedemoniis plaga mediocris fuit. Illa pestifera qua Cleom-
brotus invidiam timens temere cum Epaminunda conflixisset Lacede-
moniorum opes corruerunt. Quanto Quintus Maximus melius, de
quo Ennius: Unus homo nobis cunctando restituit rem. Non enim
rumores ponebant ante salutem. Ergo postque magis viri nunc gloria
claret. Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis.
Sunt enim qui quod sentiunt, et si optimum sit, tamen invidie metu non audent
dicere. Omnino qui rei publice prefuturi sunt, duo Platonis precepta
teneant: unum ut utilitatem civium sic tueantur ut quicquid agunt
ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum ut totum corpus
rei publice curent, ne dum partem aliquam tuentur reliquas deserant. Ut
enim tutela, sic procuratio rei publice ad utilitatem eorum qui commissi sunt,
non ad eorum quibus commissa est gerenda est. Qui autem parti civium
consulunt, partem neglegunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt,
seditionem atque discordiam. Ex quo evenit ut alii populares, studiosi op-
timi cuiusque videantur, pauci universorum. Hinc apud Athenienses magne discordie
orte, in nostra re publica non solum seditiones sed pestifera etiam
bella civilia. Que gravis et fortis civis in re publica dignus principatu
fugiet atque oderit, tradetque se totum rei publice. Neque opes aut potentiam
consectabitur, totamque eam sic tuebitur ut omnibus consulat. Nec vero
criminibus falsis in odium aut invidiam quemque vocabit. Omnino itaque
iustitie honestatique adherescet, ut dum ea conservet, quamvis graviter
offendat mortemque oppetat potius quam deserat illa que dixi.

Quam calamitosa sit atque misera honorum ambitio

Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio, de qua preclare apud eundem
est Platonem: similiter facere eos qui inter se contenderent
uter potius rem publicam administraret, ut si naute certarent quis eorum potis-
simum gubernaret. Idemque precepit ut eos adversarios existimemus
qui arma contra ferrent, non eos qui suo iudicio tueri rem publicam vellent.
Qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate dis-
sensio. Nec vero audiendi qui graviter irascendum inimicis putabunt
idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius,
nihil magno et preclaro viro dignius placabilitate atque clementia.
In liberis vero populis et iuris equabilitate exercenda etiam est facilitas
et altitudo animi que dicitur, ne si irascamur aut intempestive acce-
dentibus aut impudenter rogantibus in morositatem inutilem et odio-
sam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia
ut adhibeatur rei publice causa severitas, sine qua administrari civitas non
potest. Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet

Quod miserum sit esse magnanimo [illegible] in honore modo huic inferius [illegible] modo illud ambiendo

Equabilitas iuris est nec plus commodi aut incommodi [illegible]

Mansuetudo debet esse severitati coniuncta [illegible] causa [illegible] rei publice utilitate et loco et tempore

Sed neque ad eius qui puniet aliquem aut verbis castigat, sed ad rei publice utilitatem referri. Cavendum est etiam, ne maior pena quam culpa sit. et ne isdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. Numquam enim iratus qui accedet ad penam, mediocritatem illam tenebit, que est inter nimium et parum. que placet peripatheticis. et recte placet. modo ne laudarent iracundiam. et dicerent utiliter a natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda est. Optandumque ut hii qui presunt rei publice legum similes sint. que ad puniendum non iracundia, sed equitate ducuntur. Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magnopere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est. preclaraque est equabilitas in omni vita. et idem semper vultus. eademque frons. Ut de Socrate idem de C. Lelio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter sepe turpissimus. Ut recte precipere videantur, qui monent. ut quanto superiores simus, tanto nos summissius geramus. Panetius quidem Affricanum auditorem et familiarem suum solitum ait dicere. ut equos propter crebras contentiones preliorum ferocitate exultantes. domitoribus tradere soleant. ut hiis facilioribus possint uti. Sic homines secundis rebus effrenatos. sibique presidentes. tamquam in gyrum rationis et doctrine duci oportere. ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem. varietatemque fortune. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum. hiisque maior etiam quam ante tribuenda est auctoritas. iisdemque temporibus cavendum est. ne assentatoribus patefaciamus aures. nec adulari nos esse putamus sinamus. in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus. ut iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata. cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur. et in maximis versantur erroribus. Sed hec quidem hactenus. ~~Cetera~~ Res maximas magnanimi gerunt

Illud autem sic est iudicandum maximas geri res et maximi animi ab hiis qui rem publicam regunt quod earum administratio latissime pateat, ad plurimosque pertineat. Esse autem magni animi et fuisse multos etiam in vita ociosa. qui aut investigarent. aut conarentur magna quedam. seseque suarum rerum finibus continerent. aut interiecti inter philosophos et eos qui rem publicam administrarent. delectarentur re sua familiari. non eam quidem omni ratione exaggerantes. neque excludentes ab eius usu suos. potiusque et amicis impertientes. et rei publice si quando usus esset. Que primum bene parta sit. nullo neque turpi questu neque odioso. tum quam plurimis modo dignus se utilem prebeat,

De verecundia modestia et decore atqz temperantia quarta parte honestatis

Deinde augeatur ratione diligentia parsimonia. Nec libidini
potius luxurie qz liberalitati et benificentie pareat. Hec prescripta
servantem licet magnifice graviter animose qz vivere atqz
etiam simplicitater fideliter vite hominum amice.
Sequitur ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit.
in qua verecundia et quasi quidam ornatus vite temperantia.
et modestia omnisqz sedatio perturbationum animi et rerum mo-
dus cernitur. Hoc loco continetur id quod dici latine decorum potest. Grece
enim ΠΡΕΠΟΝ dicitur. Huius vis est ea ut ab honesto non queat se-
parari. Nam et quod decet honestum est. et quod honestum est decet
Qualis differentia sit honesti et decori facilius intelligi qz explanari potest.
Quicquid enim est quod deceat id tunc apparet cum ante egressa est
honestas. Itaqz non solum in hac parte honestatis de qua hoc loco dis-
serendum est sed etiam in tribus superioribus quid deceat apparet. Nam
et ratione uti atqz oratione prudenter et agere quod agas considerate
omniqz in re quid sit veri videre et tueri decet. Contraqz falli er-
rare labi decipi tam dedecet qz delirare et mente captum esse. Et
iusta omnia decora sunt. Iniusta omnia contra ut turpia sic indecora.
Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter animoqz magno
fit id dignum viro et decorum videtur. Quod contra id ut turpe
sit indecorum. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem
hoc quod dico decorum et ita pertinet ut non recondita quadam
ratione cernatur sed sit in promptu. Est enim quiddam et idqz intelligitur
in omni virtute potest qz re separari. ut venustas et pulcritudo corporis
secerni non potest a valitudine. sed hoc de quo loquimur decorum
illud totum quidem est cum virtute confusum sed mente et cogitatione dis-
tinguitur. Est autem eius descriptio duplex. Nam et generale quoddam
decorum intelligimus quod in omni honestate versatur. et aliud
huic subiectum quod pertinet ad singulas partes honestatis. Atqz illud
superius sic fere diffiniri solet. Decorum id esse quod consentaneum
sit hominis excellentie in eo in quo natura eius reliquis animantibus
differat. Que autem pars subiecta generi est. eam sic diffi-
niunt. ut id decorum esse velint quod ita nature consentaneum sit.
ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.
Nec ita intelligi a pluribus possumus existimare ex eo decoro quod poete
sequuntur de quo alio loco plura dici solent. Sed tunc servare illud poe-
tas dicimus quod deceat. cum id quod quaqz persona dignum est. et fit et
dicitur. ut si Eacus aut Minos diceret. Oderint dum metuant. aut
natis sepulcro ipse est parens. indecorum videretur. quod eos fuisse
iustos accepimus. At Atreo dicente plausus excitantur. Est enim
digna persona oratio. Sed poete quid quemqz deceat ex persona iudicabunt

Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia
prestantiaque animantium reliquorum. Quo circa poete in magna va-
rietate personarum etiam vitiosis quid conveniat et deceat videbunt.
Nobis autem cum a natura constantie moderacionis temperantie ve-
recundie partes date sint, cumque eadem natura doceat non negli-
gere quemadmodum nos adversus homines geramus, efficitur
ut et illud quod ad omnem honestatem pertinet decorum quam late
fusum sit appareat et hoc quod spectatur in uno quoque genere virtutis.
Ut enim pulcritudo corporis apta composicione membrorum movet
oculos et delectat, hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam
lepore consentiunt, sic hoc decorum quod elucet in vita movet
ad probacionem eorum quibus cum vivitur ordine et constancia
moderacione dictorum omnium atque factorum. Adhibenda est igitur
quedam reverencia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum.
Nam negligere quid de se quisque senciat non solum arrogantis
est, sed etiam omnino dissoluti. Est autem quod differat in hominum racione
habenda inter iusticiam et verecundiam. Iusticie partes sunt non
violare homines, verecundie non offendere, in quo maxime perspicitur vis decori.

De viis decori et officiis temperantie

His igitur expositis quale sit id quod decere dicimus intellectum puto. Officium autem
quod ab eo ducitur hanc primum habet viam que deducit ad con-
venienciam conservacionemque nature. Quam si sequemur ducem numquam
aberrabimus, sequemurque et id quod acutum et perspicax natura est,
et id quod ad hominum consolacionem accommodatum, et id quod vehemens atque
forte. Sed maxima vis decori in hac inest parte de qua disputamus.
Neque enim solum corporis qui ad naturam apti sunt, sed
multo etiam magis animi motus probandi qui item ad naturam
accommodati sunt.

Divisio decori

Duplex est enim vis animorum atque nature. Una pars in appeti-
tu posita est, que est opH a grece, que hominem huc et illuc
rapit. Altera in racione, que docet et explanat quid faciendum
fugiendumque sit. Ita fit ut racio presit, appetitus vero obtemperet.
Omnis autem actio vacare debet temeritate et negligencia. Nec
vero agere quicquam cuius non possit causam probabilem reddere. Hec enim
fere descriptio officii. Efficiendum autem est ut appetitus racioni obe-
diat eamque neque preeant nec propter pigriciam aut ignaviam deserat
sintque tranquilli atque omni perturbacione animi careant. Ex quo elu-
cebit omnis constancia omnisque moderacio. Nam qui appetitus lon-
gius evagantur et tamquam exultantes sive cupiendo sive fugien-
do non satis a racione retinentur, hii sine dubio finem et
modum transeunt. Relinquunt enim et abiciunt obedienciam nec racioni

Parent. tum sunt subiecti lege nature. A quibus non modo animi
perturbantur. sed etiam corpora licet ora ipsa cernere iratorum. aut
eorum qui aut libidine aliqua. aut metu commoti sunt. aut voluptate
nimia gestiunt. Quorum omnium vultus. voces. motus. statusque mu-
tantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur)
appetitus omnes contrahendos. sedandosque esse excitandamque esse ani-
madversionem et diligentiam. ut ne quid temere. ac fortuito. inconsi-
derate. negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus.
ut ad ludum et iocum facti esse videamur. sed ad severitatem potius.
et ad quedam studia graviora atque maiora. Ludo autem et ioco. uti
illis quidem licet. sed sicut somno. et quietibus ceteris. tum cum gravibus.
seriisque rebus satis fecerimus. Ipsumque genus iocandi non profusum nec
immodestum. sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non
omnem licentiam ludendi damus. sed eam que ab honestatis actionibus
non sit aliena. sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

De ioci divisione

Duplex omnino est iocandi genus. Unum illiberale pe-
tulans. flagitiosum. obscenum. alterum elegans.
urbanum. ingeniosum. facetum. Quo genere non modo Plautus noster.
et Atticorum antiqua comedia. sed etiam philosophorum Socraticorum libri re-
ferti sunt. Multaque multorum facete dicta. ut ea que a sene Catone sunt
collecta. que vocantur apophtegmata. Facilis igitur est distinctio inge-
nui et illiberalis ioci. Alter est. si tempore fit. ut remisso animo. homine
dignus. Alter ne libero quidem. si rerum turpitudini adhibetur ver-
borum obscenitas.

De ludendi modis

Ludendi etiam est quidam modus retinendus. ut ne nimis
omnia profundamus. elatique voluptate. in aliquam turpitudinem
delabamur. Suppeditant autem et campus noster. et studia venandi.
honesta exempla ludendi. Sed pertinet ad omnem officii questionem. semper
in promptu habere quantum natura pecudibus reliquisque bestiis antecedat.
Ille nihil sentiunt nisi voluptatem. ad eamque feruntur toto impetu.
Hominis autem mens discendo alitur. et cogitando semper aliquid aut
inquirit. aut agit. videndique et audiendi delectatione ducitur. Quin
etiam si quis est paulo ad voluptates propensior. modo ne sit ex pecudum
genere. Sunt enim quidam homines non re. sed nomine. Sed si quis est
paulo erectior. quamvis voluptate capiatur. occultet et dissimulet
appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur corporis
voluptatem. non satis esse dignam hominis prestantia. eamque contemni.
et reici oportere. Sin sit quispiam. qui aliquid tribuat voluptati di-
ligenter ei tenendum esse modum eius fruende. Itaque victus. cultusque
corporis. ad valitudinem referantur. et ad vires. non ad voluptatem.
Atque etiam si considerare volumus. que sit in natura excellentia et

Dignitas, intelligimus quam sit turpe defluere luxuria et delicate ac
molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe.
Intelligendum est etiam duabus quasi nos a natura
indutos esse personis. Quarum una communis est, ex eo quod omnes
participes sumus rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus
bestiis, a qua omne honestum decorumque trahitur, et ex qua ratio
inveniendi officii exquiritur. Altera autem, que proprie singulis est
tributa. Ut enim in corporibus magne dissimilitudines sunt,
alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luc-
tandum valere. Item in formis aliis dignitatem inesse, aliis
venustatem, sic et in animis existunt etiam maiores varietates.
Erat in L. Crasso et in Lucio Philippo multus lepos, maior etiam
magisque de industria in C. Cesare Lucii filio. At iisdem temporibus
in M. Scauro et in M. Druso adolescente singularis severitas,
in C. Lelio multa hylaritas, in eius familiari Scipione ambi-
tio maior, vita tristior. De grecis autem dulcem et facetum, fes-
tivique sermonis, atque in omni oratione simulatorem, quem yporian
greci nominaverunt, Socratem accepimus. Contra Pitagoram
et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hylaritate. Ca-
lidum Hanibalem ex Penorum, ex nostris ducibus Quintum Maximum
accepimus, facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, preripere
hostium consilia. In quo genere greci Temistoclem atheniensem
et Phereum Iasonem ceteris anteponunt. In primisque versutum
et callidum factum Solonis, qui quo et tutior vita eius esset,
et plus aliquanto rei publice prodesset, furere se simulavit. Sunt his
alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil de occulto,
nihil de insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis
inimici. Itemque alii qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum
quod velint consequantur, ut Sillam et M. Crassum videbamus.
Quo in genere versutissimum et patientissimum Lacedemonium Lisan-
drum accepimus. Contraque Callicratidem, qui prefectus classis pro-
ximus post Lisandrum fuit. Itemque in sermonibus alium, qui quamvis pre-
potens sit, efficere ut unus de multis videatur.
Quod in Catulo et in patre et in filio, idemque et in Q. Mutio Manci-
o vidimus. Audivi ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P.
Scipione Nasica. Contraque patrem eius illum, qui Tiberii Gracchi co-
natus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis.
Ne Xenocratem quidem severissimum philosophorum, ob eamque
rem ipsam magnum et clarumque fuisse. Innumerabiles alie dissi-
militudines sunt nature morumque, minime tamen vituperandorum.
Admodum autem tuenda sunt sua cuique non viciosa, sed tamen propria

Quo facilius decorum illud quod querimus retinebitur. Sic enim
est faciendum ut contra naturam universam nihil contendamus.
ea tamen conservata propriam naturam consequamur. ut etiam si sint
alia graviora atque meliora. tamen nos studia nostre nature regulemus.
Neque enim attinet repugnare nec quicquam sequi quod assequi
nequeas. Ex quo magis emergit. quale sit decorum illud. ideo
quod nihil decet invita (ut aiunt) minerva obstante id est
adversante et repugnante natura. Omnino si quicquam est decorum
nihil est profecto magis. quam equabilitas universe vite. tum sin-
gularum actionum quam conservare non possis. si aliorum na-
turam imitans. omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus
uti. qui notus est nobis. ne ut quidam greca verba inculcantes
iure optimo rideamur. sic in actiones omnemque vitam nullam
discrepantiam conferre debemus. Atque hec differentia naturarum tan-
tam habet vim. ut nonnumquam mortem sibi ipse aliquis consciscere
debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit. alia ceteri. qui se in
Affrica Cesari tradiderunt. Atqui ceteris forsitan vitio datum esset.
si se interemissent. propterea quod eorum vita lenior et mores fue-
runt faciliores. Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem.
eamque ipse perpetua constantia roboravisset. semperque in proposito suscep-
toque consilio permansisset. moriendum potius quam tyranni vultus aspi-
ciendum fuit. Quam multa passus est Ulixes in illo errore diu-
turno. cum et mulieribus (si Circe et Calypso mulieres appellande sunt)
inserviret. et in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet. do-
mi vero et contumelias servorum ancillarumque pertulit. ut ad id
aliquando quod cupiebat perveniret. At Aiax quo animo traditur.
milies oppetere mortem. quam illa perpeti ab alio maluisset. Que
contemplantes expendere oportebit. quid quisque habeat sui.
eaque moderari. nec velle experiri. quam se aliena deceant. Id enim
maxime quemque decet. quod est cuiusque suum maxime. Suum igitur
quisque noscat ingenium. acremque se et vitiorum et bonorum suorum
iudicem prebeat. ne scenici plus quam nos videantur habere
prudentie. Illi enim non optimas sed sibi accommodatissimas
fabulas eligunt. Qui enim voce freti sunt. Epigonos. Medum-
que. Qui gestu Menalippam. Clitemestram. Semper Rutilius.
quem ego memini. Antiopam. Non sepe Esopus Aiacem. Ergo
histrio hoc videbit in scena. quod non videbit sapiens vir in vita.
Ad quas igitur res aptissimi erimus in hiis potissimum elaborabimus.
Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit. que nostri ingenii non
erunt. omnis adhibenda erit cura. meditatio diligentia. ut ea si
non decore. at quam minime indecore facere possimus. Nec tam

Est enitendum tamen ut bona que nobis data sint sequamur, sic ut vitia fugiamus. Ac duabus hiis personis quas supra dixi tercia adiungitur, quam casus aliquis vel tempus imponit. Quarta etiam quam nobismetipsis iudicio nostro accommodabimus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitie, opes, eaque que sunt hiis contraria, in casu sita temporibus gubernantur. Ipsi autem gerere quam personam velimus a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius civile, alii ad eloquentiam applicant, ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere. Quorum vero patres aut maiores aliqua gloria prestiterunt, eorum plerique hii in hoc genere laudis student excellere, ut Q. Mutius P. filius in iure civili, Pauli filius Affricanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes quas a patribus acceperunt addunt aliquam suam, ut hic idem Affricanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Thimotheus Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuisset quam pater, ad eam laudem doctrine et ingenii gloriam adiecit. Fit autem interdum ut nonnulli omissa imitatione maiorum suum quoddam institutum consequantur. Maximeque in eo plerumque elaborant hii qui magna sibi proponunt obscuris orti parentibus. Hec igitur omnia cum querimus quid deceat complecti animo et cogitatione debemus.

In primis autem constituendum est quos nos et quales esse velimus, et in quo genere vite, que deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia cum est maxima imbecillitas consilii, tunc id sibi quisque genus etatis degende constituit quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi quam potuit quod optimum esset iudicare. Namque Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum quam quisque viam vivendi sit ingressurus datum est, exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset. Hoc Herculi Iovis satu edito potuit fortasse contingere, nobis non idem, qui imitamur quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur. Plerumque autem parentum preceptis imbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis iudicio feruntur, queque maiori parti pulcherrima videntur ea maxime exoptant. Nonnulli tamen sive felicitate quadam sive bonitate nature sive parentum disciplina rectam vite secuti sunt viam. Illud autem maxime rarum genus est eorum

Quod non fit si elegitur aliqua vita ... ut ... officia ... constantia

Qui autem excellenti ingenii magnitudine, aut preclara erudicione
atque doctrina, aut utraque re ornati spatium deliberandi habuerunt
quem potissimum vite cursum sequi vellent, in qua deliberacione ad
suam cuiusque naturam consilium est omne revocandum. Nam cum in
omnibus que aguntur ex eo modo quo quis natus est, ut supra dictum
est, quid deceat exquirimus, tum in tota vita constituenda multo
est ei rei cura maior adhibenda, ut constare in vite perpetuitate possimus
nobismetipsis, nec in ullo officio claudicare.

Ad hanc autem racionem quoniam maximam vim natura habet, fortuna
proximam, utriusque omnino racio habenda est in deligendo generis
vite, sed nature magis. Multo enim et firmior est et constancior, ut
fortuna nonnumquam tamquam ipsa mortalis cum inmortali natura pugnare
videatur. Qui igitur ad nature sue non vicioso genus consilium
vite omne contulerit, is constanciam teneat, id enim maxime decet,
nisi forte se errasse intellexerit in deligendo genere vite. Quod si accide-
rit (potest autem accidere), facienda morum institutorumque mu-
tacio est. Eam igitur mutacionem si tempora adiuvabunt, facilius co-
modiusque faciemus. Si minus, sensim erit pedetentimque facienda,
ut amicicias que minus delectent et minus probentur, magisque
decere censent sapientes sensim diluere quam repente precidere.
Commutato autem genere vite, omni racione curandum est ut id
bono consilio fecisse videamur. Sed quoniam paulo ante dictum est
imitandos esse maiores, primum illud exceptum sit, ne vicia sint
imitanda, deinde si natura non feret, ut quedam imitari pos-
sint, ut superioris filius Affricani qui hunc Paulo natum adop-
tavit propter infirmitatem valitudinis non tam potuit patri similis
esse quam ille fuerat sui. Si igitur non poterit sive causas defensitare,
sive populum contionibus tenere, sive bella gerere, illa tamen prestare
debebit que erunt in ipsius potestate: iusticiam, fidem, liberalitatem,
modestiam, temperanciam, quo minus ab eo id quod desit requiratur.
Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimo-
nio prestancior gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori
esse nephas et vicium iudicandum est. Et quoniam officia non eadem
disparibus etatibus tribuuntur, aliaque sunt iuvenum, alia seniorum,
aliquid eciam de hac distinctione dicendum est. De officio iuvenum

Est igitur adolescentis maiores natu vereri, exque hiis deli-
gere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctori-
tate nitatur. Ineuntis enim etatis inscicia senum constituenda
et regenda prudencia est. Maxime autem hec etas a libidinibus
arcenda est, exercendaque in labore paciencia et animi et corporis,
ut eorum et in bellicis et civilibus officiis vigeat industria. Atque et

Cum relaxare animos et dare se iocunditati volent caveant
intemperantiam meminerint verecundie quod erit facilius
si in eiusmodi quidem rebus maiores natu interesse velint. De officio senum

Senibus autem labores corporis sunt minuendi exercita-
tiones animi etiam augende videntur. Danda vero
opera ut et amicos et iuventutem et maxime rem p. consi-
lio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nichil autem magis caven-
dum est senectuti quam ne languori se desidieque dedat. Luxuria vero
cum omni etati turpis tum senectuti fedissima est. Si autem
et libidinum intemperantia accesserit duplex malum est quod et ipsa
senectus concipit dedecus et facit adolescentium impudentiorem
intemperantiam. De diversis diversarum personarum officiis

Ac ne illud quidem alienum est de magistratuum de privatorum
de civium de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium
munus magistratus intelligere se gerere personam civitatis
debereque eius dignitatem et decus sustinere servare leges iura
describere et ea fidei sue commissa meminisse. Privatum autem
oportet equo et pari cum civibus iure vivere neque summissum
et abiectum se offerentem tum in re p. ea velle que tranquilla et
honesta sint. Talem enim et sentire et bonum civem dicere solemus.
Peregrini autem et incole officium est nichil preter suum negotium agere
nichil de alio inquirere minimeque in aliena esse re p. curiosum.
Ita fere officia reperientur cum queretur quid deceat et quid
aptum sit personis temporibus etatibus. Nichil est autem quod tam dece-
at quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare con-
stanciam. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis et dictis in
corporis denique motu et statu cernitur idque positum est in tribus
rebus formositate ordine ornatu ad actionem apto diffici-
lius ad eloquendum sed satis facile erit intelligi. In his
autem tribus continetur cura etiam illa ut probemur ab his qui-
buscum apud quosque vivamus. His quoque de rebus pauca dica-
ntur. Vetera. Que dictu gestuque abhorrere debeamus

Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur ha-
buisse rationem que formam nostram reliquamque figuram in qua
esset species honesta eam posuit in promptu. Que autem partes
corporis ad nature usum date aspectum essent deforme
habiture atque forma eas contexit atque abdidit. Hanc nature
tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Que
enim natura occultavit eadem omnes qui sana mente sunt re-
movent ab oculis ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime
pareant. quarumque partium corporis usus sunt necessarii eas neque

Partes neque earum usus suis nominibus appellant: quodque facere
non est turpe modo occulte id dicere obscenum est. Itaque nec actio
rerum illarum aperta petulantia vacat nec oracionis obscenitas
Nec vero audiendi sunt cinici si qui fuerunt stoici pene cini-
ci qui reprehendunt et irrident quod ea que turpia re non sunt verbis
flagiciosa dicamus. Illa autem que turpia sunt nominibus appellemus
suis latrocinari fraudare adulterari turpe est sed dicitur
non obscene liberis dare operam re honestum est nomine ob-
scenum pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam
disputantur. Nos autem naturam sequamur et ab omni quod abhorret
oculorum auriumque comprobacione fugiamus. Status incessus sessio
accubacio vultus oculi manuum motus teneat illud decorum. Qui-
bus in rebus duo sunt maxime fugienda ne quid effeminatum
aut molle aut ne quid durum aut rusticum sit. Nec vero
histrionibus oratoribusque concedendum est ut hijs hec apta
sint nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantum habet
veteris discipline verecundiam ut in scenam sine subligaculo
prodeat nemo. Verentur enim ne si quo casu evenerit ut cor-
poris partes quedam aperiantur aspiciantur non decore. Nostro quidem
more cum parentibus puberes filii cum soceris generi non lavantur.
Retinenda igitur est huius generis verecundia presertim natura ipsa
magistra et duce

De duobus generibus pulcritudinis

Cum autem pulcritudinis duo genera sint quorum in altero
venustas sit in altero dignitas venustatem muliebrem
ducere debemus dignitatem virilem. Ergo et a forma re-
moveatur omnis viro non dignus ornatus. Et huic simile vicium
in gestu motuque caveatur. Nam et palestrici motus sepe sunt odio-
siores et histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant. et in
utroque genere que sunt recta et simplicia laudantur. Forme autem
dignitas coloris bonitate tuenda est. Color exercitacionibus corporis.
Adhibenda est preterea mundicia non odiosa neque exquisita nimis
tantumque fugiat agrestem et inhumanam negligenciam. Eadem
racio est habenda vestitus in quo sicut in plerisque rebus medio-
critas optima est. Cavendum est autem ne aut tarditatibus uta-
mur ingressu mollioribus ut similes pomparum ferculis esse
videamur aut in festinacionibus suscipiamus nimias celeritates
Que cum fiunt anhelitus moventur vultus mutantur ora torquen-
tur ex quibus magna significacio fit non adesse constanciam. Sed
multo eciam magis elaborandum est ne animi motus a natura
recedant. Quod assequemur si cavebimus ne in perturbaciones
atque exanimaciones incidamus et si attentos animos ad decoris

Consuetam tenebimus. **De duobus motibus animi**

Motus autem animorum duplices sunt · alteri cogitationis ·
alteri appetitus Cogitatio in vero exquirendo maxime ver-
satur Appetitus impellit ad agendum Curandum est igitur
ut cogitatione ad res quam optimas utamur Appetitum rationi obe-
dientem prebeamus Et quoniam magna vis orationis est · eaque
duplex · altera contentionis · altera sermonis Contentio disceptati-
onibus tribuatur iudiciorum · contionum senatus Sermo in circulis ·
disputationibus · congressionibus familiarium versetur · sequatur
etiam convivia Contentionis precepta rethorum sunt · nulla ser-
monis · quamquam haud scio · an possint hec quoque esse Sed discentium stu-
diis inveniuntur magistri · Huic autem qui studeant sunt nulli
rhetorum turba referta omnia · quamquam que verborum sententiarumque
precepta sunt · eadem ad sermonem pertinebunt Sed cum orationis
indicem vocem habeamus In voce autem duo sequamur ·
ut clara sit · ut suavis · Utrumque omnino a natura petendum
est · Verum alterum exercitatio augebit · alterum imitatio
presse loquentium et leniter Nichil fuit in catulis · ut eos ex-
quisito iudicio putares uti vel rarum · quamquam erant litterati ·
sed et alii Hii autem optime uti lingwa latina putabantur ·
Sonus erat dulcis · littere neque expresse · neque oppresse · ne aut
obscurum esset · aut nimis putidum · sine contentione vox
nec languens nec canora · Uberior oratio L crassi nec
minus faceta Sed bene loquendi de catulis opinio non maior
Sale vero conditus et facetus · Cesar catuli patris frater vicit
omnes · ut in ipso illo forensi genere dicendi · contentiones aliorum
sermone vinceret In omnibus igitur hiis elaborandum est · si in omnibus
quid deceat exquirimus **De sermone ac voce**

Sit igitur hic sermo in quo socratici maxime vigent le-
nis minimeque pertinax · insit in eo lepos Nec vero tamquam
in possessionem venerit · excludat alios Sed cum reliquis
in rebus · tum in sermone communi · vicissitudinem non iniquam
putet Ac videat in primis · quibus de rebus loquatur
Si seriis seriis · severitatem adhibeat · si iocosis leporem In
primis provideat · ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus
Quod maxime tum solet evenire · cum studiose de absentibus
detrahendi causa · aut per ridiculum · aut severe · maledice ·
contumeliose que dicitur Habentur autem plerumque sermones ·
aut de domesticis negociis · aut de re p. · aut de artium studiis
et doctrina Danda igitur opera est ut si et aberrare ad
alia ceperit · ad hec revocetur oratio Sed utcumque aderunt

neque enim isdem de rebus nec in omni tempore nec similiter delectamur)
Animadvertendum est etiam quatenus sermo delectationem habeat.
et ut incipiendi ratio fuerit ita sit desinendi modus. Sed quo modo in omni
vita rectissime precipitur ut perturbationes fugiamus. id est motus
animi nimios. rationi non obtemperantes. sic eiusmodi motibus
sermo debet vacare. ne aut ira existat aut cupiditas aliqua. aut pi-
gritia. aut ignavia. aut tale quid appareat Maximeque curandum
est ut eos quibus cum sermonem conferimus. et vereri et diligere
videamur. Obiurgationes etiam nonnumquam incidunt necessarie
In quibus utendum est fortasse. et vocis contentione maiore
et verborum gravitate acriore Id agendum etiam est ut ne
ea facere videamur irati. sed ut ad urendum et secandum sic ad
hoc genus castigandi raro invitique veniemus Nec umquam
nisi necessario si nulla reperietur alia medicina Sed tamen
ira procul absit. cum qua nihil recte fieri. nihil considerate
potest. Magna autem parte clementi castigatione licet uti gravitate
tamen adiuncta. ut severitas adhibeatur. et contumelia re-
pellatur Atque etiam illud ipsum. quod acerbitatis habet obiurgatio.
significandum est ipsius causa. qui obiurgetur susceptum esse.
Rectum est autem etiam in illis contentionibus que cum inimicissimis
fiunt. etiam si nobis indigna audiamus. tamen gravitatem retine-
re iracundiam repellere Que enim cum aliqua perturbatione fiunt
neque constanter fieri possunt. nec ab hiis qui adsunt approbari
Deforme etiam est. de se ipso predicare. falsa presertim. et cum
irrisione audientium imitari militem gloriosum. De principum

Et quoniam omnia persequimur (edibus ac domibus privatorum
volumus quidem certe) dicendum est etiam. qualem hominis
honorati et principis domum placeat esse. cuius finis est
usus ad quem accommodanda est edificandi descriptio. et tamen
adhibenda dignitatis commoditatisque diligentia. Cn. Octavio qui
primus ex illa familia consul factus est. honori fuisse accepimus.
quod preclaram edificasset in palatio. et plenam dignitatis domum.
que cum vulgo viseretur. suffragata domino novo homini
ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus acces-
sionem adiunxit edibus. Itaque ille in suam domum consulatum
primus attulit. Hic summi et clarissimi viri filius. in domum
multiplicatam non repulsam solum rettulit. sed ignominiam
et calamitatem. Ornanda enim est dignitas domo non ex tota
domo querenda. nec domo dominus. sed domino domus honestanda
est Et ut in ceteris habenda ratio non sua solum. sed etiam aliorum
sic in domo clari hominis in qua et hospites multi recipiendi. et

Admittenda hominum cuiusque generis multitudo adhibenda cura
est laxitatis Aliter ampla domus dedecori domino sepe fit. si
est in ea solitudo. et maxime si aliquando alio domino solita est fre
quentari. Odiosum est enim cum a pretereuntibus dicitur O domus anti
qua heu quam dispari domino dominaris. quod quidem hiis temporibus
in multis licet dicere. Cavendum est etiam presertim si ipse edifi
ces. ne extra modum sumptu et magnificencia prodeas. In quo genere
multum mali etiam in exemplo est. Studiose enim plerique pre
sertim in hac parte facta principum imitantur ut Lucii Luculli summi
viri. virtutem quis; quam multi villarum magnificenciam imitati sunt.
Quarum quidem certe est adhibendus modus. ad mediocritatem
que revocandus. eademque mediocritas ad omnem usum cultumque
vite referenda est. Sed hec hactenus.

Tria generalia in omni actione observanda

In omni autem actione suscipienda tria sunt
tenenda. Primum ut appetitus racioni pareat. quo nichil est ad
officia conservanda accione accomodatius. Deinde ut animadvertatur
quanta illa res sit. quam efficere velimus. neu maior neve
minor cura et opera suscipiatur. quam causa postulet. Tercium
est ut caveamus. ut ea que pertinent ad liberalem speciem et dignitatem
moderanda sint. Modus autem est optimus. decus ipsum tenere
de quo ante diximus. nec progredi longius. Horum autem trium
prestantissimum est. appetitum obtemperare racioni

De tercio ordine et tempore oportunitate

Deinceps de ordine rerum et de opportunitate
temporum dicendum est. Hec autem sciencia
continetur ea quam greci EVTAXIAN nominant. Non hanc
quam interpretamur modestiam. quo in verbo modus inest. Sed
illa est eutaxia in qua intelligitur ordinis conservacio Itaque
ut eandem nos modestiam appellemus sic diffinitur a stoicis.
ut modestia sit sciencia earum rerum. que agentur aut dicentur.
loco suo collocandarum. Itaque videtur eadem vis ordinis et col
locacionis fore Nam et ordinem sic diffiniunt. composicionem rerum
aptis et accomodatis locis. Locum autem accionis opportunitatem
temporis esse dicunt. Tempus autem accionis opportunum greece
EVKAIRIA latine appellatur occasio. Sic fit. ut modestia hec.
quam interpretamur ita ut dixi. sciencia sit opportunitatis idoneorum
ad agendum temporum. Sed potest esse eadem prudencie dif
finicio. de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderacione
et temperancia et aliis similibus virtutibus querimus. Itaque que
erant prudencie propria. suo loco dicta sunt. Que autem harum
virtutum de quibus iam diu loquimur. que pertinent ad verecun
diam et ad eorum approbacionem. quibuscum vivimus. nunc

Dicenda sunt

De verecundie officiis

Talis est igitur ordo actionum adhibendus. ut quemadmodum
in oratione constanti. sic in vita sint omnia inter se apta et
convenientia. Turpe est enim valdeque viciosum in re severa
convivio dignum. aut delicatum. aliquem inferre sermonem. bene Pericles
cum haberet collegam in pretura Sophoclem. hiique de communi of-
ficio convenissent. et casu formosus puer preteriret. dixitque Sopho-
cles. O puerum pulcrum Pericle. At enim pretorem Sophocle decet
non solum manus. sed et oculos abstinentes habere. Atque hoc idem So-
phocles. si in athletarum approbatione dixisset. iusta reprehensione
caruisset. Tanta vis est et loci et temporis. ut si quis cum causam
sit acturus in itinere. aut in ambulatione. secum ipse meditetur.
aut si quid aliud attentius cogitet. non reprehendatur. At hoc
idem si in convivio faciat. inhumanus videatur inscicia temporis.
Sed ea que multum ab humanitate discrepant. ut si quis in foro cantet.
aut si qua est alia magna perversitas. facile apparent. nec magno-
pere admonitionem et precepta desiderant. Que autem parva vi-
dentur esse delicta. neque a multis intelligi possunt. ab hiis est
diligentius etiam declinandum. Ut in fidibus aut in tibiis. quamvis
paulum discrepent. tamen id a sciente animadverti solet. Sic vi-
dendum est in vita. ne forte quid discrepet. Vel multo etiam
magis. quo maior et melior actionum quam sonorum concentus est.
Itaque ut in fidibus musicorum aures vel minima senciunt. sic nos si
acres ac diligentes esse volumus. animadversoresque viciorum.
magna intelligemus sepe ex parvis. Ex oculorum obtutu. super-
ciliorum aut remissione. aut contractione. ex mesticia. ex hi-
laritate. ex risu. ex locutione. ex reticencia. ex contentione vocis.
ex summissione. ex ceteris similibus facile iudicabimus. quid apte eorum
fiat. quid ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est inco-
modum. quale quidque eorum sit ex aliis iudicare. ut si quid
dedeceat in illis. vitemus et ipsi. Fit enim nescio quo ut magis in
aliis cernamus quam in nobis ipsis. si quid delinquitur. Itaque faci-
lime corriguntur in discendo. quorum vicia imitantur emen-
dandi causa magistri.

Docti peritique consultandi sunt

Nec vero alienum est ad ea eligenda que dubitationem afferunt. ad-
hibere doctos homines. vel etiam usu peritos. et quid hiis de
uno quoque genere officii placeat exquirere. Maior enim pars eo
fere deferri solet. quo a natura ipsa deducitur. In quibus videndum
est. non modo quid quisque loquatur. sed etiam quid quisque senciat. atque
etiam de qua causa quisque senciat. Ut enim pictores et hii qui
signa fabricant. et vero etiam poete. suum quisque opus a vulgo

Considerari vult. ut si quid reprehensum sit a pluribus id corrigat
hijs que secum et tum aliis quid in eo peccatum sit exquirunt. Sic
aliorum iudicio. per multa nobis facienda et non facienda. et
mutanda et corrigenda sunt. Que vero more agimus. et institutis
civilibus. de hijs nihil est precipiendum. Illa enim ipsa precepta sunt.
nec quemque hoc errore duci oportet. ut si quid Socrates aut Aris-
tippus contra morem consuetudinemque civilem fecerunt. locuti-
sunt. idem sibi arbitretur licere. Magnis illi et divinis bonis
hanc licentiam consequebantur. Cinicorum vero ratio tota est
eicienda. Est enim inimica verecundie. sine qua nihil rectum esse
potest. nihil honestum. Eos autem quorum vita perspecta in rebus
honestis atque magnis est bene de re publica sentientes. at bene meritos
aut merentes. aliquo honore aut imperio affectos observare
et colere debemus. Tribuere etiam multum senectuti. cedere
hijs qui magistratum habebunt. habere delectum civis et
peregrini. in ipso que peregrino privatim ne an publice. Ad summam
ne agam de singulis. communem totius generis hominum conciliationem. cole-
re tueri. servare debemus.

De questibus artibusque honestis et inhonestis

Nam de artificijs. et questibus qui liberales habendi. qui sor-
didi sint hec fere accepimus. Primum improbantur hij
questus qui in odia hominum incurrunt. ut portitorum ut fene-
ratorum. Illiberales autem et sordidi questus mercenariorum
omnium. quorum opere. non quorum artes emuntur. Est enim
in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam
putantur qui mercantur a mercatoribus. quod statim vendant.
Nihil enim proficiunt. nisi admodum mentiantur. Nec vero
est quicquam turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida ar-
te versantur. Nec vero quicquam ingenuum potest habere
officina. Minimeque artes he laude. que ministre sunt vo-
luptatum. Cetarii. lanii. coqui. fartores. piscatores. ut
ait Terentius. Adde hijs si placet unguentarios. saltatores.
totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia
maior inest. aut non mediocris utilitas queritur. ut medi-
cina. architectura. ut doctrina rerum honestarum. hee sunt
(hijs quorum ordini conveniunt) honeste. Mercatura autem si
tenuis est. sordida putanda est. Sin magna et copiosa. multa
undique apportans. multisque sine vanitate impertiens. non est
ad modum vituperanda. Atque etiam si satiata questu vel contenta
potius. ut sepe ex alto in portum. ex ipso portu se in agros
possessionesque contulerit. videtur iure optimo posse laudari.
Omnium autem rerum. ex quibus aliquid exquiritur. nihil est agricultura

Melius. nil uberius. nil dulcius. nil libero homine dignius
De qua quoniam in catone maiore satis multa diximus. illinc as-
sumes que ad hunc locum pertinebunt

Comparatio duorum honestorum

Sed ab hiis partibus que sunt honestatis
quemadmodum officia ducerentur. satis expositum
videtur Eorum autem ipsorum que honesta sunt. potest
incidere sepe contentio et comparatio de duobus honestis. utrum
magis honestum. Qui locus a panetio est pretermissus Nam cum
omnis honestas manet in partibus quatuor. quarum una sit cog-
nitionis. altera communitatis. tercia magnanimitatis. quarta
moderationis. hec in deligendo officio sepe inter se comparentur
necesse est Placet igitur aptiora esse nature ea officia que ex com-
munitate. quam ea que ex cognitione ducuntur Idque hoc argumento
confirmari potest. Quod si contigerit ea vita sapienti. ut omnium
rerum affluentibus copiis Dicetur. quamvis ea que cognitione digna
sunt. summo ocio secum ipse consideret. et contempletur.
Tamen si solitudo tanta sit. ut hominem videre non possit.
excedat e vita Princepsque omnium virtutum est illa sapiencia
quam sophiam greci vocant Prudenciam enim quam greci
fronesin aliam quandam intelligimus. que est rerum
expetendarum fugiendarumque sciencia. Illa autem sapiencia
quam principem dixi rerum. est divinarum atque humanarum
sciencia. in qua continetur deorum et hominum communitas. et so-
cietas inter ipsos. Ea si maxima est (ut est) certe necesse est
quod a communitate ducitur officium id esse maximum Etenim cog-
nitio contemplatioque nature manca quodammodo atque inchoa-
ta sit. si actio nulla rerum consequatur. Ea vero actio in ho-
minum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad
societatem generis humani. ergo hec cognitioni anteponenda
est Atque id optimus quisque re ipsa ostendit et iudicat. Quis est
enim tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura.
ut si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas
subito sit allatum periculum. discrimenque patrie. cui subvenire
opitularique possit. non illa omnia relinquat atque abiciat. etsi
dinumerare se stellas. aut metiri mundi magnitudinem pos-
se arbitretur Atque hoc idem in parentis. in amici re. aut pe-
riculo fecerit. Quibus rebus intelligitur. studiis officiisque sciencie.
preponenda esse officia iusticie. que pertinet ad hominum utilitatem.
qua nichil homini debet esse antiquius Atque illi quorum stu-
dia vitaque omnis in rerum cognitione versata est. tamen ab
augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt Nam

Ergo iusticia honestior est prudencia Nam ea cum solitudine [illegible] hominum [illegible] principes [illegible] aliud argumentum prudenciam esse aliud Sapienciam quod [illegible] iusticiam [illegible] prudenciam [illegible] maiorem honestatem

Quasi arguit ita [illegible] Sapiencia est divinarum rerum et humanarum sciencia [illegible] est [illegible] ad [illegible] Quod autem [illegible] utilitate magis [illegible] in defendenda utilitate hominum que est iusticia [illegible] est preponenda sciencie

[illegible] probat quod prima [illegible] diceret

et erudire multos quo meliores cives utilioresque in rebus suis
publicis essent. ut thebanum Epaminundam lisias pitagoreus.
siracusium dionem plato multique multos. Nosque ipsi quicquid
ad rem publicam attulimus (si modo aliquid attulimus) a
doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus
Neque solum vivi atque presentes studiosos discendi erudiunt
atque docent. sed hoc idem etiam post mortem monumentis
literarum assequuntur Nec enim locus ullus pretermissus est
ab hiis qui ad leges. qui ad mores. qui ad disciplinam rei publice
pertineret ut ocium suum ad nostrum negocium contulisse videantur
Ita illi ipsi doctrine studiis et sapientie deditis. ad ominum uti-
litatem suam prudentiam intelligentiamque potissimum con-
ferunt Ob eam etiam causam eloqui copiose modo prudenter
melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare. quod
cogitatio in se ipsa vertitur Eloquentia complectitur eos quibus-
cum communitate iuncti sumus Atque ut apium examina non fingen-
dorum favorum causa congregantur. sed cum congregabilia natura
sint. fingunt favos. sic homines ac multo etiam magis natura
congregati. adhibent agendi cogitandique solertiam Itaque
nisi virtus que constat ex hominibus tuendis. id est ex societate
generis humani attingat cognitionem rerum. solivaga cogni-
tio et ieiuna videatur Itemque magnitudo animi remota com-
munitate coniunctioneque humana. feritas sit quedam et immanitas
Ita fit ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque
communitas Nec verum est quod dicitur a quibusdam propter
necessitatem vite. quod ea que natura desideraret consequi sine aliis
atque efficere non possemus idcirco istam esse cum hominibus commu-
nitatem et societatem Quod si omnia nobis que ad victum cultumque
pertinent quasi virgula divina ut aiunt suppeditarentur tum op-
timo quisque ingenio negotiis omnibus omissis totum se in cogni-
tione et scientia collocaret Non est ita Nam et solitudinem fugeret
et socium studii quereret. tum docere tum discere vellet tum audire
tum dicere Ergo omne officium quod ad coniunctionem hominum et ad
societatem tuendam valet anteponendum est illo officio quod
cognitione et scientia continetur Illud forsitan querendum
sit. num hec communitas. que maxime est apta nature. sit et
moderationi modestieque semper anteponenda Non placet
Sunt enim quedam ita feda. partim ita flagitiosa. ut ea ne
conservande quidem patrie causa sapiens facturus sit Ea Possido-
nius collegit permulta. sed ita tetra quedam ita obscena. ut
dictu quoque videantur turpia Het igitur non suscipiet quisque

Rei publice causa. ne res p. quidem per se suscipi volet. Sed hoc commodius se res habet quod non potest accidere tempus ut intersit rei p. quicquam illorum facere sapientem. Quare hoc quidem effectum sit in officiis deligendis hoc genus officiorum excellere quod teneatur hominum societate. Etenim cognicionem prudentiamque sequatur considerata actio. Ita fit ut considerate agere pluris sit quam cogitare prudenter. Atque hec quidem hactenus. Patefactus est enim locus ipse ut non sit difficile in exquirendo officio quid cuique sit preponendum videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum ex quibus quid cuique prestet intelligi possit. ut prima diis immortalibus, secunda patrie, tercia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest non solum id homines solere dubitare honestumne an turpe sit. sed eciam duobus propositis honestis utrum honestius. Hic locus a panecio est ut supra dixi pretermissus. Sed iam ad reliqua pergamus.

Marci Tulii Ciceronis de officiis liber finitur primus. Marci Tulii Ciceronis latine eloquencie principis de officiis liber secundus. Prefacio in librum secundum.



uemadmodum officia ducerentur ab honestate (Marce fili) atque ab omni genere virtutis satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur ut hec officiorum genera persequar que pertinent ad vite cultum. tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile. ut ad earum rerum quibus utuntur homines facultatem. ut ad opes. ad copias. In quo tum queri dixi. quid utile. quid inutile. De quibus dicere aggrediar si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero. Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed eciam ad scribendi studium excitaverint. tamen interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophie nomen sit invisum. mirenturque in ea tantum me opere et temporis ponere. Ego autem quamdiu res p. per eos regebatur quibus se ipsa commiserat. omnes meas curas cogitacionesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur. neque esset usquam consilio aut auctoritati locus. socios denique tuende rei p. summos viros amisissem. nec me angoribus dedidi quibus essem confectus nisi hiis restitissem. nec rursum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam res p. stetisset quo ceperat statu. nec in homines non tam commutandarum rerum quam evertendarum

Quare estimabam [illegible] esse philozophandum [illegible] primo in causis forensibus et senatui versarer

Hic [illegible] Cesar [illegible] statum rei p. [illegible] solus imperaret

Cupidos incidisset. Primum enim ut stante re p. facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo opere poneremus. Deinde ipsis scriptis non ea que nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut sepe fecimus. Cum autem res p. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, ille s. littere conticuerunt forenses et senatorie. Nihil autem cum agere animus non posset, in studiis ab initio versatus etatis existimavi honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adolescens discendi causa temporis tribuissem, posteaquam honoribus inservire cepi meque totum rei p. tradidi, tantum erat philosophie loci, quantum superfuerat amicorum et rei p. temporis; id autem omne consumebatur in legendo, scribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, que nec satis erant nostris et erant cognitione dignissima. Quid est enim per deos optabilius sapientia, quid prestantius, quid homine melius, quid homine dignius? Hanc qui expetunt igitur philosophi nominantur. Nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientie. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis diffinitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque quibus hee res continentur scientia, cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo quidnam sit quod laudandum putet. Nam sive oblectatio queritur animi requiesque curarum, que conferri cum eorum studiis potest qui semper aliquid acquirunt quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? Sive ratio constantie virtutisque queritur, aut hec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea queretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed hec cum ad philosophiam cohortamur accuratius solent disputari, quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati rei p. muneribus ad hoc nos studium potissimum contulissemus. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis querentibus, satisne constanter facere videamur, qui cum percipi nichil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus et hoc ipso tempore precepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus hii quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam quod sequatur. Que enim esset ista mens vel que vita potius non solum disputandi sed etiam vivendi ratione sublata. Nos autem ut ceteri qui alia certa

Alia incerta esse dicunt. sic ab hiis dissentientes. alia probabilia
contra alia dicimus. Quid est ergo quod me impediat. ea que michi
probabilia videantur sequi. que contra improbare. atque affirman-
di arrogantiam vitare. fugere temeritatem. que a sapiencia
dissidet plurimum. Contra autem omnia disputantur a nostris. quod hoc
ipsum probabile elucere non possit. nisi ex utraque parte causarum esset
facta contencio. Sed hec explanata sunt in achademicis meis
satis. ut arbitror. diligenter. Tibi autem mi Cicero quamquam in
antiquissima nobilissimaque philosophia Cratippo auctore versaris hiis
similem. qui ista preclara pepererunt. tamen hec mea finitima vestris
ignota esse nolui. Sed iam ad instituta pergamus. De utili:—

Quinque autem rationibus propositis officii persequendi. quarum
due ad decus honestatemque pertinent. due ad commoda
vite. copias. opes. facultates. quinta ad eligendi
iudicium. si quando ea que dixi pugnare inter se videntur. Ho-
nestatis pars perfecta est. quam quidem tibi cupio esse notissimam.
Hoc autem de quo nunc agimus. id ipsum est quod utile appellatur.
In quo verbo lapsa consuetudo deflexit de via. sensimque eo
deducta est. ut ab honesto utile secerneret. et constitueret hones-
tum aliquod quod utile non esset. et utile quod non honestum. qua
nulla pernicies maior hominum vite potuit afferri. Summa quidem
auctoritate philosophi. severe. sane atque honeste. hec tria genera
confusa. cogitatione distinguunt. Quicquid enim iustum sit.
id utile etiam esse censent. Itemque quod honestum. id esse iustum.
ex quo efficitur. ut quicquid honestum sit. id sit utile. Quod
qui parum perspiciunt. hii sepe versutos homines et callidos.
admirantes. eorum maliciam sapienciam iudicant. Quorum
error eripiendus est. omnisque opinio ad eam spem traducenda.
ut honestis consiliis. iustisque factis. non fraude et malicia se intel-
ligant ea que velint consequi posse. Que ergo ad vitam hominum
tuendam pertinent. partim sunt inanimata. ut aurum argentum.
ut ea que gignuntur e terra. ut alia eiusdem generis. partim animata.
que habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem
alia rationis expertia sunt. alia ratione utentia. Expertes rationis.
equi. boves. reliqueque pecudes. apes. quarum opere efficitur
aliquid ad usum hominum. atque vitam. Ratione autem utentium
duo genera ponuntur. unum deorum. alterum hominum. Deos placatos
pietas efficiet. et sanctitas. Proxime autem et secundum deos.
homines hominibus maxime utiles esse possunt. Earumque item
rerum que noceant et obsint eadem divisio est. Sed quia
deos nocere non putant. hiis exceptis homines hominibus plurimum

Obesse vel prodesse arbitrantur. Ea enim ipsa que inanimata
dicimus. pleraque sunt hominum effecta operis. que nec habemus
nisi manus et ars accessissent. nec hiis sine hominum administratione
uteremur. Neque enim valitudinis curatio neque navigatio. neque
agricultura. neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et
conservatio. sine opera hominum ulla esse potuisset. Iam vero
et earum rerum quibus abundaremus exportatio. et earum
quibus egeremus invectio certe nulla esset, nisi hiis muneribus
homines fungerentur. Eademque ratione. nec lapides exciderentur
a terra ad usum nostrum necessarii. nec ferrum. aurum et argentum ef-
foderentur penitus abditum. sine hominum labore et manu. Tecta vero
quibus et frigorum vis pelleretur. et calorum molestie sedarentur
unde autem initio generi humano dari potuisset. aut postea sub-
venire. si autem in tempestate aut in terre motu. aut vetustate
cecidissent. nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia pete-
re didicisset. Adde ductus aquarum. derivationes fluminum. agrorum
irrigationes, moles oppositas fluctibus. portus manu factos. que
unde sine hominum opere habere possemus. Ex quibus omnibus multisque
aliis perspicuum est. qui fructus. queque utilitates. ex rebus hiis que sint
inanimate percipiantur. eas nos nullo modo sine hominum manu atque
opera capere potuisse. Quid denique ex bestiis fructus, aut que com-
moditas. nisi homines adiuvarent. percipi posset. Nam et qui prin-
cipes inveniendi fuerunt. quem ex quaque belua usum habere pos-
semus homines certe fuerunt. Nec hoc tempore sine hominum opera.
aut pascere equos. aut domare. aut tueri. aut tempestivos fructus
ex hiis capere possemus. Ab eisdemque et ea que nocent inter-
ficiuntur. et que usui possunt esse capiuntur. Quid enumerare artium
multitudinem. sine quibus vita omnino nulla esse potuisset. Quid
enim egritudini subvenisset. que esset oblectatio valentium. qui victus
aut cultus. nisi tam multe. nobis artes ministrarentur. Quibus
rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum
Urbes vero sine hominum cetu. non potuissent nec edificari nec
frequentari. Ex quo leges moresque constituti. tum iuris equa descriptio
certaque vivendi disciplina. per quas bene beateque vivitur. quas
res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est. effectum-
que est. ut esset vita munitior. atque ut dando et accipiendo. et
mutuandisque facultatibus et commodis. nulla re egeremus. Longiores
hoc loco sumus quam necesse est. Quis est enim cui non perspicua sint
illa. que pluribus verbis a Panetio commemorantur. neminem neque
ducem bello, nec principem domi. magnas res et salutares sine ho-
minum studiis gerere potuisse. Commemoratur ab eo Themistocles

Ostendit homines hominibus magis esse utiles et [illegible]

derivationes a toto [illegible]
derivamus vero a parte

Magna moles [illegible]

Pericles Cirus Argesilaus Alexander · quos negat sine ad
iumentis hominum tantas res efficere potuisse · Utitur in re non
dubia · testibus non necessarijs · Atque ut magnas utilitates
adipiscimur conspiratione hominum atque consensu · sic nulla tam
detestabilis pestis est · que non homini ab homine nascatur ·
Est Dicearchi liber de interitu hominum · Peripathetici magni
et copiosi · qui collectis ceteris causis eluuionis pestilentie · vasti
tatis · beluarum etiam repentine multitudinis · quarum impetu
docet quedam hominum genera esse consumpta · Deinde comparat ·
quanto plures deleti sunt homines · hominum impetu · bellis aut
sedicionibus · quam omni reliqua calamitate · Virtutis proprium quid sit

Cum igitur hic locus nichil habeat dubitacionis · quin homines
plurimum hominibus · et prosint et obsint · proprium hoc statuo
esse virtutis · conciliare sibi animos hominum · et ad usus suos
adiungere · Itaque que rebus inanimatis · queque in tractacionem beluarum
fiunt · utiliter ad hominum vitam · artibus ea tribuuntur operosis ·
Hominum autem studia · ad amplificacionem nostrarum rerum · prompta
ac parata · virorum prestancium sapiencia et virtute excitantur ·
Etenim virtus omnis fere in tribus rebus vertitur · quarum
una est in perspiciendo · quid in quaque re verum · sincerumque sit ·
quid consentaneum cuique · quid consequens · ex quo queque gig
nantur · que cuiusque rei sit causa · Alterum cohibere motus animi
turbatos · quos Greci PAθOC nominant · Appeticionesque quas illi
ORMAC · obedientes efficere racioni · Tercium hijs quibuscum
congregamur · uti moderate et scienter · quorum studijs ea que
natura desiderat · expleta cumulataque habeamus · per eos de
nique si quid importetur nobis incommodi · propulsemus · ulciscamurque
eos qui nocere nobis conati sunt · tantaque pena afficiamus
quantam equitas humanitasque patitur · Quibus autem racionibus
hanc facultatem assequi possimus ut hominum studia com
plectamur · eaque teneamus · dicemus · neque ita multo post
sed pauca ante dicenda sunt · De vi ac magnitudine fortune

Magnam vim esse in fortuna in utramque partem · vel se
cundas ad res · vel adversas · quis ignorat · Nam et
cum prospero flatu eius utimur · ad optatos exitus
pervehimur · et cum reflavit affligimur · Hec igitur ipsa for
tuna · ceteros casus rariores habet · primum ab inanimatis ·
procellas · tempestates · naufragia · ruinas · incendia · Deinde
a bestijs · ictus · morsus · impetus · Hec igitur ut dixi rariora
At vero interitus exercituum ut proxime trium · sepe multorum
clades imperatorum · ut nuper summi ac singularis viri invidie

Preterea multitudinis atque ab eas bis meritorum sepe civium expulsiones calamitates fuge. Rursusque secunde res honores imperia victorie quanquam fortuita sunt tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. Modus qualiter nobis ad [illegible] valeant homines alliciantur

Hoc igitur cognito dicendum est quo modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Que si longior fuerit oratio cum magnitudine utilitatis comparetur. ita fortasse etiam brevior videbitur. Quecunque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum aut benivolentie gratia faciunt cum aliqua de causa quempiam diligunt aut honoris si cuius virtutem suspiciunt et si quem dignum fortuna quam amplissima putant. aut cui fidem habent et bene de rebus suis consulere arbitrantur. aut cuius opes metuunt. aut contra a quibus aliquid expectant. ut cum reges populares ve homines largitiones aliquas proponunt. aut postremo precio aut mercede ducuntur. Que sordidissima quidem est ratio et inquinatissima. et hiis qui ea tenentur et illis qui ad eam confugere conantur. Male enim se res habet cum quod virtute effici debet id temptatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam hoc subsidium necessarium est. quemadmodum sit utendum eo dicemus si prius hiis de rebus que virtuti propiores sunt dixerimus.

Atque etiam subiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Ducuntur enim aut benivolentia. aut beneficiorum magnitudine. aut dignitatis prestancia. aut spe sibi id utile futurum. aut metu ne vi parere cogantur. aut spe largitionis promissisque capti aut postremo (ut sepe in nostra re publica videmus) mercede conducti. Septem causas hic ostendit Cicero propter quas homines subiciunt se imperio alterius

Omnium autem rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi. nec alienius quam timeri. Preclare enim Ennius. Quem metuunt oderunt. quem quisque odit periisse expetit. Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere. si antea fuit ignotum. nuper est cognitum. Nec vero huius tyranni solum quem armis oppressa pertulit civitas interitus declarat. quantum vel odium hominum valeat ad pestem. Sed reliquorum similes exitus tyrannorum. quorum autem haud fere quisquam interitum similem subterfugit. Malus enim custos diuturnitatis metus. Contraque benivolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sed hiis qui vi oppressos imperio coercent. sit sane adhibenda sevicia ut heris in famulos. si aliter teneri non possunt. Qui vero in libera civitate ita se instruunt. ut metuantur. hiis nihil potest esse dementius. Quamvis enim demerse sunt leges alicuius opibus.

pravit tremefacta libertas. emergunt tamen hec aliquando. aut iudi-
ciis tacitis. aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem
morsus sunt intermisse libertatis quam retente. Quod igitur latis-
sime patet. neque ad incolumitatem solum sed etiam ad opes
et potentiam valet plurimum. id amplectamur. ut metus absit.
caritas retineatur. Ita facillime que volumus. et privatis in rebus
et in re publica consequemur. Etenim qui se metui volent. a quibus
metuentur. eosdem metuant ipsi necesse est. Quid enim
censemus superiorem illum dionisium. quo cruciatu timoris angi
solitum. qui cultros metuens tonsorios. candente carbone sibi
adurebat capillum. Quid alexandrum phereum. quo animo
vixisse arbitramur. qui ut scriptum legimus. cum uxorem theben
admodum diligeret. tamen ad eam ex epulis in cubiculum ve-
niens. barbarum. et eum quidem ut scriptum est compunctum no-
tis traciis. destricto gladio iubebat ante ire. premittebatque
de stipatoribus suis qui perscrutarentur arculas muliebres. et ne
quod in vestimentis occultaretur telum exquireret. O miserum qui
fideliorem et barbarum et stigmaticum putaret quam coniugem. Nec
eum fefellit opinio. Ab ea est enim ipse propter pelicatus suspitionem
interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta est. que premente
metu possit esse diuturna. Testis est phalaris cuius est preter
ceteros nobilitata crudelitas. qui non ex insidiis interiit. ut is quem
modo dixi alexander. Non a paucis. ut hic noster. sed in quem
universa agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid mace-
dones. nonne demetrium reliquerunt. universique se ad pirrhum
contulerunt. Quid lacedemones. iniuste imperantes. Nonne
repente omnes fere socii deseruerunt. spectatoresque se ociosos pre-
buerunt leuctrice calamitatis. Externa libentius in tali re quam do-
mestica recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi romani
beneficiis tenebatur. non iniuriis. bella aut pro sociis. aut de
imperio gerebantur. exitus erant bellorum aut mites. aut
necessarii. Regum. populorum. nationum. portus erat et refugium
senatus. Nostri autem magistratus imperatoresque. ex hac una re maxi-
mam laudem capere studebant. si provincias. si socios. equitate
et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terre. verius
quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et dis-
ciplinam iam antea minuebamus. Post vero sille victoriam pe-
nitus amisimus. Desitum est enim videri quicquam in socios iniquum. cum
extitisset etiam in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est
honestam causam. non honesta victoria. Est enim ausus dicere
hasta posita. cum bona in foro venderet. et bonorum virorum

et locupletium. et certe civium predam suam se vendere. Secutus
est qui in causa impia victoria etiam fediore non solum singulorum
civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno
calamitatis genere comprehenderet. Itaque vexatis ac perditis exteris
nationibus ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massi-
liam vidimus. et ex ea urbe triumphari. sine qua numquam nostri impera-
tores ex transalpinis bellis triumpharunt. Multa preterea
commemorarem nepharia in socios. sed hoc uno solo quicquam vi-
disset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum impu-
nita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta pervenisset licentia
A quo quidem rei familiaris ad paucos cupiditatum. ad multos
venit hereditas improbos. Nec vero umquam bellorum civilium
semen et causa deerit. dum homines perditi hastam illam cruen-
tam. et meminerint et sperabunt. Quia P. Silla cum vibrasset
dictatore propinquo suo, sexto tricesimo anno post a sceleratiore
hasta eadem non recessit. Alter autem qui in illa dictatura scriba
fuerat, in hac fuit questor urbanus. Ex quo debet intelligi talibus
premiis propositis numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis
modo stant et manent. hique ipsi iam extrema scelera metuentes
Rem vero publicam penitus amisimus. Atque in has clades inci-
dimus. Redeundum est enim ad propositum. dum metui quam cari esse
et diligi malumus. Que si populo romano iniuste imperanti
accidere potuerunt, quid debent putare singuli. **De caritate**
Quod cum perspicuum sit benivolentie **adipiscendi :-**
vim esse magnam. metus imbecillem. sequitur ut disse-
ramus quibus rebus possimus facillime. eam quam volu-
mus adipisci cum honore et fide caritatem. Sed ea non pariter
omnes egemus. Nam ad cuiusque vitam institutam accommodandum
est a multis ne opus sit an satis sit a paucis diligi. Certum igitur
hoc sit. idque et primum et maxime necessarium. familiaritates
habere fidas amantium nos amicorum. et nostra mirantium. Hec enim
est una res prorsus ut non differat multum inter summos et me-
diocres viros. eaque est utrisque prope modum comparanda. Honore
et gloria et benivolentia civium. fortasse non eque omnes
egent. Sed tamen si cui hec suppetunt. adiuvant aliquantum cum ad ce-
tera. tum ad amicicias comparandas. Sed de amicitia alio libro dic-
tum est. qui inscribitur Lelius. Nunc dicamus de gloria. quamquam
ea quoque de re duo sunt nostri libri. Sed attingamus. quando quidem
ea in rebus maioribus administrandis adiuvat plurimum. **De beni-**
Summa igitur et per- **volentie preceptis quod unum est allectamentum hominum ad utili-**
fecta gloria constat ex tribus hiis. Si diligit multitudo. si fidem **tates nostras**

Habet si cum admiratione quadam honore dignos putet. Hec
autem ut est simpliciter breviterque dicendum quibus rebus pa
riuntur a singulis eisdem fere a multitudine. Sed est alius
quoque quidam aditus ad multitudinem. ut in universorum animos
tamquam influere possimus. Ac primum de illis tribus que ante
dixi benivolentie precepta videamus. Que quidem capitur
beneficiis maxime. Secundo autem loco benefica voluntate be
nivolencia movetur etiam si res forte non suppetit. Vehementer
autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione
liberalitatis beneficentie iusticie fidei omniumque earum virtutum que pertinent
ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Etenim illud ipsum quod decorum
honestumque diximus. quia per se nobis placet animosque omnium na
tura et specie sua commovet maximeque quasi perlucet ex hiis quas com
memoravi virtutibus. idcirco illos in quibus eas virtutes esse remur.
a natura ipsa diligere cogimur. Atque hee quidem cause diligendi
gravissime. possunt enim preterea nonnulle esse leviores. Duplex
Fides autem ut habeatur duabus fidei acquisitio
rebus effici potest. si existimabimur adepti coniunctam cum iusti
cia prudentiam. Nam et hiis fidem habemus quos plus intelli
gere quam nos arbitramur. quosque et futura prospicere credimus.
et cum res agatur in discrimenque ventum sit expedire rem.
et consilium ex tempore capere posse. Hanc enim omnes existimant
utilem veramque prudentiam. Iustis autem et fidis hominibus id est
bonis. ita fides habetur. ut nulla sit in hiis fraudis iniurieque sus
picio. Itaque in hiis salutem nostram. hiis fortunas. hiis liberos rec
tissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem
faciendam iusticia plus pollet. quippe cum ea sine prudencia satis
habeat auctoritatis. prudencia sine iusticia nihil valet ad fa
ciendam fidem. Quo enim quis versucior et callidior. hoc invi
sior et suspectior. detracta opinione probitatis. Quamobrem intel
ligentie iusticia coniuncta quantum volet habebit ad facienda
fidem virium. Iusticia sine prudencia multum poterit. sine iusticia
nihil valebit prudencia. Sed ne quis sit admiratus cur cum
inter omnes philosophos constet. a meque ipso sepe disputatum sit. qui
unam haberet omnes habere virtutes. nunc ita seiungam. quasi pos
sit quisquam qui non idem prudens sit iustus esse. Alia est illa cum ve
ritas ipsa limatur in disputatione subtilitas. alia cum ad
opinionem omnem communis accomodatur oratio. Quamobrem ut volgus
ita nos hoc loco loquimur. ut alios fortes. alios viros bonos. alios
prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usi
tatis. cum loquimur de opinione populari. idque eodem modo fecit

Panetius. Sed propositum revertamur Erat igitur ex tribus
que ad gloriam pertineret hoc tertium ut cum admiratione ho-
minum honore ab hys digni iudicaremur. Admirantur com-
muniter igitur illi quidem omnia que magna et preter opinionem
suam animadverterunt. separatim autem in singulis si perspici-
unt quedam bona nec opinata. Itaque eos viros suspiciunt que-
dam bona. maximisque efferunt laudibus in quibus existimant se
excellentes quasdam et singulares virtutes perspicere. Despi-
ciunt autem eos et contemnunt in quibus nichil animi nichil
nervorum putant Non enim omnes eos contemnunt de quibus
male existimant Nam quos improbos. maledicos. fraudulen-
tos putant et ad faciendum iniuriam instructos. eos haud
contemnunt quidem sed de hys male existimant Quamobrem ut
ante dixi. contemnunt hy qui nec sibi nec alteri prosunt ut dicitur
in quibus nullus labor. nulla industria. nulla cura est. Admiratione
quadam afficiuntur hy qui ante ire ceteros virtute putantur
et cum omni carere dedecore. tu vero hys vitiis. quibus alii non
facile possunt obsistere. Nam et voluptates blandissime domine
maiores partes animi a virtute detorquent. et dolorum cum
admoventur faces preter modum. plerique exterrentur. vita. mors
divitie. paupertas. omnes homines vehementissime permovent
Que qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt.
cumque aliqua hys ampla et honesta res obiecta est. totosque ad se
convertit et rapit. tu quis non admiretur. splendorem pulcri-
tudinemque virtutis Ergo et hec animi despitientia admira-
bilitatem magnam facit. et maxime iusticia ex qua una vir-
tute viri boni appellantur mirifica quedam res multitudini vi-
detur Nec iniuria nemo enim iustus esse potest qui mortem
qui dolorem qui exilium qui egestatem timet aut qui ea que hys
sunt contraria equitati anteponit Maximeque admirantur eum
qui pecunia non movetur quod in quo viro perspectum sit hunc
dignum exspectatu arbitrantur Itaque illa tria que posita sunt
ad gloriam omnia iusticia conficit et benivolentiam quod prodesse
volt plurimis et ob eandem causam fidem et admirationem quod
eas res spernit et negligit. ad quas plerique inflamati avi-
ditate rapiuntur. Ac mea quidem sententia omnis ratio et insti-
tutio vite adiumenta hominum desiderat In primisque ut habeas
quibus cum possis familiares conferre sermones. quod est diffici-
le. nisi speciem prae te boni viri feras Ergo etiam solitario ho-
mini atque in agro vitam agenti. opinio iusticie necessaria est. eo quod
magis. quod si eam non habebunt. iniusti habebuntur Nullis

Presidiis septi multis afficientur iniuriis. Atque hiis etiam qui
vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis impli-
cantur iusticia ad rem gerendam necessaria est. Cuius tanta vis
est ut nec illi quidem qui maleficio et scelere pascuntur possint
sine ulla particula iusticie vivere. Nam qui eorum cuipiam qui
una latrocinantur furatur aliquid aut eripit is nec sibi in
latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipira-
ta dicitur nisi equabiliter predam dispertiat aut occidetur
a sociis aut relinquetur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur
quibus pareant quas observent. Itaque propter equabilem prede
partitionem Bargulus Illiricus latro de quo est apud Theopompum
magnas opes habuit et multo maiores Viriathus Lusitanus
cui quidem exercitus nostri imperatores cesserunt. Quem C. Lelius
is qui sapiens usurpatur pretor fregit et comminuit ferocitatemque
eius ita repressit ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur
tanta vis iusticie sit ut ea etiam latronum opes firmet atque au-
geat quantam eius vim inter leges et iudicia et instituta rei publice fore
putamus. Michi quidem non apud Medos solum ut ait He-
rodotus sed etiam apud maiores nostros fruende iusticie causa
videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur
inops multitudo ab hiis qui maiores opes haberent ad unum
aliquem confugiebant virtute prestantem qui cum prohiberet
iniuria tenuiores equitate constituenda summos cum infimis
pari iure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa
que regum. Ius enim semper quesitum est equabile. Neque
enim aliter esset ius. Id si ab uno iusto et bono viro consequeba-
ntur erant eo contenti. Cum id minus contingeret leges
sunt invente que cum omnibus una atque eadem voce loquerentur.
Ergo hoc quidem perspicuum est eos ad imperandum deligi so-
litos quorum de iusticia magna esset opinio multitudinis. Ad-
iuncto vero hoc ut idem etiam prudentes haberentur ni-
chil erat quod homines hiis auctoribus non posse consequi se ar-
bitrarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda iusticia est
tum ipsa propter se. Nam aliter iusticia non esset. Tum propter amplifi-
cationem honoris et glorie. Sed ut pecunie querende non solum
ratio est sed etiam collocande que perpetuos sumptus suppeditet
nec solum necessarios sed etiam liberales. Sic gloria querenda
et collocanda ratione est. Quamquam preclare Socrates hanc
viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat
esse si quis id ageret ut qualis haberi vellet talis esset.
Quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo

Dicit quod pecunia querenda et habenda est sicut et ipsa gloria

via Socratis est compendiaria ad gloriam

Sermone. sed etiam volunt stabilem se gloriam consequi posse. vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt. Nec simulatum potest quicquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem. sed brevitatis causa familia erimus contenti una. Tiberius enim gracchus Publii filius tamdiu laudabitur. dum memoria rerum romanorum remanebit. at eius filii nec vivi probabantur bonis et mortui numerum obtinent iure cesorum. Qui vero adipisci veram iusticie gloriam volent. iusticie fungantur officiis. Ea que essent: dictum est in libro superiore. Sed ut facillime quales simus. tales esse videamur. et si in eo ipso vis maxima est. ut simus hii qui haberi velimus. tamen quedam precepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte etate habet causam celebritatis et nominis. aut a patre acceptam (quod tibi mi tulli arbitror contigisse) aut aliquo casu atque fortuna. in hunc oculi omnium coniciuntur. atque in eo quid agat. quemadmodum vivat inquiritur. et tamquam in clarissima luce versetur. ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse nec factum. Quorum autem prima etas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione versatur. hii simul ac iuvenes esse ceperunt. magna spectare et ad ea rectis studiis debent contendere. quod eo firmiore animo facient. quia non modo non invidetur illi etati. verum etiam favetur. Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam. si qua ex bellicis rebus comparari potest. in qua multi apud maiores nostros extiterunt. semper enim fere bella gerebantur. Tua autem etas incidit in id bellum. cuius altera pars sceleris nimium habuit. altera felicitatis parum. Quo tamen in bello cum te Pompeius ale alteri prefecisset. magnam laudem et a summo viro et ab exercitu consequebare. equitando. iaculando. omni militari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter cum re publica cecidit. Mihi autem hec oratio suscepta non de te est. sed de genere toto. Quamobrem ad ea que restant pergamus.

Quod graciora sint que ingenio acquiruntur quam viribus acquisitis

Ut igitur in reliquis rebus multo maiora sunt opera animi quam corporis. sic hec res quas persequimur ingenio ac racione. graciores sunt quam ille quas viribus. Prima igitur commendacio proficiscitur a modestia cum pietate in parentes. in suos benivolencia. Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes. qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes rei publice contulerunt. Quibuscum si frequentes sunt. opinionem afferunt populo eorum fore se

Nota quod vera gloria sit stabilis, simulata vero sit caduca

Dantur precepta pro etate iuvenili quibus veram gloriam assequantur ... bellicis studiis et arte oratoria

Et si quis ... ad opera et ... aut alius

Dat precepta accedendi ad gloriam hiis qui ... sunt parentibus

Fuit autem bellum Pompeii et Cesaris ... Pompeio ... filius Ciceronis ...

Alas dicit esse ... Ciceroni a Pompeio

Similes quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum. Publii Rutilii
adolescentiam ad opinionem et innocentie et iuris scientie
Publii Mutii commendavit domus. Nam L. quidem Crassus cum
esset admodum adolescens non aliunde mutuatus est sed
sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et
gloriosa. Ex qua etate qui exercentur laudibus affici solent ut
de Demostene accepimus ea etate L. Crassus ostendit id
se in foro optime iam facere quod etiam tum poterat
domi cum laude meditari. Sed cum duplex sit ratio orationis
quarum in altera sermo sit in altera contentio. non est id dubium
quin contentio orationis maiorem vim habeat ad gloriam. ea
est enim quam eloquentiam dicimus. Sed tamen diffi-
cile dictu est quantopere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis.
Extant epistole et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cas-
sandrum et Antigoni ad Philippum filium trium pruden-
tissimorum (sic enim accepimus) quibus precipiunt ut ora-
tione benigna multitudinis animos ad benivolentiam alliciant
militesque blando appellando sermone deliniant. Que autem
in multitudine cum contentione habetur oratio ea sepe
universam excitat gloriam. Magna est enim admiratio
copiose sapienterque dicentis. quem qui audiunt intelligere
etiam et sapere plus quam ceteros arbitrantur. Si vero inest
in oratione mixta modestie gravitas vel admirabilius fieri
potest eoque magis si ea sunt in adolescente. Sed cum sint
plura causarum genera que eloquentiam desiderat. multique in
nostra re publica adolescentes et apud iudices et apud senatum di-
cendo laudem assecuti sunt. Maxima etiam admiratio est
in iudiciis. quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et
defensione constat. quarum etsi laudabilior est defensio tamen
etiam accusatio probata persepe est. Dixi paulo ante de Crasso.
Idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam P. Sulpicii elo-
quentiam accusatio illustravit cum seditiosum et inutilem civem
C. Norbanum in iudicium vocavit. Sed hoc quidem non est
sepe faciendum nec umquam nisi aut rei publice causa ut duo Lu-
culli aut patrocinio ut nos pro Siculis pro Sardis pro M. Albucio
Iulius. In accusando etiam Manlio L. Fusii cognita indus-
tria est. Semel igitur aut non sepe certe. Sin erit cui
faciendum sit sepius rei publice tribuat hoc muneris cuius inimi-
cos ulcisci sepe non est reprehendendum. modus tamen adsit.
Duri enim hominis vel potius vix hominis videtur peri-
culum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est tum etiam

Sordidum ad famam committere ne accusator nominetur. Quod con-
tingit M. Bruto summo genere nato illius filio qui iuris civilis
in primis peritus fuit. Atque etiam hoc preceptum officii dili-
genter tenendum est, ne quem umquam innocentem iudicio ca-
pitis arcessas. Id enim sine scelere fieri nullo pacto potest.
Nam quid est tam inhumanum quam eloquentiam a natura ad
salutem hominum et ad conservationem datam ad bonorum
pestem perniciemque convertere. Nec tamen ut hoc fugiendum
est, ita habendum est religioni nocentem aliquando, modo ne
nefarium impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur
consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est semper in causis
verum sequi, patroni nonnumquam verisimile, etiam si minus
sit verum defendere. Quod scribere, presertim cum de philosophia scri-
berem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum
Panetio. Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus
eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui pote-
ntis alicuius opibus circumveniri urgerique videtur. Ut nos
et sepe alias et adolescentes contra L. Sille dominantis opes pro
Sexto Roscio Amerino fecimus, que ut scis extat oratio. De benificentia et liberalitate

Sed expositis adolescentium officiis
que valeant ad gloriam adipiscendam, deinde de
beneficentia ac liberalitate dicendum est, cuius est ratio
duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia.
Facilior est hec posterior, locupleti presertim. Sed illa lautior
ac splendidior et viro forti claro que dignior. Quamquam
enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera
ex archa, altera ex virtute depromitur, largitioque que fit
ex re familiari fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita be-
nignitate benignitas tollitur. Qua quo in plures usus sis,
eo minus in multos uti possis. At qui opera, id est virtute
et industria benefici et liberales erunt, primum quo pluribus
profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores
habebunt. Deinde consuetudine beneficentie paratiores
erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.
Preclare in epistola quadam Alexandrum filium Philip-
pus accusat, quod largitione benivolentiam Macedonum consectetur.
Quod te malum inquit causa in istam spem induxit, ut
eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu
id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et
prebitorem putent. Quod sordidum regi. Melius etiam quod largi-
tionem corruptelam dixit esse. Fit enim deterior qui accipit atque

Ad idem semper expectandum paratior. Hoc ille filio. Sed
preceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non est
dubium quin illa benignitas que constat ex opera et industria
et honestior sit et latius pateat et possit prodesse pluribus.
Nonnumquam tamen est largiendum. Nec hoc benignitatis genus
omnino repudiandum est. Et sepe idoneis hominibus indigentibus
de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderate. Multi
enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem
est stultius quam quod libenter facias curare ut id diutius facere
non possis. Atque etiam sequuntur largitionem rapine. Cum enim
dando egere ceperunt, alienis bonis manus afferre coguntur.
Ita cum benivolentie comparande causa benefici esse velint, non tanta
studia assequuntur eorum quibus dederunt, quanta odia eorum
quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res fa-
miliaris ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseran-
da ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad fa-
cultates. Omnino meminisse debemus id quod a nostris hominibus
sepissime usurpatum iamque in proverbii consuetudinem venit,
largitionem fundum non habere. Etenim quis potest esse modus,
cum et hii qui consueverunt et illud idem alii desiderent. **De lar-**
Omnino duo / **gitatis speciebus, prodigalitate videlicet et liberalitate**
sunt largitorum, quorum alteri prodigi, alteri libera-
les. Prodigi qui epulis et visceracionibus et gladiatorum
muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt
in eas res quarum memoriam aut brevem aut nullam sint relicturi
omnino. Liberales autem qui suis facultatibus aut captos a predoni-
bus redimunt, aut es alienum suscipiunt amicorum, aut in
filiarum collocatione adiuvant, aut opitulantur in re querenda
vel augenda. Itaque miror quid in mentem venerit Theophrasto
in eo libro in quo de divitiis scripsit, in quo multa preclare,
illud absurdum. Est enim multus in laudanda magnificentia et
apparatione popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem
fructum divitiarum putat. Michi autem ille fructus liberalitatis,
cuius exempla pauca posui, multo et maior videtur et certior.
Quanto Aristoteles gravius et verius nos reprehendit, qui has
effusiones pecuniarum non admiremur, que fiunt ad multitudi-
nem deliniendam. At hii qui ab hostibus obsidentur, si emere aque
sextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile videri, omnesque
mirari. Sed cum attenderint, veniam necessitati dari. In his
immanibus iacturis infinitisque sumptibus nichil nos magnopere
mirari, cum presertim nec necessitati subveniatur nec dignitas

Augeatur. ipa q(uidem) illa delinita multitudinis ad breve exiguumque
est tempus. eaqz a levissimo q(uidem). in quo tamen ipso una cum sacie-
tate. memoria q(uoque) moriatur voluptatis. Bene etiam colligit
hec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis li-
beris esse grata. Quamquam intelligo in nostra civitate inveterasse
a gravi vero hom(ine) et ea q(ue) fiunt iudicio certo ponderanti. probari posse
nullo modo iam bonis temporibus. ut splendor edilitatum ab opti-
mis viris postuletur. Itaque et P. crassus tum cognomine dives
tum copiis functus est edilicio maximo munere. Et paulo post L.
crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. mucio. magnificentis-
sima edilitate functus est. Deinde C. claudius app(ii) filius. multi
post lucullj. Hortensius Syllanus. Omnes autem P. lentulus
me consule vicit superiores. Hunc etiam Scaurus imitatus. Mag-
nificentissima vero nostri Pompeii munera secundo consolatu.
in quibus omnibus quid michi placeat vides. Vitanda tamen est
suspicio avaricie. Nam Mamerco homini ditissimo. pretermisso
edilitatis. consulatus repulsam attulit. Quia et si postulatur a
populo. bonis viris. si non desiderantibus. attamen approbantibus
faciendum est. modo pro facultatibus. nos ipsi ut fecimus. Et si
quando aliqua res maior aut utilior populari largitione acqui-
rit. ut Horesti nuper prandia in semitis. decime nomine magno
honori fuerunt. Ne M. Seio quidem vitio datum est.
quod in caritate annone asse modium populo dedit. Magna enim
se et inveterata invidia. nec turpi iactura quando erat edi-
lis. nec maxima liberavit. Sed honori summo. nuper nostro Mi-
loni fuit. quod gladiatoribus emptis. rei publice causa que salute nostra
continebatur. omnes P. clodii conatus furoresque compressit.
Causa igitur largitionis est. si aut necesse est aut utile. De lar-
gitatis moderatione
In his autem ipsis mediocritatis
regula optima est. L. quidem philippus Q. fabii filius. vir mag-
no ingenio. imprimisque clarus gloriari solebat. se sine ullo
munere adeptum esse omnia que haberentur amplissima.
Dicebat idem Cotta curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo
gloriari. Nam pro amplitudine honorum. quos cunctis suffra-
giis adepti sumus. nostro quidem anno quod contingit eorum
nemini quos modo nominavi. sane exiguus sumptus edili-
tatis fuit. Atque etiam ille impense meliores. muri. navalia.
portus aquarum ductus. omniaque que ad usum rei publice pertinet.
Quamquam quod presens tamquam in manum datur iocundius est. tamen hec
in posterum gratiora. theatra porticus. nova templa. ve-
recundius reprehendo propter pompeium. Sed doctissimi non

Probant · ut et hic ipse Panetius · quem multum in hijs li
bris secutus sum non interpretatus · et Phalereus Demetrius ·
qui Periclen principem grecie vituperabat · quod tantam pecuniam
in preclara illa propilea proiecit · Sed de hoc genere toto in
hijs libris · quos de re publica scripsi · diligenter est disputatum · To
ta igitur ratio talium largitionum · genere viciosa est · temporibus
necessaria · et tum ipsa et ad facultates accomodanda · et medio
critate moderanda est · Quid officij erga calamitosos teneatur
In illo autem genere largiendi · quod a liberalitate proficiscitur ·
non uno modo in disparibus causis · affecti esse debemus
Alia causa est eius qui calamitate premitur · et eius qui res me
liores querit nullis suis rebus adversis · Propensior benignitas
esse debebit in calamitosos · nisi forte erunt digni calamitate
In hijs tamen qui se adiuvari volent · non ut affligantur · sed
ut altiorem gradum ascendant · restricti nullo modo esse debemus ·
sed in deligendis idoneis · iudicium et diligenciam adhibere · Nam
preclare Ennius · benefacta male locata · male facta arbitror
Quod autem tributum est bono viro et grato · in eo · tum ex ipso
fructus est · tum etiam ex ceteris · Temeritate enim remota ·
gratissima est liberalitas · eoque eam studiosius plerique laudant ·
quod summi cuiusque bonitas · commune perfugium est omnium · Dan
da igitur opera est · ut hijs beneficijs quam plurimos afficiamus
quorum liberis posterisque memoria prodatur · ut hijs ingratis
esse non liceat · Omnes enim immemorem beneficij oderunt · eamque
iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri · eumque qui fa
ciat · communem hostem tenuiorum putant · atque hec benignitas
etiam rei publice utilis est · redimi e servitute captos · locupletari tenuio
res · quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro · in oratione
Crassi scriptum copiose videmus · Hanc consuetudinem benignitatis
largitioni munerum antepono · Hec est gravium hominum atque
magnorum · illa quasi assentatorum populi multitudinis
levitatem · voluptate quasi titillantium · Quid in exactione
observetur officij
Convenit autem tum in dando munificum esse · tum in exigendo non acerbum
in omnique re contrahenda · vendendo · emendo · conducen
do · locando · in vicinitatibus et confinijs · equum et facilem · multa
multis de iure suo concedentem · A litibus vero quantum liceat
(et nescio an paulo plus etiam quam liceat) abhorrentem · Est enim
non modo liberale · paulum nonnumquam de suo iure decedere ·
sed interdum etiam fructuosum · Habenda autem est ratio
rei familiaris · quam quidem dilabi sinere flagitiosum est ·

Sed ita ut illiberalitatis avaricieque absit suspicio Posse enim liberalitate uti non spoliantem se patrimonio nimirum est pecunie fructus maximus

Quid de hospitalitate theophrasty dicat

Recte etiam a theophrasto est laudata hospitalitas Est enim ut mihi videtur valde decorum patere domus hominum illustrium illustribus hospitibus Idque etiam rei publice est ornamento homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere Est etiam vehementer utile hiis qui honeste posse multa volunt per hospites apud externos populos valere opibus et gratia Theophrastus scribit quidem Cimone athenis etiam in suos curiales lachiades hospitalem fuisse Ita enim instituisse et villicis imperasse ut omnia preberentur quicumque lachiades in villam suam divertisset

Que autem opera non largitione beneficia dantur hec tum in universam rem publicam tum in singulos cives conferuntur Nam in iure cavere consilio iuvare atque hoc sciencie genere prodesse quam plurimis vehementer et ad opes augendas pertinet et ad graciam Itaque cum multa preclara maiorum tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognicio atque interpretacio quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt Nunc ut honores ut omnes dignitatis gradus sic huius sciencie splendor deletus est Idque eo indignius quod eo tempore hoc contingit cum is esset qui omnes superiores quibus honore par esset sciencia facile vicisset Hec igitur opera grata multis et ad beneficiis obstringendos homines accommodata

De eloquencia

Atque huic arti finitima est dicendi gravior facultas et gratior et ornatior Quid enim eloquencia laudabilius prestabilius vel admiracione audiencium vel spe indigencium vel eorum qui defensi sunt gratia Huic quoque ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus Diserti igitur hominis et facile laborantis quodque in patriis est moribus multorum causas et non gravate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent Admonebat me res ut hoc quoque loco intermissionem eloquencie (ne dicam interitum) deplorarem Ni vererer ne de me ipso aliquid viderer queri Sed tamen videmus quibus extinctis oratoribus quam in paucis spes quanto in paucioribus facultas quam in multis sit audacia Cum autem omnes non possint ne multi quidem aut iuris periti esse aut diserti licet tamen opera prodesse multis beneficia petentem commendantem iudicibus magistratibus vigilantem pro re alterius eos ipsos qui aut consulunt aut defendunt rogantem quod

plurimum gratie consequetur. Latissime autem eorum manat
industria. Nam illud non sunt admonendi (est enim in promptu)
ut animadverterat cum alios iuvare velint, ne quos offendat.
Sepe enim aut eos ledunt, quos non debent, aut eos quos
non expedit. Si imprudentes, negligencie est, si scientes te-
meritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos quos
invitus offendas, quacumque possis, quare id quod feceris necesse fuerit
nec aliter facere potueris. Ceterisque operis et officiis erit quod vio-
latum est compensandum. **Si iuvari potius officio soleat quam pau-
peres divites**

Sed cum in hominibus iuvandis aut mores
spectari aut fortuna soleat, dictu quidem est proclive. Ita-
que vulgo loquuntur se in beneficiis collocandis mores
hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem
qui inopis et optimi viri cause non anteponat in opera danda
graciam fortunati et potentis. A quo enim expeditior et celerior
remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra pro-
pensior. Sed animadvertendum est diligencius que natura rerum
sit. Nimirum enim inops ille si bonus est vir, etiam si referre
graciam non potest, habere certe potest. Commode autem quicumque
dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse, et qui reddiderit
non habere, graciam autem et qui reddiderit habere, et qui habeat
retulisse. At qui se locupletes, honoratos, beatos putant, hii
ne obligari quidem beneficio volunt, quin etiam beneficium
se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis aliquid magnum acceperint,
atque etiam a se aut postulari aut exspectari aliquid suspicantur.
Patrocinio vero se usos aut clientes appellari mortis instar pu-
tant. At vero ille tenuis cum quicquid factum sit se spectatum
non fortunam putat, non modo illi qui est meritus, sed etiam illis a quibus
exspectat (eget enim multis) gratum se videri studet. Neque
enim verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed extenu-
at. Videndumque illud est quod si opulentum fortunatumque defen-
deris in illo uno aut in liberis forte eius manet gratia. Sin autem
in opem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles
que magna in populo multitudo est, presidium sibi paratum videt.
Quamobrem melius apud bonos quam apud fortunatos beneficium
collocari puto. **Cum quibus amicicia contrahi debeat**

Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possimus. Sed
si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est
auctor adhibendus, qui cum consuleretur, utrum bono
viro pauperi aut minus probato diviti filiam collocaret,
ego inquit malo virum qui pecunia egeat quam pecuniam que viro

Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum. Quarum magnitudo (quid ad unumquemque nostrum pertinet?) illum fortasse adiuvat qui habet, ne id quidem semper. Sed fac iuvare: potentior sane sit, honestior vero quomodo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitie quominus iuvetur, modo ne adiuvent, sitque omne iudicium non quam locuples, sed qualis quisque sit. Extremum autem preceptum in beneficiis operaque danda, ne quid contra equitatem contendas, ne quid pro iniuria. Fundamentum enim est perpetue commendationis et fame iusticia, sine qua nihil potest esse laudabile.

De beneficiis generalibus ad universos spectantibus

Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est que ad singulos spectant, deinceps de hiis que ad universos queque ad rem publicam pertinent disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eiusmodi sunt ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant, que sunt etiam gratiora. Danda est omnino opera, si possit, utrisque, nec minus ut etiam singulis consulatur, sed ita ut ea res aut prosit aut certe ne obsit rei publice. C. Gracchi frumentaria magna largitio exhauriebat igitur erarium. Modica M. Octavii et rei publice tollerabilis et plebi necessaria. Ergo et civibus et rei publice salutaris. In primis autem videndum erit ei qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est et in eo vehementer se moderatum prebuit, sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo milia hominum qui rem haberent. Capitalis oratio est, ad equationem bonorum pertinens. Qua peste que potest esse maior? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerentur, res publice civitatesque constitute sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodie rerum suarum urbium presidia querebant.

De tributis conferendis

Danda etiam opera est ne (quod apud maiores nostros sepe fiebat) propter erarii tenuitatem assiduitatemque bellorum tributum sit conferendum, idque ne eveniat multo ante erit providendum. Sin que necessitas huius muneris alicui rei publice obvenerit (malo enim alteri quam nostre ominari, neque tamen de nostra, sed de omni re publica disputo), danda erit opera ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Atque etiam omnes qui rem publicam gubernabunt consulere debebunt, ut earum rerum copia sit que sunt necessarie. Quarum qualis comparatio fieri soleat et debeat, non est necesse disputare; est enim in

exemplo. tamen locus attingendus fuit. **Nimia avaritie vitanda suspicio est**

Caput autem est in omni procuratione negocii et muneris
publici, ut avaritie pellatur etiam nimia suspicio. Utinam
inquit C. Pontius samnites, ad illa tempora fortuna me reser-
vasset. et tunc essem natus, quando romani dona accipere cepis-
sent, non essem passus diucius eos imperare. Ne illi quidem multa
secula expectanda fuerunt modo enim hoc malum in hanc
rem publicam invasit. Itaque facile patior tunc potius pontium fuisse, si
quidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum et
decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est
lex. nulla autem cum fuisset. At vero postea tot leges et
proxime quoque duriores. tot rei. tot damnati. tantum italicum
bellum propter iudiciorum metum excitatum tanta sublatis
legibus et iudiciis expilatio direptioque sociorum. ut imbecilli-
tate aliorum, non in nostra virtute valeamus. Laudat Africa-
num Panetius, quod fuerit abstinens. quid ni laudetur. Sed in illo
alia maiora. Laus sapiencie non hominis est solum sed etiam
temporum illorum. Omni macedonum gaza (que fuit maxima)
potitus est Paulus. tantum in erarium pecunie invexit, ut unius
imperatoris preda finem attulerit tributorum. At hic nichil do-
mum suam intulit preter memoriam nominis sempiternam.
Imitatus patrem Africanus. nichil locupletior Carthagine ever-
sa. Quid qui eius collega fuit in censura L. Mummius. numquid
copiosior. cum copiosissimam urbem funditus sustulisset. Italiam
ornare. quam domum suam maluit. quamquam italia ornata.
domus ipsa videtur michi ornatior. Nullum igitur vici-
um tetrius (ut eo unde egressa est, referat se oracio) quam
avaricia presertim in principibus. et rem publicam gubernantibus.
Habere enim questui rem publicam non modo turpe est. sed sceleratum
etiam et nefarium. Itaque quod Apollo Phitius oraculo edidit. Spar-
tam nulla re alia nisi avaricia esse perituram. id videtur
non solum Lacedemoniis, sed et omnibus opulentis populis pre-
dixisse. Nulla autem re conciliare facilius benivolenciam
multitudinis possunt hii qui rei publice presunt, quam abstinencia
et continencia. Qui vero se populares volunt ob eamque causam
aut agrariam rem temptant. ut possessores pellantur suis se-
dibus. aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant.
labefactant fundamenta rei publice. concordiam primum. que esse
non potest. cum aliis adimuntur. aliis condonantur pecunie.
Deinde equitatem que tollitur omnis. si habere suum cuique
non licet. Id enim est proprium ut supra dixi civitatis atque urbis

Ut sit libera et non sollicita sue rei cuiusque custodia. atque in
hac pernicie rei publice ne illam quidem illam consequuntur quam
putant gloriam. Nam cui res erepta est, inimicus cui data
est etiam si dissimulat se accipere voluisse et maxime in pe-
cuniis creditis occultat suum gaudium. ne videatur non
fuisse solvendo. At vero ille qui accepit iniuriam et meminit.
et pre se fert dolorem suum. Nec si plures sunt in quibus
improbe datum est quam illi quibus iniuste ademptum est. ideo
plus etiam valent, non enim numero hec iudicantur sed pon-
dere. Quam autem habet equitatem. ut agrum multis annis
aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit habeat.
qui autem habuit amittat. At propter hoc iniurie genus
Lacedemonii Lysandrum ephorum expulerunt Agim regem.
quod numquam antea acciderat apud eos necaverunt. Exque
eo tempore tante discordie secute sunt. ut tiranni existerent
et optimates exterminarentur. et preclarissime constituta
res publica dilaberentur. Nec vero solum ipsa cecidit. sed etiam
reliquam greciam evertit contagionibus malorum que a
Lacedemoniis profecte manarunt latius. Quid nostros Gracchos
Thiberii Gracchi summi viri filios Affricani nepotes, nonne
agrarie contentiones perdiderunt.

At vero Aratus Sicionius iure laudatur. qui cum eius
civitas .L. annos a tiranniis teneretur, profectus Argis Sicionem
clandestino introitu urbe est potitus. Cumque tyrannum
Nethoclem improviso oppressisset. sexcentos exules. qui
fuerant eius civitatis locupletissimi restituit. remque publicam
adventu suo liberavit. Sed cum magnam animad-
verteret in bonis et possessionibus difficultatem. quod et eos
quos et ipse restituerat, quorum bona alii possederant.
egere iniquissimum arbitrabatur. et .L. annorum possessiones
movere non nimis equum putabat. Propterea quod tam lon-
go spatio multa hereditatibus, multa emptionibus. multa
dotibus detinebantur, sine iniuria iudicavit neque illis adi-
mi. neque hiis non satisfieri. quorum illa fuerant oportere.
Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam
pecunia. alexandream se proficisci velle dixit. remque inte-
gram ad reditum suum iussit esse. Is quod celeriter ad Ptolomeum
suum hospitem venit. qui tunc regnabat alter post alexan-
driam conditam. Cui cum exposuisset patriam se liberare
velle. causamque docuisset a rege opulento vir summus. fa-
cile impetravit. ut grandi pecunia adiuvaretur. Quam

cum in possessione attulisset adhibuit sibi in consilium quindecim princi-
pes. cum quibus causas cognovit. et eorum qui aliena detinebat.
et eorum qui sua amiserat. perfecitque extimandis posses-
sionibus. et ut persuaderent aliis. ut pecuniam accipere
mallent possessionibus cederent. aliis ut commodius pu-
tarent numerari sibi, quod tanti esset. quam suum recuperare. Ita per-
fectum est. ut omnes constituta concordia. sine querela dis-
cederent. O virum magnum. dignumque. qui in nostra re publica natus
esset. Sic par est agere cum civibus. non ut bis iam vidimus
hastam in foro ponere. et bona civium voci subiacere preco-
nis. At ille grecus. id quod fuit sapientis et prestantis viri. omnibus
consulendum putavit. eaque est summa ratio et sapientia boni
civis. commoda civium defendere. non divellere. atque omnes
equitate eadem continere. habitant gratis in alieno. Quid ita.
Ut cum ego emerim. edificarim. tuear. impendam. tu me invi-
to fruare meo. quid est aliud aliis sua eripere. aliis dare aliena.
Tabule vero nove. quid argumenti. nisi ut emas mea pecunia
fundum. eum tu habeas. ego non habeam pecuniam. Quamob-
rem. ne sit es alienum quod rei publice noceat providendum est. quod
multis rationibus caveri potest. si non fuerit ut locupletes suum
perdant. debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res ve-
hementius rem publicam continet quam fides. que esse nulla potest. nisi erit
necessaria solucio rerum creditarum. Numquam vehementius actum est
quam me consule. ne solverentur. armis et castris. temptata res
est ab omni genere hominum et ordine. quibus sic restiti. ut hoc
tantum malum de re publica tolleretur. Numquam nec maius es alie-
num fuit. nec melius. nec facilius dissolutum est. fraudandi enim
spe sublata. solvendi necessitas consecuta est. At vero hic
nunc victor. tunc quidem victus que cogitaverat. ea perfecit.
cum eius iam nihil interesset. tanta in eo peccandi libido fuit. ut
hoc ipsum eum delectaret peccare. etiam si causa non esset.
Ab hoc igitur genere largitionis. ut aliis detur. aliis auferatur.
aberunt hii qui rem publicam tuebuntur. in primisque operam dabunt.
ut iuris et iudiciorum equitate. suum quisque teneat. et neque
tenuiores propter humilitatem circumveniantur. neque locuple-
tibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia. Pre-
terea quibuscumque rebus vel belli vel domi poterunt. rem
publicam augeant imperio. agris. vectigalibus. Hec magnorum homi-
num sunt. Hec apud maiores nostros factitata. Hec genera officiorum
qui persequentur. cum summa utilitate rei publice magnam ipsi adi-
piscentur et graciam et gloriam

In his autem utilitatum preceptis Antipater tirius stoicus
qui athenis nuper est mortuus duo precepta censet esse
a Panetio pretermissa valitudinis curationem et pecunie
Quas res a summo philosopho preteritas arbitror quod essent faci-
les sunt certe utiles Sed valitudo sustentatur notitia
sui corporis et observatione earum rerum que res aut pro
desse soleat aut obesse et continentia in victu omni atque
cultu corporis tuendi causa et pretermittendis voluptatibus
Postremo arte eorum quorum ad sciam hec pertinet Res autem
familiaris queri debet hiis rebus quibus abest turpitudo
Conservari autem diligentia et parcimonia iisdem etiam
rebus augeri Has res commodissime xenofon socraticus per-
secutus est in eo libro qui economicus inscribitur quem
nos ista fere etate cum essemus qua es tu nunc e greco
in latinum convertimus

Sed utilitatum comparatio quoniam hic locus erat quartus a Pa-
netio pretermissus sepe est necessaria Nam et corporis commoda
cum externis et externa cum corporis et ipsa inter se corporis
et externa cum externis comparari solent Cum externis
corporis hoc modo comparantur valere ut malis quam dives
esse Cum corporis externa hoc modo dives esse potius quam
maximis corporis viribus Ipsa inter se corporis comparantur
sic ut bona valitudo voluptati anteponatur vires
celeritati Externorum autem ut gloria divitiis vectiga-
lia urbana rusticis Ex quo genere comparationis illud est Ca-
tonis senis A quo cum quereretur quid maxime in re
familiari expediret respondit bene pascere Quid ter-
cium bene vestire Quid quartum arare Et cum ille qui
quesierat dixisset quid fenerari Tum Cato Quid ho-
minem inquit occidere Ex quo et multis aliis intelligi
debet utilitatum comparationes solere fieri recteque hoc
adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus
Sed toto hoc de genere de querenda de collocanda pecunia
etiam de utenda commodius a quibusdam optimis viris ad
medium ianum sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in scola
disputatur Sunt tamen ea cognoscenda pertinent
enim ad utilitatem de qua hoc libro disputatum est Re-
liqua deinceps persequemur Sequitur aliud capitulum

Marci tullii Ciceronis de officiis liber secundus finit
Incipit eiusdem de officiis liber tercius Sequitur

Prefatio in librum tercium

P. Scipionem. Marce fili.
eum qui primus affricanus appellatus
est. dicere solitum scripsit Cato qui
fuit fere eius equalis. numquam se
minus ociosum esse. quam cum ocio sus.
nec minus solum. quam cum solus
esset. Magnifica vero vox. et mag-
no viro. et sapiente digna. que
declarat illum et in ocio de negociis
cogitare. et in solitudine secum loqui
solitum. ut neque cessaret umquam. et
interdum colloquio alterius non egeret. Itaque due res que
languorem afferunt ceteris. illum acuebant. ocium et so-
litudo. Vellem et nobis hoc idem vere dicere liceret. Sed
si minus imitatione tantam ingenii prestanciam consequi pos-
simus voluntate certe proxime accedimus. Nam et a re publica
forensibusque negociis. armis impiis. vique prohibiti ocium
prosequimur et ob eam causam urbe relicta. rura peragran-
tes. sepe soli sumus. Sed nec. ocium sibi sumebat aliquando.
et a cetu hominum frequentiaque interdum. tamquam in portum.
se in solitudinem recipiebat. Nostrum autem ocium negocii
inopia. nec requiescendi studio constitutum est. Extincto enim
senatu. deletisque iudiciis. quid est quod dignum nobis. aut in
curia. aut in foro agere possimus. Ita qui in maxima celebri-
tate. atque in oculis civium quondam vixerimus. nunc fugien-
tes conspectum sceleratorum quibus omnia redundant. abdi-
mus nos quantum licet. et sepe soli sumus. Sed quia sic ab ho-
minibus doctis accepimus. non solum ex malis minima o-
portere eligere. sed etiam excerpere ex hiis ipsis. si quid inesset
boni. Propterea et ocio fruor non illo quidem quo debeat
is qui quondam peperisset ocium civitati. Nec eam solitudinem
languere patior. quam michi affert necessitas non voluntas.
Quamquam affricanus maiorem laudem meo iudicio
assequebatur. nulla tamen eius ingenii monimenta mandata
litteris. nullum opus ocii. nullum solitudinis munus extat. Ex
quo intelligi debet. illum mentis agitatione. investigatione-
que earum rerum quas cogitando consequebatur. nec oci-
osum nec solum umquam fuisse. Nos autem qui non tantum robo-
ris habemus ut cogitatione tacita a solitudine abstraha-
mur. ad hanc operam scribendi. omne studium curamque con-
vertimus. Itaque plura. brevi tempore eversa. quam multis annis

Constante te ut scripsimus. Nam cum tota philosophia (mi Cicero) frugi-
fera et fructuosa, nec ulla pars eius inculta ac deserta
sit, tamen nullus ferracior in ea locus est, nec uberior quam de
officiis a quibus constanter honesteque vivendi precepta
ducuntur. Quare quamquam a Cratippo nostro principe huius me-
morie philosophorum, hec te assidue audire, atque accipere con-
fido, tamen conducere arbitror talibus aures tuas vocibus
undique circumsonare, nec eas si fieri possit quicquam aliud audire.
Sed cum omnibus est faciendum qui vitam honestam ingredi
cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi. Sustines
enim non parvam expectationem imitande industrie nostre,
magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti
onus preterea grave, et athenarum et Cratippi, ad quos
cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem
redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem
et magistri. Quare quantum coniti animo potes, quantum labore
contendere (si discendi labor est potius quam voluptas) tum fac ut
efficias, neve committas, ut cum omnia suppeditata sint a nobis
tute tibi defuisse videare. Sed hec hactenus. Multa enim
sepe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem
proposite divisionis revertamur.

Panecius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime
disputavit, quemque nos correctione quadam adhibita,
potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis in quibus
deliberare homines et consultare de officio solerent, uno
cum dubitarent honestumne id esset de quo agerent,
an turpe, altero utile esset an inutile, tercio si id quod ha-
beret speciem honesti, pugnaret cum eo quod utile videretur,
quo modo ea discerni oporteret. De duobus generibus primis tribus
libris explicavit, de tercio autem genere, deinceps se scripsit dic-
turum, nec exsolvit quod promiserat. Quod eo magis miror,
quia scriptum a discipulo eius Possidonio est, triginta an-
nis vixisse Panecium, postquam illos libros edidisset, quem locum
miror a Possidonio breviter esse tractatum in quibusdam
commentariis, presertim cum scribat nullum esse locum in tota philosophia
tam necessarium. Minime vero assentior hiis qui negant
eum locum a Panecio pretermissum, sed consulto relictum,
nec omnino scribendum fuisse, quia numquam posset utilitas cum
honestate pugnare. De quo alterum potest habere dubitationem,
ne adhibendum fuerit hoc genus quod in divisione Pane-
cii tercium est, an plane obmittendum. Alterum dubitari non potest.

Crum a Panetio susceptum sit. sed relictum Nam qui e divisione
tripertita. duas partes absoluerit. huic necesse est restare ter-
ciam Preterea in extremo libro tercio. de hac parte pollicetur
se deinceps esse dicturum Accedit eodem testis locuples
Possidonius. qui eciam scribit in quadam epistola publium
rufum dicere solere (qui Panetium audiverat) vt nemo
pictor esset inventus. qui veneris. eam partem. quam appelles
inchoatam reliquisset. absolveret (oris enim pulcritudo. re-
liqui corporis imitandi. spem auferebat) sic ea que Pane-
tius pretermisisset et non perfecisset propter eorum que fecisset
prestanciam. neminem esse persecutum Quamobrem de
iudicio Panetij dubitari non potest Recte autem ne hanc
terciam partem ad exquirendum officium adiunxerit. an secus
de eo fortasse disputari potest Nam siue honestum solum
bonum est vt stoicis placet. siue quod honestum est. id ita su-
mmum bonum est (quemadmodum peripatheticis nostris videtur)
ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti in-
star habeat. dubitandum non est. quin numquam possit vtili-
tas cum honestate contendere Itaque accepimus Socratem
solitum execrari eos. qui primum hec natura coherencia
opinione distraxissent Cui quidem ita sunt stoici assensi.
vt quicquid honestum esset. id vtile esse censerent. nec vtile
quicquam. quod non honestum Quod si is esset Panetius. qui virtute
propterea colendam diceret. quia ea efficiens vtilitatis esset.
vt hij qui res expetendas vel voluptate vel indigen-
cia metiuntur. liceret ei dicere honestatem aliquando
cum vtilitate pugnare Sed cum sit is. qui id solum bonum
iudicet quod honestum sit. que autem huic. que autem
repugnent specie quadam vtilitatis. eorum neque accessione
meliorem vitam fieri. nec discessione peiorem. non videtur
huiusmodi debuisse deliberacionem introducere. in qua quod vtile videtur.
cum eo quod honestum est comparetur. Etenim quod summum bonum
a stoicis dicitur convenienter nature vivere id habet vt opi-
nor. hanc sententiam cum virtute congruere semper cetera autem
que secundum naturam essent ita legere si ea virtuti non repugnarent
Quod cum ita sit. putant quidem hanc comparacionem recte
non esse introductam. nec omnino de eo genere quicquam precipiendum
Atque illud quidem honestum. quod proprie vere fuisse
[potest] Sed id in sapientibus est solis. neque a virtute divelli
vnquam potest. In hiis autem. in quibus sapiencia perfecta non
est. ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo esse

sit. sed similitudines honesti esse possunt. Hec enim omnia offi-
cia. de quibus hiis libris disputamus. media Stoici appellant.
et ea tota sunt. et late patent. que et ingenii bonitate multi
assequuntur. et progressione discendi. Illud autem officium.
quod rectum id appellant. perfectum atque absolutum est. et
ut idem dicunt omnes numeros habet. nec preter sapientem
cadere in quemquam potest. Cum autem aliquid actum est. in quo me-
dia officia compareant. id cumulate videtur esse perfectum
propterea quod vulgus quid absit a perfecto. fere non ex toto intel-
ligit. quatenus autem intelligit. nichil putat pretermissum.
Quod autem in poematibus et in picturis usu venit. in aliisque
compluribus. ut delectentur imperiti. laudentque ea que laudanda
non sunt ob eam credo causam. quod insit in hiis. aliquid probi.
quod capiat ignaros. qui quidem quid in unaquaque re vicii sit.
nequeant iudicare. Ita cum sunt docti a peritis. facile de-
sistunt a sententia. Hec igitur officia de quibus hiis libris disserimus.
quasi secunda quedam honesta dicunt esse non sapientum
modo propria. sed cum omni hominum genere communia. Itaque hiis
omnes. in quibus est virtutis indoles. commovetur. Nec vero cum
duo Decii aut duo Scipiones. fortes viri commemorantur.
aut cum Fabricius aut Aristides iustus nominatur. aut ab
illis fortitudinis. aut ab hiis iusticie. tamquam a sapiente petitur
exemplum. Nemo enim horum sic sapiens. ut sapientem
hic intelligi volumus. Nec hii qui sapientes habiti et no-
minati M. Cato. et C. Lelius sapientes fuerunt. Nec illi
quidem septem. sed ex mediorum officiorum frequencia similitu-
dinem quandam gerebat. speciemque sapientum. Cum bonitas
emolimentis com-
paranda sit et virtus

Quocirca nec id quod vere honestum est. fas est cum
utilis repugnantia comparare. nec id quod communiter
appellamus honestum. quod colitur ab hiis qui bonos viros
haberi se volunt. cum emolimentis unquam est comparandum.
Tamque id honestum. quod in nostram intelligentiam cadit. tuendum
conservandumque est nobis. quam id quod proprie dicitur. vereque est ho-
nestum sapientibus. Aliter enim teneri non potest. si qua ad vir-
tutem est facta progressio. Sed hec quidem de hiis qui
conservatione officiorum extimantur boni. Qui autem
omnia metiuntur emolimentis et commodis. neque ea volunt prepon-
derari honestate. hii solent in deliberando. honestum cum
eo quod utile putant comparare. boni viri non solent. Itaque exis-
timo Panetium cum dixerit homines solere. in hac comparatione

Dubitare. hoc ipm sensisse. qz dixerit solere modo. non opor-
tere etiam. Etenim non plus putare. quid vtile videatur.
quam quid honestum. sed hoc etiam inter se comparare. et
in hijs dubitare. turpissimum est. Quid ergo est. qd non
nunqz ad dubitationem afferre soleat. considerandum qz videat
Credo si quando dubitatio accidit. quale sit id. de quo con-
sideretur. Sepe enim tempore fit. ut quod plerumqz
turpe haberi soleat. inveniatur non esse turpe. Exempli
ca. ponatur aliqd qd pateat latius. Quod potest esse
maius scelus. qz non modo hoiem sz etiam familiarem hoiem
occide. Non igitur se astrinxit scelere. si quis tirannum
occidit qvis familiarem. Populo quidem romano nd vi-
detur. qui ex omnibus preclaris factis. illud pulcerrimum exis-
timat. Vincit igitur vtilitas honestatem. Immo vero ho-
nestas vtilitatem secuta est. Itaqz vt sine vllo errore diiu-
dicare possimus. si quando cum illo. qd honestum intelli-
gimus pugnare id videbitur qd appellamus vtile formula
quedam constituenda est. quam si sequemur in comparatione
rerum. ab officio nunqz recedemus. Erit autem hec formula
stoicorum rationi. disciplineqz maxime consentanea. qua
quidem hijs libris propterea sequemur. qz quamqz a veteribus
achademicis et peripateticis nris qui quondam idem erant.
qui achademici q honesta sunt. anteponunt hijs q videntur
vtilia. tum splendidius hec ab eis disseruntur. et quibus qt
quid honestum est. idem vtile videtur. nec vtile quicqz. qd
non honestum est. qz ab hijs quibus et honestum aliqd non
vtile. aut vtile non honestum. Nobis autem nra achade-
mia magnam licentiam dat vt qdcunqz maxime pbabile
occurrat. id nostro iure liceat defendere. Sed redeo ad
formulam.

Nichil detractione peius est

Detrahere igitur aliquid alteri et hominem homis
incommodo suum augere commodum. magis est contra
naturam qz mors. qz paupertas. qz dolor. qz cetera
q possunt aut corpori accidere. aut rebus externis. Nam prin-
cipio tollit convictum humanum et societatem. Si enim sic
erimus affecti. ut propter suum emolumentum spoliet. aut
violet. alterum. disrumpi necesse est eam. q maxime est
secundum naturam humani generis. societatem. Vt. si
unumquodqz membrum sensum hunc haberet. vt posse puta-
ret se valere. si proximi membri valitudinem ad se tradu-
xisset. debilitari et interire totum corpus necesse est. Sic si

Unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum. detrahatque
quod cuique possit. emolumenti sui gratia. societas hominum. communitasque
evertatur necesse est. Nam sibi ut quisque malit. quod ad usum
vite pertineat. quam alteri acquirere concessum est. non repugnante
natura. illud natura non patitur. ut aliorum spoliis. nostras
facultates. copias. opes augeamus. Neque vero hoc solum natura
iure gentium. sed etiam legibus populorum. quibus in singulis civitatibus
res publica continetur. eodem modo constitutum est. ut non liceret sui
commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges. hoc volunt
incolumem esse civium coniunctionem. quam qui dirimunt eos morte.
exiliis. vinculis. damno coercent

Atque hoc multo magis efficit ipsa nature ratio. que est lex
divina et humana. cui parere qui velit (omnes autem pare
bunt) qui secundum naturam volent vivere. numquam
committet ut alienum appetat. et id quod alteri detraxerit sibi assu
mat. Etenim multo magis est secundum naturam. excelsitas ani
mi. et magnitudo. Itemque comitas. iustitia. liberalitas. quam
voluptas. quam vita. quam divitie. Que quidem contemnere. et pro
nichilo ducere comparantem cum utilitate communi. magni ani
mi et excelsi est. Detrahere autem alteri sui commodi causa magis
est contra naturam quam mors. quam dolor. quam cetera generis eius
dem. Itemque magis est secundum naturam. pro omnibus gentibus
si fieri possit. conservandis. aut iuvandis. maximos labores
molestiasque suscipere. imitantes Herculem illum. quem hominum
fama beneficiorum memor. in concilio celestium collocavit. quam
vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis. sed etiam
maximis voluptatibus habundantem omnibus copiis. ut excel
las etiam pulcritudine et viribus. Quo circa optimo quisque sple
didissimoque ingenio. longe illam vitam huic anteponit.
Ex quo efficitur hominem nature obedientem. homini nocere
non posse. Deinde qui alterum violat. ut ipse aliquid commo
di consequatur. aut nichil se existimat facere contra naturam.
aut magis fugiendam censet mortem. paupertatem. dolorem.
amissionem etiam liberorum. propinquorum amicorum. quam
facere cuiquam iniuriam. Si nichil existimat contra naturam
fieri, in hominibus violandis. quid cum eo disseras. qui omnino
hominem ex homine tollat. Sin fugiendum id quidem censet.
et multo illa peiora. mortem paupertatem. dolorem. errat
in eo. quod nullum aut corporis. aut fortune vitium. vitiis anime
gravius existimat. Ergo unum debet esse omnibus propositum.
ut eadem sit utilitas uniuscuiusque et universorum. qua si

ad se quisque rapiat dissolvetur omnis humana consortio Atque
si et hoc natura prescribit ut homo hominem quicumque sit
ob eam ipsam causam quia is homo sit consultum velit necesse
est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem
Quod si ita est una continemur omnes et eadem lege nature
Idque ipsum si ita est certe violare alterum lege nature prohibe-
mur Verum autem primum verum ergo extremum Nam
illud quidem absurdum est quod quidam dicunt parenti se aut
fratri nichil detracturos sui commodi causa aliam rationem
esse civium reliquorum hii sibi nichil iuris nullam socie-
tatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus que sententia
omnem societatem distrahit civitatis Qui autem civium
rationem dicunt esse habendam externorum negant hii di-
rimunt communem humani generis societatem qua sublata li-
beralitas beneficentia bonitas iusticia funditus tollitur
Que qui tollunt etiam adversus deos immortales impii
iudicandi sunt Ab hiis enim constitutam inter homines
societatem evertunt cuius societatis artissimum vinculum est
magis arbitrari esse contra naturam hominem homini
detrahere sui commodi causa quam omnia incommoda subire vel
externa vel corporis vel etiam ipsius animi que vacet
iusticia Hec enim una virtus omnium est domina et regina
virtutum Forsitan quispiam dixerit nonne igitur sapi-
ens si fame ipse conficiatur abstulerit cibum alteri homi-
ni ad nullam rem utili Minime vero Non est enim vi-
ta mea mihi utilior quam animi talis affectio neminem ut
violem commodi mei gratia Quid si Phalarim crudelem
tirannum et inmanem vir bonus ne ipse frigore conficiatur vesti-
tu spoliare possit nonne faciat Hec ad iudicandum sunt
facilima Nam si quid ab homine utili ad nullam partem utili-
tatis tue causa detraxeris inhumane feceris contraque nature
legem Sin autem is tu sis qui multam utilitatem rei publice
atque hominum societati si in vita remaneas afferre possis
si quid ob eam causam alteri detraxeris non sit reprehendendum
Sin autem id non sit eiusmodi suum cuique incommodum ferendum
est potius quam de alterius commodis subtrahendum Non igitur
magis est contra naturam morbus aut egestas aut eiusmodi
quam detractio atque appetitio alieni Sed communis utilitatis
derelictio contra naturam est est enim iniusta Itaque lex
ipsa nature que utilitatem hominum conservat et continet de-
cernit profecto ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem

homini . fortem conveniat transferantur res . ad vivendum necessarie .
qui si occiderit . multum de communi utilitate detraxerit . modo hoc
ita faciat . ut ne ipse de se bene existimans . seseque diligens .
hanc causam habeat ad iniuriam . Itaque semper officio fun-
getur . utilitatique consulens hominum . et ei quam ipse commemoro
humane societati . Nam quod ad Phalarim attinet . perfa-
cile iudicium est . Nulla est enim societas nobis cum tirannis .
sed potius summa distractio est . Neque est contra naturam spo-
liare eum si possis . quem honestum est necare . Atque hoc
omne genus pestiferum atque impium . ex hominum comitate exter-
minandum est . Etenim ut membra quedam amputantur .
si et ipsa sanguine . et tamquam spiritu carere ceperint et nocent
reliquis partibus corporis . sic ista in figura hominis feritas
et immanitas belue . a communi tamquam humanitate corporis se-
greganda est . Huius generis sunt questiones omnes hee . in quibus
ex tempore officium exquiritur . Eiusmodi igitur credo res Pane-
tium persecuturum fuisse . nisi aliquis casus aut occupatio con-
silium eius peremisset . ad quas ipsas consultationes . ex
superioribus libris satis multa precepta sunt quibus perspici
possit . quid sit propter turpitudinem fugiendum . quid sit id quod
idcirco fugiendum non sit . quod omnino turpe non sit

Sed quoniam operi inchoato . prope tamen absoluto . tamquam
fastigium imponimus . ut si de equalibus equalia de-
mes . que relinquuntur equalia sunt ut geometre . solent
non omnia docere . sed postulare . ut quedam sibi concedantur .
quo facilius quod velint explicent . sic ego a te postulo mi Cicero .
ut michi concedas si potes . nichil preter id quod honestum
sit . esse propter se expetendum . Michi utrumvis satis est . et
tum hoc tum illud probabilius videtur . nec preterea quicquam probabile .
Et primum Panetius in hoc loco defendendus est quod non uti-
lia cum honestis pugnare dixerit . aliquando posse . Neque
enim ei fas fuit erat . sed ea que videntur utilia . Nichil vero
utile . quod non idem honestum . nec honestum . quod non
idem utile sit . sepe testatur . negatque ullam pestem maiorem
in vitam hominum evasisse . quam eorum opinionem que ista dis-
traxerint . Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia
honestis . sed ut ea sine errore diiudicaremus utilia ho-
nestis . si quando incidissent . induxit eam que videntur esse . non
que esset . repugnantiam . Hanc igitur partem relictam reple-
bimus nullis adminiculis . sed ut dicitur in certe mea . Neque n
quicquam de hac parte post Panetium explicatum est . quod michi

Probaretur de hys que in manibus nostras venerunt

Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est. commoveri necesse est. Sed si cum animum attenderis turpitudinem videas adiunctam ei rei que speciem utilitatis attulerit. tunc utilitas non requirenda est. sed intelligendum ubi turpitudo sit ibi utilitatem esse posse. Quod si nichil est tam contra naturam quam turpitudo (recta enim convenientia et constructa natura desiderat. aspernaturque contraria) nichilque tam secundum naturam quam utilitas. certe in eadem re utili turpitudo esse non potest. Itemque si ad honestatem nati sumus. eaque aut sola expetenda est. ut Zenoni visum. aut certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia. quod Aristoteli placet. necesse est quod honestum sit. id esse aut solum. aut summum bonum. Quod autem bonum. id certe utile. Ita quicquid honestum. id utile. Quare error hominum non proborum. cum aliquid quod utile visum est arripuit id continuo secernit ab honesto. hinc sice. Hinc venena. hinc falsa testamenta nascuntur. hinc furta. hinc peculatus. expilationes. direptiones sociorum et civium. Hinc opum nimiarum potentie non ferende. Postremo etiam in liberis civitatibus. existunt regnandi cupiditates. quibus nichil nec tecius nec fedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident. penam non dico legum. quas sepe perrumpunt. sed ipsius turpitudinis que acerbissima est non videt. Quam ob rem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum et impium) qui deliberant utrum id assequantur quod honestum esse videant. an se scientes scelere contaminent. In ipsa enim dubitatione facinus inest. etiam si ad id non pervenerit. Ergo ea deliberanda omnino non sunt. in quibus est turpis ipsa deliberatio

Atque etiam in omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. Satis enim nobis si modo in philosophia aliquid profecimus. persuasum esse debet. si omnes deos hominesque celare possimus. nichil tamen avare. nichil iniuste. nichil libidinose. nichil incontinenter esse faciendum. Hinc ille Giges inducitur a Platone. qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus in illum hiatum descendit. eneumque equum (ut ferunt fabule) animadvertit. cuius in lateribus fores essent. quibus apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine invisitata. anulumque aureum in digito. quem ut detraxit. ipse induit. erat autem regius pastor. Tum

In concilium pastorum se recepit. ibi cum palam eius anuli
ad palmam converterat. a nullo videbatur. ipse autem
omnia videbat. idem rursus videbatur. cum in locum
anulum inverterat. itaque hac oportunitate anuli usus
regine stuprum intulit. eaque adiutrice regem dominum intere-
mit. sustulitque quos obstare arbitrabatur. Nec in hiis quisquam
eum facinoribus potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex ex-
ortus est lidie. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens.
nichil plus sibi licere putet peccare. quam si non haberet.
Honesta enim bonis viris. non occulta queruntur. Atque hic
loco philosophi quidam minime mali illi quidem. sed non satis acuti
fictam et commenticiam fabulam dicunt platam a platone.
quasi vero ille aut factum id esse. aut fieri potuisse defen-
dat. Hec est vis huius anuli. et huius exempli. sed nemo sci-
turus. nemo ne suspicaturus quidem sit. cum aliquid diviciarum po-
tencie. dominationis. libidinis causa feceris sed diis. hominibusque
futurum sit semper ignotum. sis ne facturus. Negant id
fieri posse. quamquam potest id quidem. Sed quero quod negant posse. id
si posset quidnam facerent. urgent rustice sane. negant enim
posse. et in eo perstant. Hoc verbum quid valeat non videt.
Cum enim querimus si possint celare. quid facturi sint. non
querimus. possint ne celare. sed tamquam tormenta adhibemus.
ut si responderint se impunitate proposita facturos quod expe-
diat. facinorososque se esse fateantur. si negant omnia tur-
pia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed iam ad propositum
Incidunt sepe cause que conturbant animos. revertamur
utilitatis specie non cum hoc deliberetur. relinquenda-
ne sit honestas propter utilitatis magnitudinem (nam id
quidem improbum est) sed illud. possit ne id quod utile vi-
deatur. fieri non turpiter. Cum Collatio college Brutus
imperium abrogabat. poterat videri facere id iniuste. fue-
rat enim in regibus expellendis socius bruti consiliorum etiam
adiutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent. cog-
nacionem superbi. nomenque tarquiniorum. et memoriam reg-
ni esse tollendam. quod erat utile patrie consulere. id erat
ita honestum. ut etiam ipsi collatio placere debet. Itaque uti-
litas valuit propter honestatem sine qua nec utilitas qui-
dem esse potuisset. At in eo rege qui urbem condidit non
ita. Species enim utilitatis animum pepulit eius. cui
cum visum esset utilius solum se. quam cum altero regere
fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem

Ut id quod utile videbatur . neque erat . assequi posset . et
tamen iniuria tua . opposuit speciem honestatis . nec probabilem .
nec satis idoneam Peccavit igitur pater vel quirini vel
Romuli dixerimus Nec tamen nec nobis utilitates o-
mittende sunt . aliisque tractande . cum his ipsi egeamus .
sed sue cuique utilitati quod sine alterius iniuria fiat serviendum
est . Scite Crisippus . ut multa . qui stadium inquit cur-
rerit . eniti et contendere debet . quam maxime possit . ut
vincat . supplantare eum qui cum certet . et manu depellere
nullo modo debet Sic in vita sibi quemque petere quod per-
tineat ad usum . non iniquum est . alteri decipere . ius non
est Maxime autem perturbantur officia in amicitiis . quibus
et non tribuere quod non sit equum contra officium est Sed
huius generis totius . breve et non difficile preceptum est
Que enim videntur utilia . honores divitie volup-
tates . cetera generis eiusdem . hec amicitie numquam ante-
ponenda sunt At neque contra rem publicam nec contra iusiurandum
ac fidem . amici causa . vir bonus faciet ; nec si iudex quidem
erit de ipso amico Ponit enim personam amici . cum induit
iudicis . tantum dabit amicitie . ut veram amici causam
esse malit . ut pro orande litis tempus quoad per leges liceat
accomodet Cum vero iurato sententia dicenda sit . memi-
nerit deum se adhibere testem . id est ut arbitror mentem
suam . qua nichil homini dedit ipse deus divinius Itaque
preclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis
si ea teneremus que salva fide facere posset Hec roga-
tio ad ea pertinet . que paulo ante dixi . honeste amico a
iudice posse concedi Nam si omnia facienda sint que ami-
ci velint , non amicitie tales sed coniurationes putande sunt
Loquor autem de communibus amicitiis . nam in sapientibus viris atque
perfectis nichil potest esse tale . Damonem et Pithiam pitha-
goreos . ferunt hoc animo inter se fuisse . ut cum eorum alteri
Dionisius tirannus diem necis destinavisset . is qui morti
addictus esset . paucos sibi dies commendandorum suorum causa pos-
tulavisset . vas factus est alter eius sistendi . ut si ille non
revertisset . moriendum esset sibi ipsi Qui cum ad diem se re-
cepisset . admiratus eorum fidem tirannus . petivit . ut
se in amicitiam tercium ascriberent Cum igitur id quod utile
videtur in amicitia . cum eo quod honestum est comparatur . iace-
at utilitatis species . valeat honestas Cum autem in amicitia
que honesta non sunt postulabuntur religio et fides ante-

ponant amicitie . et sic habebitur ius quod exprimit . delectus
officii Sed utilitatis specie in re p sepissime peccatur . ut
in corinti disturbatione nostri . durius etiam athenienses qui sta-
tuerunt . ut eginetis qui classe valebant pollices preciderent .
hoc visum est utile . nimis enim imminebat propter propinquitatem
egina pireo, Sed nichil quod crudele utile . est enim ho-
minum nature . quam sequi debemus . maxime inimica crude-
litas recta sequitur tamen
Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent . eosque ex-
terminant . ut Penus apud patres nostros Papius
nuper . Nam esse pro cive . qui civis non sit . rectum est
non licere . quam tulerunt legem sapientissimi consules
Crassus et Scevola . usu vero urbis prohibere peregrinos
sane inhumanum est . Illa preclara . in quibus publice uti-
litatis species pre honestate contemnitur Plena exemplorum
est nostra res p . tum sepe . tum maxime bello punico secundo . que
cannensi calamitate accepta . maiores animos habuit .
quam umquam rebus secundis Nulla timoris significatio . nulla
mentio pacis tanta vis est honesti . ut speciem utilitatis
obscuret Athenienses cum persarum impetum nullo modo possent
sustinere . statuerentque ut urbe relicta coniugibus et liberis troe-
zene depositis . naves conscenderent . Cirsilum quendam sua-
dentem . ut in urbe manerent . xersenque reciperent . lapidibus
obruerunt Atque ille sequi utilitatem videbatur . Sed ea nulla
erat . repugnante honestate Temistocles post victoriam
eius belli quod cum persis fuit . dixit in contione se habere consilium
rei p salutare . sed id sciri non opus esse postulavit ut ali-
quem populus daret . quicum communicaret . Datus est Aris-
tides huic ille classem lacedemoniorum . que subducta esset
ad gytheum clam incendi posse . quo facto . frangi lace-
demoniorum opes necesse esset Quod aristides cum audi-
visset in contionem magna expectatione venit . dixitque perutile
esse consilium . quod Temistocles afferret . sed minime ho-
nestum Itaque athenienses quod honestum non esset . id
ne utile quidem putaverunt . totamque eam rem quam ne
audierant quidem . auctore aristide repudiaverunt Melius
hii quam nos qui piratas immunes . socios vectigales ha-
bemus Maneat ergo quod turpe sit . id numquam esse utile .
ne tum quidem cum id quod utile esse putes adipiscare
Hoc enim ipsum utile putare quod turpe sit . calamito-
sum est .

Sed incidunt ut supra sepe cause. cum repugnare utilitas honestati videatur. ut animadvertendum sit. repugnet ne plane. an possit cum honestate iungi. Eius generis hee sunt questiones. Si exempli gratia. vir bonus ab alexandria profectus rhodum. magnum frumenti numerum advexerit in rhodiorum inopia et fame. summaque annone caritate. si idem sciat complures mercatores ab alexandria solvisse. navesque in cursu frumento onustas. petentes rhodum viderit. dicturusne sit id rhodiis. an silentio suum quamplurimum venditurus. Sapientem et bonum virum fingimus. de eius deliberatione et consultatione querimus. qui celaturus rhodios non sit. si id turpe iudicet sed dubitet an turpe non sit. In huiusmodi causis aliud Diogeni babilonio videri solet. magno et gravi stoico aliud antipatro discipulo eius homini acutissimo. Antipatro omnia patefacienda. ut ne quid omnino quod venditor norit. emptor ignoret. Diogeni venditorem quatenus iure civili constitutum sit. dicere vitia oportere. cetera sine insidiis agere. Et quoniam vendat velle quam optime vendere. Advexi. exposui. vendo meum non pluris quam ceteri. fortasse etiam minoris. cum maior est copia. cui fit iniuria. Exoritur antipatri ratio ex altera parte. quid ais. tu cum hominibus consulere debeas. et servire humane societati. eaque lege natus sis. ut ea habeas principia nature. quibus parere et que sequi habeas. utilitas tua. communis utilitatis sit. vicissimque ea communis utilitas tua sit. celabis homines. quid hiis adsit. et commoditatis et copie. Respondebit diogenes fortasse sic. aliud celare. aliud est tacere. neque ego nunc te celo. si tibi non dico que natura deorum sit. quis sit finis bonorum. que tibi plus prodessent cognita. quam tritici vilitas. Sed non quicquid tibi audire utile est. id michi dicere necesse est. Si quidem inter homines natura meministi iunctam societatem. Memini inquiet ille. Sed num ista societas talis est ut nichil suum cuiusque sit. Quod si ita est. vendendum quidem quicquam est. Sed donandum.

Excusationes cur turpia aliquando fiat ut turpia non videatur

Vides in hac tota disceptatione non illud dici. quamvis hoc turpe sit. tamen quoniam expedit faciam. Sed ita expedire ut turpe non sit. ex altera autem parte. quod turpe sit non esse faciendum. Vendat edes vir bonus propter aliqua vitia que ipse norit. ceteri ignorent. pestilentes sint. et habeantur salubres. ignoretur in omnibus cubiculis apparere serpentes. male materiate

Ruinose. sed hoc preter dominum nemo sciat. Quero si hoc empto-
ribus venditor non dixerit. edesque vendiderit plus multo
quam se venditurum putarit. num id iniuste. aut improbe fe-
mat | cerit. Ille vero inquit Antipater improbe facit. Quid enim est
aliud erranti viam non monstrare quod athenis execrationibus
publicis sanctitum est. si hoc non est emptorem pati ruere.
et per errorem in maximam fraudem incurrere. Plus etiam
est quam viam non monstrare. Nam est scientem in errorem
alterum inducere. Diogenes contra. num te emere coegit.
qui te hortatus quidem est. Ille quod non placebat proscripsit.
tu quod placebat emisti. Quod si qui proscribunt villam bo-
nam beneque edificatam. non existimantur fefellisse. etiam
si illa nec bona est. nec edificata ratione. multo minus qui do-
mum non laudarunt. Ubi enim iudicium emptoris est ibi fraus
venditoris que potest esse. Sin autem dictum non omne
prestandum est. quod dictum non est. id prestandum putas.
Quid vero est stultius. quam venditorem eius rei quam ven-
dat vitia narrare. Quid autem tam absurdum. quam si domini
iussu ita preco predicet. domum pestilentem vendo. Sic ergo
in quibusdam causis dubiis. ex altera parte defenditur ho-
nestas. ex altera ita de utilitate dicitur. ut id quod utile vi-
deatur non modo honestum facere sit. sed etiam non facere
turpe. Hec est illa que videtur utilium fieri cum honestis
sepe dissensio. que diiudicanda sunt. non enim ut quereremus
exposuimus. sed ut explicaremus. Non igitur videtur nec fru-
mentarius ille rhodius. nec hic edium venditor celare emp-
tores debuisse. neque enim id est celare. quicquid reticeas.
sed cum quod tu scias. id ignorare emolumenti tui causa velis eos
quorum intersit. id scire. Hoc autem celandi genus quale
sit. et cuius hominis quis non videt. Certe non aperti. non sim-
plicis. non ingenui. non iusti. non viri boni. versuti po-
tius. obscuri. astuti. fallacis. malitiosi. callidi. veteratoris.
vafri. Hec tot et alia plura. nonne inutile est vitiorum
subire nomina. Quod si vituperandi sunt qui reticuerunt quid
de hiis existimandum est. qui orationis vanitatem adhibue-
vult runt. C. Canius eques romanus nec infacetus. et satis
litteratus. cum se siracusas ociandi causa. non negociandi (ut ipse
dicere solebat) contulisset. dictitabat se ortulos aliquos vel-
le emere. quo invitare amicos. et ubi se oblectare sine
interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset. Phithius
ei quidam qui argentariam faceret siracusis. venales

Quod se ortos non habere. sed licere uti Canio si vellet ut suis et simul ad cenam hominem in ortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset. tum Phithius ut est argentarius. qui esset apud omnes ordines graciosus. piscatores ad se convocavit. et ab hiis petivit ut ante suos ortulos postera die piscarentur. dixitque quid eos facere vellet. Ad cenam tempore venit Canius opipare a Phithio apparatum convivium. Cumbarum ante oculos multitudo. pro se quisque quod ceperat afferebat. ante pedes Phithii pisces abiciebantur. Tum Canius queso inquit. quid est o Phithi. tantumne piscium. tantumne cumbarum. Et ille Quid mirum inquit. hoc loco est Siracusis quicquid est piscium. Hic aquatio hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate contendit a Phithio. ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa. Impetrat. emit homo cupidus et locuples tanti. quanti Phithius voluit et emit instructos. nomina facit. negocium conficit. Invitat Canius postera die familiares suos. venit ipse mature. scalmum nullum videt. querit ex proximo vicino. num ferie quedam piscatorum essent. quod eos nullus videretur Nulle sunt quod sciam ille inquit. sed hic piscari nulli solent. itaque heri mirabar quid accidisset. Stomachari Canius sed quid faceret. nondum enim Aquilius collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis cum ex eo quereretur. quid esset dolus malus respondebat. cum esset aliud simulatum. aliud actum. hoc quidem sane luculente. ut ab homine perito diffiniendi. Ergo et Phithius. et omnes aliud agentes. aliud simulantes. perfidi. improbi. maliciosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse. cum sit tot viciis inquinatum. Quod si aquiliana diffinicio vera est. ex omni vita simulacio. dissimulacioque tollenda est. Ita nec ut emat melius. nec ut vendat quicquam simulabit. aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus et legibus erat vindicatus. ut tutela erat duodecim tabulis. et circumscriptio adolescentum lege latoria. et sine lege. et sine lege iudiciis. in quibus ex fide bona agitur. Reliquorum autem iudiciorum hec verba maxime excellunt in arbitrio rei uxorie. melius et equius in fiducia ut inter bonos bene agier. Quid ergo. aut in eo quod melius equius est. potest ulla pars inesse fraudis. Aut cum dicitur. inter bonos bene agier quicquam agi dolose aut maliciose potest. Dolus autem malus in simulacione. ut ait Aquilius continetur

Tollendum est igitur in rebus contrahendis omne mendatium
non licitatorem venditor, nec qui contra se liceat emp-
tor opponet. Uterque si ad eloquendum venerit, non plus
quam semel eloquatur. Q. quidem Scevola Publii filius cum
postulasset ut sibi fundus cuius emptor erat semel indi-
caretur, idque venditor ita fecisset, dixit se pluris exti-
mare. addidit centum milia nummorum. Nemo est
qui hoc viri boni fuisse neget. sapientis negant ut si mi-
noris quam potuisset emisset. Hec igitur est illa pernicies. quod ali-
os bonos alios sapientes existimat. Ex quo Ennius nec
quicquam sapere sapientem qui ipse sibi prodesse nequiret.
Vere id quidem si quid esset prodesse mihi cum Ennio con-
veniret. Hec Catonem quidem Rhodium discipulum Panetii
video in his libris quos de officio scripsit Q. Tuberoni
dicere sapientis esse nihil contra mores leges instituta facien-
tem habere rationem rei familiaris. Neque enim solum
nobis divites esse volumus sed liberis propinquis amicis
maximeque rei publice. Singulorum enim facultates et copie
divitie sunt civitatis. Huic Scevole factum de quo pau-
lo ante dixi placere nullo modo potest. etenim omnino tan-
tum se negat facturum compendii sui causa quod non liceat
Huic nec laus maxima tribuenda est nec gratia. Sed
sive et simulatio et dissimulatio dolus malus est (perpauce
res sunt in quibus dolus iste malus non versetur) sive vir
bonus est is qui prodest quibus potest nocet nemini. Certe
istum virum bonum non facile reperiemus. Numquam igitur
est utile peccare quia semper est turpe. et quia semper est hones-
tum virum bonum esse semper est utile

Ac de iure quidem prediorum sanctitum est apud nos
iure civili ut in his vendendis vitia etiam dicerentur
que nota essent venditori. Nam cum ex duodecim tabulis
satis esset ea prestari que essent lingwa nuncupata que
qui infitiatus esset dupli penam subiret a iuris con-
sultis etiam reticentie pena est constituta. Quicquid
est in predio vitii id statuerunt si venditor sciret nisi
nominatim dictum esset prestari oportere. Ut enim in arce
augurium augures acturi essent iussissentque Titum Claudium
Centumalum qui edes in Celio monte habebat demoliri
eas quarum altitudo officeret auspiciis Claudius proscrip-
sit insulam vendidit emit P. Calfurnius Lanarius. Huic
ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calfurnius

Cum demolitus esset cognovissetque Claudius edes postea proscripsisse quas esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum adegit quicquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater (ut enim ceteri ex patribus, sic hic qui illud lumen progenuit ex filio est nominandus) is igitur iudex ita pronunciavit, cum in vendendo rem eam scisset et non pronunciasset emptori vitium quod nosset venditor. Quod si recte iudicavit, non recte frumentarius ille, non recte edium pestilentium venditor tacuit. Sed huiusmodi reticentie iure civili omnes comprehendi non possunt. que autem possunt diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus propinquus noster C. Sergio Orate vendiderat edes eas quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hec Sergio serviebant, sed hec in principio Marius non dixerat. adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. ius Crassus urgebat quod vitium venditor non dixisset sciens id oportere prestari. equitatem Antonius quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset qui illas edes vendidisset, nichil fuisse necesse dici, nec eum esse deceptum qui id quod emerat quo iure esset teneret. Quorsus hoc? Ut illud intelligas non placuisse maioribus nostris astutos. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias. Leges quatenus manu tenere possunt, philosophi quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter.

Suntne igitur insidie tendere plagas etiam si excitaturus non sis nec agitaturus? Ipse enim fere nullo insequente sepe incidunt. Sic tu enim edes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in eam aliquis incurrat imprudens? Hoc quanquam video propter depravationem consuetudinis neque more turpe haberi neque aut lege sanciri aut iure civili, tamen nature lege sancitum est. Societas enim, quod etsi sepe dictum est (dicendum tamen est sepius), latissime quidem que pateat omnium inter omnes, interior eorum qui eiusdem gentis sint, propior eorum qui eiusdem civitatis. Itaque maiores aliud ius civile esse voluerunt. Quod enim civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri iuris germaneque iustitie solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et ymaginibus utimur. eas ipsas utinam sequeremur. feruntur enim ex optimis nature et veritatis

Exemplis Nam quanti verba illa . uti ne propter te . fidem ve
tua captus fraudatusve sim . quam illa aurea . ut inter bonos
bene agi oportet . et sine fraudatione Sed qui sint boni .
et quid sit bene agi . magna questio est . Q quidem scevola
pontifex maximus . summam vim esse dicebat . in omnibus
hiis arbitriis in quibus agere ex fide bona fideique bone
nomen existimabat manare latissime . idque versari in tutelis .
societatibus . fiduciis mandatis . rebus emptis . venditis . condu-
ctis . locatis . quibus vite societas contineretur In hiis magis esse
iudicis statuere (presertim cum in plerisque essent iudicia contraria)
quid quemque cuique prestare oporteret . Quo circa astucie tollende
sunt . eaque malicia . que vult illa quidem videri se esse pru-
denciam . sed abest ab ea . distatque plurimum Prudentia est enim
locata in delectu bonorum et malorum Malicia si omnia
que turpia sunt . mala sunt . mala bonis ponit ante . Nec vero
in prediis solum ius civile ductum a natura . maliciam frau-
demque vindicat . sed in mancipiorum venditione . venditorum
fraus omnis excluditur Qui enim scire debuit . de sanitate
de fuga . de furtis . prestat edicto edilium Heredum . alia
causa Ex quo intelligitur . quoniam iuris natura fons sit . hoc
secundum naturam esse neminem id agere . ut ex alterius predetur
inscitia Nec ulla pernicies vite maior inveniri potest quam in
malicia simulacio intelligencie . ex quo illa innumerabilia
nascuntur . ut utilia cum honestis pugnare videantur Quotus
enim quisque reperietur . qui impunitate et ignoratione omnium
proposita . abstinere possit iniuria Periclitemur si placet in
hiis quidem exemplis . in quibus peccare vulgus hominum fortas-
se non putat . neque enim de sicariis . veneficis . testamentariis .
furibus . peculatoribus . hoc loco disserendum est . qui non verbis
sunt in disputatione philosophorum . sed vinclis et carcere castigandi
Sed hec consideremus que faciunt hii qui habentur boni L minucii Ba-
sili locupletis hominis falsum testamentum quidam e grecia
Romam attulerunt Quod quo facilius obtineret . scripserunt
heredes secum . M crassum . et Quintum ortensium . ho-
mines eiusdem civitatis potentissimos . qui cum illud falsum
esse suspicarentur . sibi autem nullius essent conscii culpe alie-
ni facinoris munusculum non repudiaverunt Quid ergo
satis est hoc est . ut non deliquisse videatur Michi quidem
non videtur quamquam alterum vivum amavi . alterum non odi
mortuum Sed cum Basilius M satrium sororis filium nomen
suum ferre voluisset eumque fecisset heredem . hunc dico patronum

Agrippam et Sabinum (o turpem notam temporum illorum) non erat
equum principes civis re habere ad senatum nichil preter nomen
pertinente. Etenim si is qui non defendit iniuriam neque propul-
sat a suis cum potest iniuste facit ut in primo libro disserui qua-
lis habendus est is qui modo non repellit sed etiam adiuvat iniuriam.
Michi quidem etiam vere hereditates non honeste videntur
si sunt malitiosis blanditiis officiorum non veritate sed simu-
latione queste. At quod in talibus rebus aliud utile interdum aliud
honestum videri solet. Falso. Non eadem utilitatis que hones-
tatis est regula. Qui hoc non perviderit ab hoc nulla fraus
aberit nullum facinus. Sic enim cogitans est istud quidem
honestum verum hoc expedit res a natura copulatas au-
debit errore divellere qui fons est fraudium maleficiorum
scelerum criminum omnium. Itaque si vir bonus habeat hanc
vim ut si digitis concrepuerit possit in locupletium testamento
nomen eius irrepere hac vi non utatur. Nec si exploratum
quidem habeat id omnino neminem umquam suspicaturum. At
si dares hanc vim M. Crasso ut digitorum percussione
heres posset prescriptus esse qui re vera non esset heres in fo-
ro (crede michi) saltaret. Homo autem iustus et is quem
sentimus virum bonum nil cuique quod in se transferat de-
trahet. Hoc qui admiratur is se quid sit vir bonus nescire fa-
teatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem
evolvere iam se ipse doceat eum virum bonum esse qui prosit
quibus possit noceat nemini nisi lacessitus iniuria. Quid
ergo? Hic non noceat qui quodam quasi veneno perficiat
ut veros heredes moveat in eorum locum ipse succedat.
Non ergo faciat dixerit quis quod utile sit quod expediat. Immo
intelligat nil nec expedire nec utile esse quod sit iniustum.
Hoc qui non didicerit bonus vir esse non poterit. Fimbriam
consularem audiebam de patre meo puer iudicem M. Lutatio
Pythie fuisse equiti romano sane honesto cum is sponsionem
fecisset ni bonus vir esset. Itaque ei dixisse Fimbriam se illam
rem numquam iudicaturum ne aut spoliaret fama probatum
hominem si contra iudicavisset aut statuisse videretur virum bo-
num aliquem esse cum ea res innumerabilibus officiis et
laudibus contineretur. Huic igitur viro bono quem Fimbria etiam
non modo Socrates noverat nullo modo videri potest quicquam esse
utile quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere
sed nec cogitare quidem quicquam audebit quod non valeat pre-
dicare. Hec non nomine est turpe dubitare philosophos que ne

Rustica quidem dubitet . a quibus natum est id quod iam contritum
est vetustate proverbium. Cum enim fidem alicuius bonitatemque
laudent . dignum esse dicunt . quicum in tenebris mices.
Hoc quam habet vim . nisi illam . nihil expedire quod non deceat .
etiam si id possis nullo refellente obtinere. Videsne hoc pro-
verbio neque Gygi illi posse veniam dari . neque huic quem
paulo ante fingebam digitorum percussione hereditates
omnium posse converrere. Ut enim quod turpe est id qua-
mvis occultetur . tamen honestum nullo modo potest . sic quod hones-
tum non est . id utile ut sit . effici non potest . adversante et
repugnante natura. At enim cum permagna premia
sunt . est causa peccandi. C. Marius cum a spe consulatus longe
abesset . et septimum annum post preturam iaceret . neque petiturus
umquam consulatum videretur . Q. Metellum cuius legatus
erat . summum virum et civem cum ab eo imperatore suo Roma
missus esset . apud populum romanum criminatus est bellum
illum ducere . sed si se consulem fecissent brevi tempore aut vivum .
aut mortuum Iugurtham se in potestate populi romani redac-
turum. Itaque factus est ille quidem consul . sed a fide iustitia-
que discessit . qui optimum et gravissimum civem cuius legatus . et a quo
missus esset . in invidiam falso crimine adduxerit. Nec noster
quidem Gratidianus officio boni viri functus est . tunc cum
pretor esset . collegiumque pretorium tribuni plebis adhibuissent .
ut res nummaria de communi sententia constitueretur. Iactabatur
enim temporibus illis nummus sic . ut nemo posset scire quid ha-
beret . conscripserunt communiter edictum cum pena atque iudicio .
constitueruntque . ut omnes simul in rostra post meridiem
descenderent . et ceteri quidem alius alio . Marius a subse-
lliis in rostra recta idque quod communiter
compositum fuerat . solus edixit . et ea res si quaeris . eo magno
honori fuit . omnibus vicis statue . ad eas thus et cerei. Quid
multa? Nemo umquam multitudini fuit carior. Hec sunt que
conturbant homines in deliberatione nonnumquam cum id in quo
violatur equitas . non ita magnum . illud autem quod ex eo
paritur . permagnum videatur . ut Mario preripere col-
legis . et tribunis plebis popularem gratiam non ita turpe . con-
sulem ob eam rem fieri . quod sibi tunc proposuerat . valde
utile videbatur. Sed omnium una regula est . quam cupio
tibi esse notissimam . aut illud quod utile videtur. Quid igitur
possumus ne aut illum Marium virum bonum iudicare .
atque hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam ut

videas que sit in ea species forma et notio viri boni. Cadit
ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa criminari
preripere fallere? Nichil profecto minus. Est ergo ulla
res tanti aut commodum ullum tam expetendum ut viri
boni et splendorem et nomen amittas? Quid est quod af-
ferre tantum utilitas ista que dicitur possit quantum auferre si
boni viri nomen eripuerit fidem iustitiamque detraxerit
? Quid enim interest utrum ex homine se convertat quis
in beluam an hominis figura immanitatem gerat belue?
Quid qui omnia recta et honesta negligunt dummodo
potentiam consequantur Nonne id faciunt quod is qui etiam
socerum habere voluit eum cuius ipse audacia potens esset.
Utile enim videbatur plurimum posse alterius invidia. id quam
iniustum in patriam et quam inutile quam turpe esset non videbat.
Ipse autem socer in ore semper grecos versus de phenissis
habebat quos dicam ut potero incondite fortasse sed
tamen ut res possit intelligi Nam si violandum est ius
regnandi gratia violandum est aliis rebus pietatem colas
Capitalis Etheocles vel potius Euripides qui id unum
solum quod omnium sceleratissimum sperat exceperit Quid igitur
minuta colligimus. Hereditates mercaturas venditiones
fraudulentas? Ecce tibi dicto qui rex populi romani dominusque omni-
um gentium esse concupierit idque perfecerit. Hanc cupiditatem
si quis honestam esse dicit amens est Probat enim legum et
libertatis interitum earumque oppressionem tetram et detestabilem
gloriosam putat Qui autem fatetur honestum non esse in ea
civitate que libera fuit queque esse debebat regnare sed
ei qui id facere possit esse utile qua hunc obiurgatione
aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere Potest
enim dii immortales cuique esse utile fedissimum et teter-
rimum parricidium patrie quamvis is qui se eo obstrinxerit ab
oppressis civibus parens nominetur Honestate igitur diri-
genda utilitas est et quidem sic ut hec duo verba inter se dis-
crepare sed re unum sonare videantur. Non habeo ad
vulgi opinionem que maior utilitas quam regnandi esse pos-
sit? Nichil contra inutilius ei qui id iniuste consecutus
sit invenio cum ad veritatem cepi revocare rationem Possunt
enim cuique esse utiles angores sollicitudines diurni et noc-
turni metus vita insidiarum periculorumque plenissima? Mul-
ti iniqui atque infideles regno pauci boni sunt inquit Accius
at cui regno quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur

Nam quanto plures ei regi putas qui exercitu populi romani
populumque romanum oppressisset civitatemque non modo liberam
sed etiam gentibus imperantem servire sibi coegisset Hunc tu quas
conscientie labes in animo censes habuisse Que vulnera
Cuius autem vita ipsi potest utilitati esse cum eius vite ea con-
dicio sit ut qui illam eripuerit in maxima gratia futurus sit et
gloria Quod si hec utilia non sunt que maxime videntur quia ple-
na sunt dedecoris ac turpitudinis satis persuasum esse debet
nichil esse utile quod non honestum sit Quamquam id quidem
cum ~~lege~~ sepe alias tum Pirrhi bello a C fabricio consule
iterum et a senatu nostro iudicatum est Cum enim rex Pir-
rhus populo romano bellum ultro intulisset cumque de imperio certamen
esset cum rege generoso ac potente perfuga ab eo venit in castra
rediturum et eum veneno necaturum Hunc fabricius re-
ducendum curavit ad Pirrhum idque eius factum a se-
natu laudatum est
Atqui si speciem utilitatis opinionemque querimus magnum
illud bellum perfuga unus et gravem adversarium
imperii sustulisset Sed magnum dedecus et flagitium quicum lau-
dis certamen fuisset eum non virtute sed scelere superatum
Utrum igitur utilius vel Fabricio qui talis in hac ur-
be qualis Aristides athenis fuit vel senatui nostro qui
numquam utilitatem a dignitate seiunxit armis cum hoste
certare an venenis Si gloriae causa imperium expetendum
est scelus absit in quo non potest esse gloria Sin ipse opes
expetuntur quoquo modo non poterunt esse utiles cum in-
famia Non igitur utilis illa L philippi Q filii sententia
quas civitates L silla pecunia accepta ex senatus consul-
to liberavisset ut hec rursus vectigales essent neque hiis
pecuniam quam pro libertate dederant redderemus Ei se-
natus est assensus Turpe imperio Piratarum enim me-
lior fides quam senatus At aucta vectigalia Utile igitur
quousque audebunt dicere quicquam utile quod non honestum
Potest autem ulli imperio quod gloria debet fultum esse
et benivolentia sociorum utile esse odium et infamia
Ego etiam cum Catone meo sepe dissensi nimis enim michi
videbatur prefracte erarium vectigaliaque defendere omnia
publicanis negare multa sociis cum in hos benefici esse
deberemus cum illis sic agere ut cum colonis nostris
soleremus Eoque magis quod illa ordinum coniunctio ad
salutem rei publice pertinebat Male etiam Curio cum causam

Transpadanorum equam esse dicebat, semper autem addebat,
vincat utilitas. potius diceret non esse equam. quia non
esset utilis rei p. quam cum utilem esse diceret, non esse equam.
Plenus est sextus liber de officiis Hec / fatetur
ecatonis talium questionum. sit ne boni viri in maxima
caritate annone familiam non alere. in utramque partem
disputat. sed tamen ad extremum utilitate putat officium di-
rigi. magis quam humanitate. Querit. si in mari iactura
facienda sit. equi ne preciosi potius iacturam faciat. an
servuli vilis. Hic alio res familiaris. alio ducit humani-
tas. si tabulam de naufragio stultus arripuerit. extor-
quebit ne ~~eam~~ eam sapiens si potuerit Negat. quia sit iniuri-
um Quid. dominus navis eripiet ne suum Minime. Non plus
quam si navigantem in alto eicere de navi velit. quia sua sit
quo ad eum perventum sit eo quo sumpta navis est non domini
est navis. sed navigantium Quid si in una tabula sint duo nau-
fragi eque sapientes. sibi uter rapiat. an alter cedat
alteri. cedat vero. sed ei cuius magis intersit vel sua vel
rei p causa vivere? Quid si hec paria in utroque nullum erit
certamen. sed quasi in sorte. aut in dimicando victus. alteri
cedat alter. Quid si pater fana expilet cuniculos. agat
ad erarium. indicet ne id magistratibus filius Nefas id quidem
est quin etiam defendat patrem si arguatur. non igitur patria
prestabit omnibus officiis. Immo vero sed ipsi patrie conducit
pios habere cives in parentes Quid si tirannidem occupare
si patriam prodere conabitur pater silebit ne filius? Immo
vero obsecrabit patrem ne id faciat. si nichil proficiet ac-
cusabit, minabitur. etiam ad extremum si ad perniciem patrie
res spectabit, patrie salutem. anteponat saluti patris
Querit etiam si sapiens adulterinos nummos acceperit im-
prudens pro bonis cum id rescierit soluturus ne sit eos si
cui debeat pro bonis Diogenes ait Antipater negat. cui potius
assentior Qui vinum fugiens. vendat sciens. debeat ne
dicere? non necesse putat Diogenes Antipater viri boni
existimat. Hec sunt quasi controversie iuris stoicorum
In mancipio vendendo. dicenda ne vicia? Non. nisi ea
que nisi dixeris. redhibeatur mancipium iure civili Sed hec me-
dacem esse aleatorem, furacem. ebriosum alteri dicenda videntur
alteri non dicenda videntur. Si quis aurum vendens
aurichalcum se putat vendere indicet ei ne vir bonus aurum
illud esse. aut emat denario quod sit millenarium

Perspicuum est iam, Ut semper pacta servanda sint et promissa
et quod mihi videatur. et quod sit inter eos philosophos quos
nominavi controversia, pacta et promissa semper
ne servanda sint. que nec vi, nec dolo malo. ut pretores
solent. facta sint. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam
intercutem pepigeritque, ne illo medicamento umquam postea
uteretur. si eo medicamento sanus factus fuerit. et annis aliquot
post inciderit in eundem morbum. nec ab eo quicum pepigerat
impetret. ut idem iterum eo liceat uti. quid faciendum sit. cum
sit is inhumanus qui non concedat uti, nec ei quicquam fiat
iniurie vite et saluti consulendum est. Quid si quis sapi
ens rogatus sit ab eo qui heredem faciat. cum ei testamento
sextertium milies relinquatur. ut antequam hereditatem adeat.
luce palam in foro saltet. idque se facturum promiserit. quod aliter
eum heredem ille facturus non esset. faciat quod promiserat ille.
nec ne. Promisisse nollem et id arbitror fuisse gravitatis. quoniam
promisit se saltare in foro. turpe duceret. honestius men
tietur. si ex hereditate nihil ceperit. quam si ceperit. nisi for
te eam pecuniam in rei publice magnum aliquod tempus contulerit.
ut vel saltare cum patrie consulturus etiam sit. turpe non
sit. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt. que non sunt
hiis ipsis utilia quibus illa promiseris. Sol Phetonti filio (
ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit quicquid
optasset. optavit ut in currum patris tolleretur, sublatus est atque
in flammis antequam constitit. ictu fulminis deflagravit. quanto me
lius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum. Quid
quod Theseus exegit promissum a Neptuno. cui cum tres opta
tiones Neptunus dedisset, optavit interitum Ypoliti filii
sui. cum is patri suspectus esset de noverca. quo optato impe
trato Theseus in maximis fuit luctibus. Quid Agamenon.
cum devovisset Diane quod in suo regno pulcherrimum natum esset.
Illo anno immolavit Ephigeniam qua nil erat eo quidem anno
natum pulchrius. Promissum potius non faciendum. quam tam
tetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non
facienda nonnumquam neque semper deposita reddenda. Si gla
dium quis apud te sane mentis deposuerit. repetat insa
niens. reddere peccatum sit. non reddere officium. Quid si
is qui apud te pecuniam deposuit, bellum inferat patrie.
reddes ne depositum. Non credo. facies enim contra rem pu
blicam que debet esse carissima. Sic multa que natura honesta vi
dentur esse. temporibus fiunt non honesta. facere promissa

stare conventis · reddere deposita · commutata utilitate fiunt non
honesta. Ac de hiis quidem que videntur esse utilitatis
contra iusticiam simulacione prudencie · satis arbitror dictum
Sed cum a quatuor *De questionibus magnitudinis et continentie*
fontibus honestatis primo libro officia duxerimus · in eisdem
versabimur cum docebimus ea que videntur esse utilia · neque
sint · quam sint virtutis inimica. Et de prudencia quidem quam vult
imitari malicia · itemque de iusticia que semper est utilis dispu
tatum est Relique sunt due partes honestatis · quarum altera
in animi sit excellentis magnitudine et prestancia cer
nitur altera · in conformacione et moderacione · continentie et
temperantie Utile videbatur Ulixi quidam poete tra
gici prodiderunt · nam apud Homerum optimum autorem · talis
de Ulixe nulla suspicio est · sed insimulatur cum tragedie ·
simulacione insanie miliciam subterfugere voluisse non ho
nestum consilium ac utile · ut aliquis fortasse dixerit · reg
nare et ythace · vivere ociose · cum parentibus · cum uxore ·
cum filio An ullum tu decus in quotidianis periculis et
laboribus · cum tranquillitate hac conferendum putas Ego
vero istam contemnendam et abiciendam · quoniam que ho
nesta non sit · ne utilem quidem esse arbitror Quid enim au
diturum putas fuisse Ulixem · si in ipsa simulacione ~~perst~~
perseverasset · qui cum maximas res gesserit in bello · tamen
hec audivit ab Aiace cuius ipse princeps iurandi fuit
quod omnes scitis solus neglexit fidem · furere assimulavit ·
ne coiret quo instituit Quod ni palamedis perspicax istius
prudencia perceppisset malitiosam audaciam eiusdem fide sacra
tum ius perpetuo falleret Illi vero non modo cum hostibus
verum eciam cum fluctibus id quod fecit · dimicare melius fuit ·
quam deserere consencientem greciam · ad bellum barbaris inferendum
Sed dimittamus et fabulas et externa · ad rem factam nostramque
veniamus M atilius regulus cum consul iterum in affrica · ex
insidiis captus esset · duce Xantippo lacedemonio · imperatore
autem patre hanibalis hamilchare iuratus missus est
ad senatum · ut nisi redditi penis captivi nobiles quidam re
diret ipse carthaginem Is cum romam venisset · utilitatis speciem
videbat · sed eam ut res declarat falsam iudicavit · que erat
talis · manere in patria · esse domi sue cum uxore · cum liberis
quam calamitatem accepisset in bello communem fortune bellice iu
dicantem · tenere consularis dignitatis gradum quis hec neget
esse utilia · quid censes magnitudo animi et fortitudo negat

Harum enim est virtu-
tum proprium nil extimescere · omnia humana despicere · nil
quod homini accidere possit intollerandum putare · Itaque
quid fecit? In senatum venit · mandata exposuit · sententiam ne
diceret recusauit quamdiu iureiurando · hostium teneretur · non
esse senatorem · Atque illud etiam (o stultum hominem dixerit
quispiam et repugnantem vtilitati sue) reddi captiuos negauit
esse vtile · Illos enim adolescentes et bonos duces esse · se
iam confectum senectute · Cuius cum valuisset auctoritas · capti-
ui retenti sunt · Ipse Carthaginem rediit · neque eum caritas patrie
retenuit nec suorum · Neque vero tunc ignorabat se ad crudelissimum
hostem · et ad exquisita supplicia proficisci · Sed iusiurandum
conseruandum putabat · Itaque tunc cum vigilando necabatur · erat
in meliori causa · quam si domi senex captiuus periurus consularis re-
mansisset · At stulte qui non modo censuerit captiuos remittendos ·
verum etiam dissuaserit · Quo modo stulte · etiam si rei publice
conducebat? Potest autem quod inutile rei publice sit · id cuiquam ciui
vtile esse · peruertunt homines ea que sunt fundamenta nature ·
cum vtilitatem ab honestate seiungunt · Omnes enim expetimus
vtilitatem · ad eamque rapimur · nec facere aliter vllo modo pos-
sumus · Nam quis est qui vtilia fugiat · aut quis potius
qui ea non studiosissime persequatur · Sed quia nusquam possumus
nisi in laude · decore · honestate · vtilia reperire · Propterea
illa prima et summa habemus · vtilitatis nomen non tam
splendidum · quam necessarium ducimus · Quid est igitur dixerit
quis in iureiurando · non iratum timemus iouem? At hoc
quidem commune est omnium philosophorum · non eorum modo qui deum
nichil habere ipsum negocii dicunt · et nichil exhibere alteri ·
Sed eorum etiam qui deum semper agere aliquid et moliri vo-
lunt · nunquam nec irasci deum · nec nocere · Quid autem iratus
Iupiter plus nocere potuisset · quam nocuit sibi ipse Regulus? Nul-
la igitur vis fuerit religionis · que tantam vtilitatem peruerteret ·
An ne turpiter faceret primum minima de malis? Non igitur
tantum mali turpitudo ista habebit · quantum ille cruciatus · Deinde
illud etiam apud Accium · Fregisti ne fidem? Neque dedi neque
dabo, infideli cuiquam · Quamquam ab impio rege dicitur, luculen-
ter dicitur · Addunt etiam quemadmodum nos dicimus videri que-
dam honesta que non sint · ut hoc ipsum videtur honestum ·
conseruandi iurisiurandi causa · ad cruciatum reuertisse · Sed fit
non honestum · quia quod per vim hostium esset actum · ratum
esse non debuit · Addunt etiam quicquid valde vtile sit ·

Id fieri honestum. etiam si antea non videretur. Hec fere
contra regulum. Sed prima videamus Non fuit iupiter metu-
endus. ne iratus noceret. qui neque irasci solet neque nocere.
Hec quidem ratio. non magis contra regulum. quam contra
omne iusiurandum valet. Sed in iureiurando. non qui metus.
sed que vis sit debet intelligi. Est enim iusiurandum affirmatio
religiosa. quod autem affirmate quasi deo teste promiseris id
tenendum est. Iam enim non ad iram deorum que nulla
est. sed ad iusticiam et ad fidem pertinet. Nam preclare Ennius
O fides alma apta pinnis. et iusiurandum iouis. Qui igitur
iusiurandum violat. is fidem violat. quam in capitolio vi-
cinam Iouis optimi maximi. ut in cathonis oratione est.
maiores nostri esse voluerunt. At enim ne iratus quidem iupiter.
plus regulo nocuisset. quam sibi nocuit ipse regulus. Certe si nil
malum esset nisi dolere. id autem non modo non summum ma-
lum. sed nec malum quidem esse. maxima auctoritate philosophi
affirmant. Quorum quidem testem non mediocrem. sed haud
scio an grauissimum regulum. nolite queso vituperare. Quem
enim locupletiorem querimus. quam principem publice rei.
qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium. Nam
qui aiunt minima de malis. hii ut turpiter potius quam cala-
mitose. An est vllum maius malum turpitudine. Que
si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis. quanta
illa deprauatio et feditas turpificati animi debet videri.
Itaque neruosius qui illa disserunt. solum audent malum
dicere. id quod turpe sit. qui autem remissius. hii tamen non du-
bitant summum malum dicere. Nam illud quidem neque dedi
neque do fidem. infideli cuiquam. Id recte a poeta dictum.
quia tum tractaretur atrei persone seruiendum fuit. Sed
si hoc sibi sumunt nullam esse fidem. que infideli data sit.
Videant ne queratur latebra periurio. **fides etiam hosti**
Est autem etiam ius bellicum. fidesque / **seruanda est**
iurisiurandi. sepe hosti seruanda. Quod enim iuratum
est. ut mens conciperet fieri oportere. id obseruandum est.
Quod aliter. id si non feceris. nullum periurium est. Ut si pre-
donibus pactum pro capite precium non attuleris. nulla
fraus est. ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata
non est ex perduellium numero diffinitus. sed communis hostis
omnium. cum hoc nec fides esse debet. nec iusiurandum commune.
Non enim falsum iurare periurare est. Sed quod ex animi tui
sententia iuraueris sicut verbis concipitur more nostro. id non facere

Verum est. Si te enim Euripides iuravi lingua, mentem
iniuratam gero. Regulus vero non debuit condiciones pac-
tionesque bellicas et hostiles perturbare periurio. Cum iusto
enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum
ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset,
numquam claros viros senatus vinctos hostibus dedisset. At vero
Titus veturius et Spurius postumius cum iterum consules
essent, quia cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus
nostris sub iugum missis, pacem cum samnitibus fecerat,
dediti sunt hiis. Iniussu enim populi senatusque fecerant.
Eodemque tempore Tiberius minutius, Q emilius, qui tunc
tribuni plebis erant, quia eorum auctoritate pax erat facta,
dediti sunt, ut pax samnitum repudiaretur. Atque huius de-
ditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit.
Quod idem multis annis post C mancinus, qui ut numantinis,
quibus cum sine senatus auctoritate fedus fecerat, dederetur,
rogationem suasit eam quam Lucius furius et sextus Atilius
ex senatus consulto ferebant, qua accepta est hostibus deditus.
Honestius hic quam Q pompeius, quo cum in eadem causa
esset deprecante, accepta lex non est. Hic ea que videbatur
utilitas plus valuit quam honestas. Apud superiores utilitatis
species falsa ab honestatis auctoritate superata est. At non
debuit ratum esse quod erat actum per vim, quasi vero forti viro
vis possit adhiberi. Cur igitur ad senatum proficiscebatur,
cum presertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum
in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit, sed
suscepit causam ut esset iudicium senatus, cui nisi ipse auctor fu-
isset, captivi profecto penis redditi essent. Ita incolumis
in patria regulus restitisset. Quod quia patrie non utile putavit,
idcirco honestum sibi et sentire illa et pati credidit. Nam
quod aiunt quod valde utile sit, id fieri honestum, ymo vero
esse, non fieri. Est enim nichil utile quod idem non honestum,
nec quia utile honestum est, sed quia honestum utile. Quare
ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit
hoc exemplo aut laudabilius aut prestantius. Sed ex tota
hac laude reguli unum illud est admiratione dignum, quod
captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis non
mirabile videtur, illis quidem temporibus aliter facere non
potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum
enim vinculum ad astringendam fidem iureiurando ma-
ius esse voluerunt. Id indicant leges in duodecim

Tabulis · indicant sacrate · indicant federa · quibus etiam cum hos-
te deuincitur fides · indicant notiones · animaduersionesque cen-
sorum · qui nulla de re diligencius quam de iureiurando iudica-
bant · L manlio Auli filio · cum dictator fuisset · M pomponius
tribunus plebis diem dixit · quod in paucos sibi dies ad dicturam
gerendam addidisset · criminabatur etiam quod Titum filium qui
postea est torquatus appellatus ab hominibus relegasset · et rure
habitare iussisset · quod cum audiuisset adolescens filius negocium
exhiberi patri accurrisse romam · et cum prima luce Pompo-
nii domum venisse dicitur · Cui cum esset nunciatum · quod illum
iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur · surrexit
e lectulo · remotisque arbitris ad se adolescentem iussit venire
At ille ut ingressus est confestim gladium distrinxit · iurauitque
se illum statim interfecturum · Iurauit hoc terrore coactus
Pomponius · rem ad populum detulit · docuitque sibi a causa desis-
tere necesse esset · Manlium missum fecit · Tantum temporibus illis ius-
iurandum valebat · Atque hic T manlius is est qui ad anienem
galli · quem ab eo prouocatus occiderat · torque detracto cogno-
men inuenit · cuius tercio consulatu latini aduersum fusi et fugati ·
magnus vir in primis · et qui nimper indulgens in patrem
~~patrem~~ idem acerbus et seuerus in filium · Sed ut laudandus
regulus in conseruando iureiurando · sic decem illi quos post ca-
tanensem pugna · iuratos ad senatum misit hanibal · in cast-
redituros · ea quorum erant peni · nisi de redimendis capti-
uis impetrauissent · si non redierunt vituperandi · de quibus
non omnes uno modo · Nam Polibius bonus auctor in
primis scribit ex decem nobilissimis qui tunc erant missi nouem
reuertisse a senatu re non impetrata · Unum ex decem
qui paulo postquam egressus a castris redisset quasi aliquid esset
oblitus rome remansisse · reditu enim in castra liberatum se
esse iureiurando interpretabatur · non recte · fraus enim dis-
tringit · non dissoluit periurium · Fuit igitur stulta calliditas ·
peruerse imitata prudenciam · Itaque decreuit senatus · ut il-
le veterator et callidus · vinctus ad hanibalem duceretur
Sed illud maximum octo hominum milia tenebat hanibal ·
non quos in acie cepisset · aut qui periculo mortis difugissent ·
sed qui relicti in castris fuissent a Paulo et Verrone consuli-
bus · Eos senatus non censuit redimendos · cum id parua pe-
cunia fieri potuisset · ut esset insitum militibus nostris · aut
vincere · aut emori · Qua quidem re audita · fractum animum
Hanibalis scripsit · Idem quod senatus populusque romanus rebus

Afflictis tam excelso animo fuisse. Sic honestatis compa-
ratione ea que videntur utilia vincuntur. Acilius autem
qui grece scripsit historiam plures ait fuisse qui in castra
revertissent eadem fraude ut iureiurando liberarentur
eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. Sit iam huius
loci finis. Perspicuum est enim que timido animo humili
demisso fractoque fiant quale fuisset Reguli factum si
aut de captivis quod ipsi opus esse videretur non quod rei publice
censuisset aut domi remanere voluisset non esse utilia quia
sint flagitiosa feda et turpia. De modestie decorisque
Restat quarta pars que decore questionibus
moderatione modestia continentia temperantia continetur.
Potest igitur quicquam utile esse quod sit huic talium
virtutum choro contrarium. Atqui ab Aristippo Cirenaici atque
Anniceri philosophi nominati omne bonum in voluptate posuerunt virtu-
temque censuerunt ob eam rem esse laudandam quod effici-
ens esset voluptatis. Quibus obsoletis floret Epicurus eiusdem
fere adiutor auctorque sentencie. Cum hiis viris equisque ut
dicitur si honestatem tueri ac retinere sententia est decer-
tandum est. Nam si non modo utilitas sed vita omnis beata
corporis firma constitucione eiusque constantis spe explo-
rata ut a Metrodoro scriptum est continetur certe hec
utilitas et quidem summa (sic enim censent) cum honestate
pugnabit. Nam ubi primum prudentie locus hic dabitur?
an ut conquirat undique suavitates? Quam miser virtutis
famulatus servientis voluptati. Quod autem munus pru-
dentie? An legere intelligenter voluptates? Fac nihil isto esse
iocundius quid cogitari potest turpius? Iam qui dolorem sum-
mum malum dicat ~~Epicurus sicut hic dicat~~ apud eum que
habet locum fortitudo que est dolorum laborumque contemptio.
Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus sicut hic dicat
satis fortiter de dolore tamen non id spectandum est
quid dicat sed quid consentaneum sit ei dicere qui bona
in voluptate terminaverit mala in dolore. Ut si illum
audiam de continentia et temperantia. Dicit ille multa multis locis
sed aqua heret ut aiunt. Nam quo modo potest temperantiam lau-
dare is qui ponat summum bonum in voluptate? Est enim temperantia
libidinum inimica. Libidines autem consectatrices voluptatis.
Atque in hiis tamen tribus generibus quoquo modo possunt non incal-
lide tergiversantur. Prudentiamque introducunt scientiam suppedi-
tantem voluptates depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo

Expediunt · cum tradunt rationem negligende mortis perpetiendique
doloris · Etiam temperantiam inducunt · non facillime illi quidem
sed tamen quoquo modo possunt · Dicunt enim voluptatis
magnitudine doloris detractionem fieri · Iustitia vacil-
lat · vel iacet potius · Omnesque hee virtutes · que in commu-
nitate cernuntur · et in societate generis humani · Neque
enim bonitas · nec liberalitas · nec comitas esse potest non
plus · quam amicitia · si hec non per se expetantur sed ad vo-
luptatem utilitatem ne referantur · Conferamus igitur in pau-
ca · Nam ut utilitatem nullam esse docuimus · que hone-
stati esset contraria · sic omnem voluptatem dicimus honesta-
ti esse contrariam · Quo magis reprehendendos Calliphonem
et dinomachum iudico · qui se direpturos controversiam pu-
taverunt · si cum honestate voluptatem · tamquam cum homine
pecudem ~~copulavisset~~ copulavissent · non recipit istam
coniunctionem honestas · aspernatur · repellit · Nec vero
finis bonorum et malorum · qui simplex esse debet ·
ex dissimilibus rebus misceri · et temperari potest · sed de hoc
hactenus · Magna enim res est alio loco pluribus verbis
disputata · nunc ad propositum · Quemadmodum igitur · si
quando ea que videtur utilitas · honestati repugnat · diiu-
dicanda res sit · satis est supra disputatum · Sin autem
speciem utilitatis · etiam voluptas habere dicatur · nul-
la potest esse ei cum honestate coniunctio · Nam ut tribuamus
aliquid voluptati condimenti · fortasse non nihil · utilitatis
certe nihil habebit ·

Habes a patre munus · Marce fili · mea quidem sententia
magnum · sed perinde erit ut acceperis · Quamquam hi
tres libri inter cratippi · commentarios tamquam hos-
pites erunt recipiendi · Sed ut si ipse venissem athenas · quod
quidem esset factum · nisi me medio cursu clara voce patria
revocasset aliquando me quoque audires · Sic quoniam his vo-
luminibus ad te profecta vox mea est · tribues eis temporis quantum
poteris (poteris autem quantum voles) Cum vero intellex-
ero te scientie genere gaudere · tum et presens tecum propediem
ut spero · et dum aberis absens loquar · Vale igitur
mi Cicero · tibique persuade te michi quidem esse carissimum ·
sed multo fore cariorem · si talibus monitis · preceptisque letabere

Tullius hesperios cupiens componere mores
Edidit hos libros appellans officiorum
Quo solo ferus extinctus est furor catiline
Consilio superum custos directus ad urbem
Lux orbis · procerum salus · mens tota senatus
Hic plus sole micat civitati propter honestum

Marci Tulij Ciceronis paradoxa Incipit



Nimaduerti Brute. sepe Catonem
auunculum tuum. cum in senatu sententiam
diceret. locos graues ex philosophia trac-
tare. abhorrentes ab hoc vsu forensi
et publico. sed dicendo. consequi tamen
vt illa etiam populo probabilia vi-
derentur Quod eo maius est illi. quam
aut tibi aut nobis. quia nos ea
philosophia plus vtimur. que peperit
dicendi copiam. et in qua dicuntur
ea que non multum discrepant
ab opinione populari Cato autem perfectus mea sententia stoicus.
et ea sentit que non sane probantur in vulgus. et in ea est
heresi. que nullum sequitur florem orationis. neque dilatat
argumentum. sed minutis interrogatiunculis. quasi punctis
quod proposuit efficit Sed nichil est tam incredibile. quod
non dicendo fiat probabile. nichil tam horridum. tam
incultum. quod non splendescat oratione. et tanquam
excolatur Quod cum ita putarem. feci etiam audacius quam ille
ipse de quo loquor Cato enim dumtaxat. de magnitudine
animi. de continentia. de morte. de omni laude virtutis.
de dijs immortalibus. de caritate patrie. stoice solet nullis
oratorijs ornamentis adhibitis dicere Ego tibi illa ipsa
que vix in gymnasijs. et in ocio stoici probant. ludens coniecti in communes
locos Que quia sunt admirabilia. contraque opinionem omnium.
ab ipsis etiam paradoxa appellantur. temptare volui. pos-
sent ne proferri in lucem. idem in forum. et ita dici ut pro-
barentur an alia quedam esset erudita. alia popularis oratio.
Eoque locos scripsi libencius. quia michi ista paradoxa que ap-
pellant. maxime videntur esse socratica. longeque verissima
Accipies igitur hoc paruum opusculum lucubratum his
iam contractioribus noctibus. quoniam illud maiorum vigiliarum
munus. in tuo nomine apparuit. et degustabis genus
exercitacionum earum. quibus vti consueui. cum ea que dicuntur
in scolis ΘΗΤΙΚΩϹ. possidua ad nostrum hoc oratorium trans-
fero dicendi genus Hoc tamen opus in apertum ut referas.
nichil postulo Non enim est tale. vt in arce poni possit.
quasi minerua illa fidie. sed tantum vt ex eadem officina
exisse appareat. in hac eadem figura exisse appareat
ΟΤΙ ΧΟΝΟΗ ΤΟΚΑΛ ΟΗΑΤΑΒΟΗ

Quod honestum sit · id solum bonum esse · Vereor ne
cui vestrum ex stoicorum hominum disputacionibus · non
ex meo sensu deprompta hec videatur oracio · Dicam
quod senciam tamen · et dicam brevius quam res tanta dici postulat · numquam
me hercule ego neque pecunias istorum · neque tecta magni-
fica · neque opes · neque imperia · neque eas quibus maxime as-
tricti sunt voluptates · in bonis rebus aut expetendis esse
duxi · Et quippe cum viderem · rebus hiis circumfluentibus ·
ea tamen desiderare maxime quibus habundarent · Neque enim
umquam expletur nec saciatur cupiditatis sitis · neque ea solum
que habent · libidine augendi cruciantur · sed eciam amittendi
metu · In quo equidem continentissimorum hominum maiorum
nostrorum · sepe requiro prudenciam · qui hec inbecilla et
commutabilia pecunie membra · solo verbo bona putaverunt
appellanda · cum re ac factis longe aliter iudicavissent
Potest ne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in ha-
bundancia bonorum · ipse esse non bonus? Atque ista omnia
talia videmus · ut eciam improbi habeant · et absint probis ·
Quamobrem licet irrideat si qui vult · plus apud me tamen
vera racio valebit · quam vulgi opinio · Neque ego umquam bona
perdidisse dicam · si quis pecus · aut supellectilem amiserit ·
nec non sepe laudabo sapientem illum Biantem · ut opinor
qui numeratur in septem · Cuius cum patriam Prienam ce-
pisset hostis · ceterique ita fugerent · ut multa de suis rebus
secum asportarent · cum esset admonitus a quodam · ut idem
ipse faceret · ego vero inquit facio · Nam omnia mea
mecum porto · Ille hec ludibria fortune · ne sua quidem puta-
vit · que nos appellamus eciam bona · Quid est igitur quereret
aliquis bonum? Si quid recte fit et honeste et cum virtute ·
id bene fieri vere dicitur · Quod rectum et honestum et cum
virtute est · id solum opinor bonum · Sed hec videri possunt
obscuriora · cum lencius disputantur · vita atque factis il-
lustrata sunt summorum virorum · hec que verbis subti-
lius quam factis disputari videntur · Quero enim a vobis ·
num ullam cogitacionem habuisse videantur · hii qui hanc
rem publicam tam preclare fundatam nobis reliquerunt · aut
argenti ad avariciam · aut amenitatum ad delectacionem ·
aut supellectilis ad delicias · aut epularum ad volupta-
tes · Ponite ante oculos unumquemque regum · vultis
incipere a Romulo · vultis post liberam civitatem ab hiis
ipsis qui liberaverunt · quibus tandem Romulus gradibus

Ascendit in celum? His ne que isti bona appellant · an rebus
gestis an virtutibus? Quid autem Numa Pompilius · minusne
gratas dijs immortalibus capudines ac fictiles urnulas
fuisse quam filicatas aliorum pateras arbitramur? O-
mitto reliquos · Sunt enim omnes pares inter se · preter
superbum Brutum Si quis roget quid egerit in patria
liberanda · Si quis item reliquos eiusdem consilij socios quid
spectaverit · quod secuti sint Num quis existat · cui voluptas · cui
divicie · cui denique preter officium fortis et magni viri · quicquam aliud
propositum fuisse videatur? Que res ad necem Porsenne C.
Mucium impulit · sine ulla spe salutis sue? Que vis Coclitem
contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum?
Que patrem Decium · quod filium devovit · ac immisit in ar-
matas hostium copias? Quid continentia C. fabricij? Quid
tenuitas victus M. curij sequebatur? Quid duo propugna-
cula belli punici Cn. et P. Scipiones · qui kartaginensium adven-
tum · corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Af-
fricanus minor? Quid inter horum etates · interiectus Cato?
Quid innumerabiles alij? Nam domesticis exemplis
habundamus · an cogitasse quicquam putamus? in vita sibi
expetendum · nisi quod laudabile esse et preclarum videtur
Veniat igitur irrisores huius orationis ac sententie · etiam
vel ipsi iudicent · utrum se horum alicuius · qui marmoreis
tectis · ebore et auro fulgentibus · qui signis · qui tabulis · qui celato
auro et argento · qui corinthijs operibus habundabat · an
C. fabricij qui nil habuit eorum · nichil habere voluit · se si-
miles malint Atque hec quidem que modo huc · modo illuc trans-
feruntur · facile adduci solent · ut in bonis rebus esse negent
Illud arte tenent · accurateque defendunt · voluptatem esse
summum bonum · Que quidem michi vox pecudum videtur esse
non hominum · Tu cum tibi sive deus · sive mater ut ita dicam
rerum omnium natura · dederit animum · quo nichil est pres-
tantius · neque divinius · sic te ipse abicies atque prosternes
ut nichil inter te atque inter quadrupedem aliquid putes
interesse? Quicquam bonum est · quod non eum qui possidet melior
est facit? Ut enim est quisque maxime boni particeps · ita
et laudabilis maxime · neque est ullum bonum · de quo
non is qui id habeat · honeste possit gloriari Quid autem
est horum in voluptate? Meliorem ne efficit aut lauda-
biliorem virum? An quisquam in potundis volup-
tatibus gloriando se et predicatione effert? At qui si vo-

luptas que plurimorum patrociniis defenditur in rebus bonis
habenda non est. eaque quo est maior. eo magis mentem
ex sua sede et statu dimovet. profecto nil est aliud bene et
beate vivere. nisi honeste et recte vivere

OTIMOHOH TOKAΛOHATAΘOH

In quo virtus sit. ei nichil deesse ad beate vivendum. Nec
vero ego M. regulum erumnosum, nec infelicem. nec
miserum umquam putavi. Non enim magnitudo animi
eius cruciabatur a penis. non gravitas. non fides. non
constantia. non ulla virtus. non denique animus ipse.
qui tot virtutum presidio. tantoque comitatu septus. cum
corpus eius caperetur. capi certe ipse non potuit. G. vero
marium videmus. qui michi secundis rebus unus ex fortunatis
hominibus, in adversis unus ex summis viris videbatur. quo
beatius esse mortali nichil potest. Nescis insane. nescis quan-
tas vires virtus habeat. nomen tantum virtutis usurpas.
quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus
esse. qui est totus aptus ex se. quique in se uno sua ponit
omnia. Cui autem spes omnis. et ratio et cogitatio pendet
ex fortuna. huic nil potest esse certi. nichilque quod explo-
ratum habeat permansurum sibi unum diem. eum tu hominem
terreto. si quem eris nactus. istis mortis aut exilii minis.
michi vero quicquid acciderit in tam ingrata civitate ne re-
cusanti quidem evenerit. non modo non repugnanti. Quid
enim ego laboravi. aut quid egi. aut in quo evigilave-
runt cure et cogitationes mee. Siquidem nichil peperi
tale nichil consecutus sum. ut eo statu essem. quem neque
fortune temeritas. neque inimicorum labefactaret in-
iuria. Mortem ne michi minitaris. ut omnino ab ho-
minibus. an exilium. ut ab improbis demigrandum sit.
Mors terribilis his. quorum cum vita omnia extinguuntur.
Non his quorum laus emori non potest. Exilium autem
illis. quibus quasi circumscriptus est habitandi locus. non
his qui omnem orbem terrarum. unam urbem esse ducunt.
te miserie. te erumne premunt omnes. qui te beatum. qui flo-
rentem putas. tue libidines te torquent. tu dies noc-
tesque cruciaris. cui nec sat est quod est. et id ipsum quod habes.
ne non diuturnum sit futurum times. te conscientie stimulant
maleficiorum tuorum. te metus exanimat iudiciorum atque
legum. quocunque aspexisti. ut furie. sic tue tibi occurrunt
iniurie. suspirare que te libere non sinunt. Quamobrem

et improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest. Sit bonus
vir et sapiens et fortis miser esse nemo potest. Nec vero
cuius virtus moresque laudandi sunt eius non laudanda vi-
ta est. neque porro fugienda vita est que laudanda est.
Esset autem fugienda si esset misera. Quamobrem quicquid
est laudabile. idem et beatum et florens. et expetendum
videri decet. OTICATA AMAPTHMAKAITATWTWMA ,TA,

Parva inquit est res. atque magna culpa. nec enim pec-
cata rerum eventu. sed viciis hominum metienda sunt.
In quo peccatur. id potest aliud alio maius esse. aut
minus. ipsum quidem illud peccare. quoquo verteris. unum est.
Auri navem evertat gubernator an palee in re aliquantum
in gubernatoris inscitia nichil interest. Lapsa est ipsius libido
in muliere ignota. dolor ad pauciores pertinet. quam si petulans
fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine. Peccavit vero
nichilominus. si quidem est peccare. tamquam transire lineas.
Quod cum feceris. culpa commissa est. quam longe progrediare.
cum semel transieris. ad augendam transeundi culpam nil
pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet. id
hoc uno tenetur. si arguitur non licere. Id si nec maius nec
minus umquam fieri potest. quoniam in eo est peccatum si non licuit.
quod semper unum et idem est. que ex eo peccata nascuntur.
equalia sint oportet. Quod si virtutes pares sunt inter se
paria esse etiam vitia necesse est. At qui pares esse virtutes.
nec bono viro meliorem. nec temperante temperantiorem. nec forti
fortiorem nec sapienti sapientiorem posse fieri. facillime
potest perspici. An virum bonum dices. qui depositum nullo teste
cum lucrari impune posset. auri pondo decem reddiderit.
si idem in decem milibus pondo auri non idem fecerit.
Aut temperantem qui se in aliqua libidine continuerit. in aliqua
effuderit. Una virtus est consentiens cum ratione. et perpetua constan-
cia. Nichil huic addi potest. quo magis virtus sit. nichil de-
nique demi. ut virtutis nomen relinquatur. Etenim si bene
facta. recte facta sunt. et nichil recto rectius. est certe nec
bono quidem melius quicquam inveniri potest. Sequitur igitur.
ut etiam vitia sint paria. Siquidem pravitates animi recte
vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt. recte facta
quando a virtutibus proficiscuntur. paria esse debent. Itemque
peccata quoniam ex viciis manant. sint equalia necesse est. A philosophis
inquit iste sumis. metuebam ne a lenonibus diceres. Socra-
tes disputabat isto modo. bene Hercule narras. Nam istud

Doctum et sapientem virum fuisse memorie traditum est
Sed tu quero ex te · quid verbis inter nos contendimus non
pugnis · utrum de bonis est querendum · quid bauli atque
operari · an quid homines doctissimi senserint · presertim cum
hac sententia non modo verior sed ne utilior quidem hominum
vite reperiri ulla possit · Que vis enim que magis arce-
at homines ab improbitate omni · quam si senserint nullum in
delictis esse discrimen · eque peccare · si privatis ac si magis-
tratibus manus afferant · quamcumque in domum stuprum intulerint ·
eandem esse labem libidinis · Nichil ne igitur interest · nam
hoc dicet aliquis · patrem quis necet an servum · Nuda ista
si ponas · iudicari qualia sint · facile possunt · Patrem vita
privare · si per se scelus est · saguntini qui parentes suos
liberos emori · quam servos vivere maluerunt · parricide
fuerunt · Ergo et parenti nonnumquam adimi vita sine sce-
lere potest et servo sepe sine iniuria non potest · Causa igi-
tur · non natura distinguit · Que quando utro accessit · id
fit propensius · Si utroque adiuncta est · paria fiant · necesse est ·
Illud tamen interest · quod in servo necando · si adsit iniuria · semel
peccatur · in patris vita violanda multa peccantur · Violatur
is qui procreavit · is qui aluit · is qui erudivit · is qui in sede ac do-
mo atque in re publica collocavit · multitudine peccatorum prestat ·
eoque pena maiore dignus est · Sed nos in vita non que cuique
peccato pena sit · sed quantum cuique liceat · spectare debemus
Quicquid non oportet · scelus esse · quicquid non licet · ne-
fas putare debemus etiam ne in minimis rebus · Si quidem
rectum modum fingere non possumus · alterum modum te-
nere possumus · Histrio si paulo se movit extra numerum ·
aut si versus pronuntiatus est · syllaba una brevior aut longior · ex-
sibilatur · exploditur · In vita tu omni gestu moderatior · omni
versu aptior esse debes · in syllaba te peccare dices · poetam non
audio in nugis · in vite societate audiam · civem digitis
peccata dimetientem sua · que si visa sint breviora · leviora · qui
possunt videri cum quicquid peccatur perturbatione peccetur
rationis atque ordinis · perturbata autem semel ratione et
ordine nichil possit addi quo magis peccari posse vi-
deatur · OTI TIAC AΦPWN MAINETAI

Omnes stultos insanire · Ego vero te non stultum · ut
sepe · non improbum ut semper · sed dementem et insa-
num · rebus addictum vincis · sapientis animi mag-
nitudine consilii · tollerantia rerum humanarum contemptione

Fortitudine virtutibus denique omnibus tot membris septus vincetur et expugnabitur, qui nec civitate quidem pelli potest. Que est enim civitas? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nichil valebant, cum iudicia iacebant, cum mos patrius occiderat, cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in re p. non erat. Predonum ille concursus et te duce latrocinium in foro constitutum et reliquie coniurationis a Catiline furiis ad tuum scelus furoremque conversa est, non civitas erat.

Itaque pulsus ego civitate non sum, que nulla erat. accersitus in civitatem sum, cum esset in re p. consul, qui tum nullus fuerat, esset senatus qui tum occiderat, esset consensus populi liberi, esset iuris et equitatis, que vincula sunt civitatis, repetita memoria. Vide quam ista tui latrocinii tela contempserim. Iactam et immissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi, pervenisse ad me numquam putavi. Nisi forte tum parietes disturbabas aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere aut deflagrare arbitrabare. Nichil neque meum est neque cuiusquam quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si michi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, si meo rem p. si huius eterni beneficii immortalem memoriam delevisses, multo etiam magis si illam mentem unde hec consilia manarunt michi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si hec nec fecisti nec facere potuisti, reditum michi gloriosum tua dedit iniuria, non exitum calamitosum. Ergo ego semper civis et tum maxime, cum eam salutem senatus exteris nationibus civis optimi commendabat. Tu ne nunc quidem es civis, nisi forte idem hostis esse et civis potest. An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis? Cedem in foro fecisti, armatis latronibus templa tenuisti, privatorum domos, edes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu civis? Potes autem esse tu civis propter quem aliquando civitas non fuit? et me exulem tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rem p. putent? Numquamne homo amentissime te circumspicies? Numquamne nec quid facias considerabis, nec quod loquare? Nescis exilium scelerum esse penam, meum illud iter ad preclarissimas res a me ante gestas esse susceptum? Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges

exilio adesse volunt · exules sunt · etiam si solum non mutarunt
An tu omnes te leges exulem esse iubeant · non eris tu exul
? Non appellatur inimicus · qui cum telo fuerit ante senatum ·
tua sica deprehensa · et qui hominem occiderit plurimos occidisti ·
qui incendium fecerit · edes nimpharum manu tua defla
gravit · qui templa occupaverit · in foro castra posuisti · Sed
quid ego communes leges profero · quibus omnibus es exul ? familiarissi
mus tuus de te privilegium tulit · ut si in opertum bone dee
accessisses · exulares · At te id fecisse etiam gloriari soles ·
Quomodo igitur tot legibus in exilium eiectus nomen exulis
non perhorrescis ? Rome sum inquis · et quidem in operto
fuisti · Non igitur ubi quisque erit · eius loci ius tenebit ·
si ibi eum legibus esse non oportebit ΟΤΙΧΟΙΟΙ ΟΤΟΦΟΣ
ΚΑΤΥ ΟΙΠΟΣ · ΚΑΙΤΙΛΣ ΑΦΡΟΝΔΟΥΛΟΣ ·

Omnes sapientes liberos esse et stultos omnes servos ·
Laudetur vero hic imperator · aut etiam appelletur · aut
hoc nomine dignus putetur · Quo aut cui tandem
hic libero imperabit · qui non potest cupiditatibus suis imperare
? Refrenet primum libidines spernat voluptates · iracundiam
teneat · coerceat avariciam · ceteras animi labes repellat ·
tum incipiat aliis imperare · cum ipse improbissimis dominis de
decori ac turpitudini parere desierit · Dum quidem his
obediet · non modo imperator · sed liber habendus omnino non
erit Preclare enim est hoc usurpatum a doctissimis · quorum
ego auctoritate non uterer · si michi apud aliquos agrestes hec
habenda esset oratio Cum vero apud prudentissimos loquar ·
quibus hec inaudita non sunt · cur ego simulem me si quid
in his studiis opere posuerim perdidisse ? Dictum est igitur
ab eruditissimis viris · nisi sapientem liberum esse neminem
Quid est enim libertas ? Potestas vivendi ut velis Quis
igitur vivit ut vult · nisi qui recta sequitur · qui gaudet
officio · cui vivendi via considerata atque provisa est · qui legi
bus quidem · non propter metum paret · sed eas sequitur atque
colit · quod salutare maxime esse iudicat · qui nichil dicit ·
nichil facit · nichil cogitat · denique nisi libenter ac libere ·
cuius omnia consilia · resque omnes quas gerit · ab ipso profi
ciscuntur · eodemque feruntur ? Nec est ulla res que plus apud
eum polleat · quam ipsius voluntas atque iudicium Cui quidem
etiam que vim habere maxima dicitur · fortuna ipsa cedit
sicut sapiens poeta dixit · suis quisque fingitur moribus
Soli igitur hoc contingit sapienti ut nichil faciat invitus

Nichil dolens. nichil coactus. Quod et si ita esse pluribus
verbis disserendum est. illud tamen et breue et confitendum
est. nisi qui ita sit affectus. esse liberum neminem. Igitur omnes
improbi serui. nec hoc tam re est. quam dictu inopinatum atque
mirabile. Non enim ita dicunt eos esse seruos. ut manci-
pia que sunt dominorum. et facta nexu. aut aliquo iure ciui-
li. sed si seruitus sit. sicut est obediencia fracti animi et ab-
iecti. et arbitrio carentis suo. quis neget omnes denique impro- leues. omnes cupidos.
bos esse seruos. An ille michi liber videtur. cui mulier imperat.
cui leges imponit. prescribit. iubet. vetat quod videtur. qui
nichil imperanti negare potest. vel recusare audet. Poscit dan-
dum est. vocat. veniendum. eicit. abeundum. minatur. exti-
mescendum. Ego vero istum non modo seruum. sed nequissimum seruum.
etiam si in amplissima familia natus sit. appellandum puto
Atque ut in magna familia. stultorum sunt alii lautiores vt sibi
videntur serui. sed tamen serui atrienses. atque pari stulticia sunt
signa. quos tabule. quos celatum argentum. quos corinthia
opera. quos edificia magnifica. nimio opere delectant. et sumus
inquiunt principes ciuitatis. vos vero ne conseruorum quidem
vestrorum principes estis. sed ut in familia. qui tractant ista.
qui tergunt. qui vngunt. qui verrunt. qui spargunt. non ho-
nestissimum locum seruitutis tenent. sic in ciuitate qui se istarum
rerum cupiditatibus dederunt. ipsius seruitutis locum pene
infimum obtinent. Magna inquit bella gessi magnis im-
periis. et prouinciis prefui. Gere igitur animum laude dignum. Ac-
tionis tabula te stupidum detinet. aut signum aliquod policleti.
Mitto vnde sustuleris. quo habeas. intuentem te admirantem. cla-
mores tollentem. cum video. seruum te esse ineptiarum omnium iudi-
co. Nonne igitur sunt illa festiua. Sint. Nam nos quoque
oculos eruditos habemus. Sed obsecro te. ita venusta habe-
antur ista. non ut vincla virorum sint. sed ut oblectamenta
puerorum. Quid enim censes. L. mummius. aliquem istorum vide-
ret matellionem corinthium cupidissime tractantem. Cum ipse to-
tam corinthum contempsisset. vtrum illum ciuem excellentem
an atriensem diligentem putaret. Reuiuiscat M. curius. aut eorum
aliquis. quorum in villa ac domo nichil splendidum. nichil or-
natum fuit preter ipsos. et videant aliquem summis populi beneficiis
vsum barbatulos mullos exceptantem de piscina. et pertractantem.
et murenarum copia gloriantem. Nonne hunc hominem ita seruum
iudicet. ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo nego-
tio putet. an eorum seruitus dubia est. qui cupiditate peculii

Nullam condicionem recusant durissime servitutis? Hereditatis
spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? Quem nutum
locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem,
quicquid denunciatum sit facit, assentatur, assidet, muneratur.
Quid horum est liberi? quid denique nisi servi non inertis? Quid
iam illa cupiditas que videtur esse liberior? honoris, imperii,
provinciarum, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens.
Cethego homini non probatissimo servire eos coegit eos qui
sibi esse amplissimi videbantur, munera mittere, noctu ve-
nire domum ad eum, precari, denique supplicare. Que servitus est,
si hec libertas existimari potest? Quid cum cupiditatum dominatus ex-
cessit, et alius est dominus exortus ex consciencia peccatorum timor,
quam est illa misera, quam dura servitus? adolescentibus paulo
loquacioribus est serviendum. omnes qui aliquid scire videntur
tamquam domini timentur. Iudex vero quantum habet dominatum, quo
timore nocentes afficit? An non est omnis metus servitus? Quid
valet igitur illa eloquentissimi viri L. Crassi copiosa magis
quam sapiens oratio? eripite nos ex servitute. Que est ista servitus
tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati et
humilis et fracte timiditas servitus est. Nolite sinere nos
cuiquam servire. Libertatem vindicare vult? Minime. Quid
enim adiungit, nisi vobis universis. Dominum mutare, non
liber esse vult. quibus et possumus et debemus. Nos vero si
quidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato su-
mus, nec debemus nec possumus. Tu posse te dicito, quo-
niam quidem potes, debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet nisi
quod est turpe non reddere, sed hec actenus. Ille videat quo
modo imperator esse possit, cum eum ne liberum quidem esse ratio
et veritas ipsa convincat. OTYHONOC· TOPOC· TYKOYCIOT

Quod solus sapiens dives. Que est ista in commemoranda
pecunia tua tam insolens ostentatio? Solus tu ne di-
ves? proh dii immortales. Ego ne me audisse aliquid et
didicisse non gaudeam? Solus ne tu dives? Quid si ne di-
ves quidem? Quid si pauper etiam? Quem enim intelligimus
divitem, aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor
in eo cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum, fa-
cile contentus sit, qui nichil querat, nichil appetat, nichil
optet amplius. Animus oportet tuus se iudicet divitem, non
hominum sermo, neque possessiones tue. qui nichil sibi deesse
putat, nichil curat amplius, satiatus est aut contentus etiam
pecunia, concedo, dives est. Sin autem propter aviditatem

Pecunie nullum questum turpem putas. Cum isti or-
dini ne honestus quidem possit esse ullus, si quotidie frau-
das, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spo-
lias, erarium expilas, si testamenta amicorum expetis, aut ne
expetas quidem, atque ipse supponis, hec utrum habundantis an
egentis signa sunt? Animus hominis dives non archa appellari
solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem
non putabo. Etenim ex eo quantum cuique satis est, metiuntur
homines divitiarum modum. Filiam quis habet, pecunia est
opus; duas, maiore; plures, maiore etiam; si ut aiunt Danai
quinquaginta sint filie, tot dotes magnam querunt pecuniam.
Quantum enim cuique opus est, ad id accomodatur, ut ante
dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innu-
merabiles cupiditates habet, que brevi tempore maximas
copias exhaurire possint, hunc quando ego appellabo di-
vitem, cum ipse egere se sentiat? Multi ex te audierunt, cum dice-
res neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fruc-
tibus, quod populus Romanus tantis vectigalibus iam pridem vix potest.
Igitur hoc proposito numquam eris dives, antequam tibi ex tuis
possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones et
magna equitum ac peditum auxilia possis. Iam fateris
igitur non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id quod
exoptas. Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem,
ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti. Nam ut
hiis qui honeste rem querunt, mercaturis faciendis,
operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus
esse quesito, sic qui videt domi tue pariter accusatorum
atque indicum consociatos greges, qui nocentes et pecunio-
sos reos eodem te auctore corruptelam iudicii molientes,
qui tuas mercedum pactiones in patrociniis, intercessiones
pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones li-
bertorum ad fenerandas diripiendasque provincias, qui expul-
siones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum servis, cum
liberis, cum clientibus societates, qui possessiones vacuas, qui
proscriptiones locupletium, qui cedes municipiorum, qui il-
lam Sillani temporis messem recordetur, qui testamenta sub-
iecta tot, qui sublatos homines, qui denique omnia vena-
lia, dilectum, decretum, alienam suam sententiam, forum, domum,
vocem, silentium, quis hunc non putet confiteri sibi que-
sito opus esse? Cui quesito autem opus sit, quis umquam hunc
vere dixerit divitem? Etenim divitiarum est fructus in copia

Copiam autem declarat satietas rerum atque abundantia
quam tu quoniam numquam adsequere numquam omnino es futurus di
ves. Meam autem quoniam pecuniam contemnis (et recte) est
enim ad vulgi opinionem mediocris ad tuam nulla ad
meam modica de me silebo de re loquar. Si censenda nobis
sit atque estimanda res utrum tandem pluris estimemus
pecuniam Phirri quam Fabritio dabat an continentiam Fabri
tii qui illam pecuniam repudiabat? Utrum aurum Samnitu
an responsum M curii? Hereditatem L pauli an liberali
tatem Affricani qui eius hereditatis Q maximo fratri partem
suam concessit? Hec profecto que sunt summarum virtutum
pluris estimanda sunt quam illa que sunt pecunie. Quis igitur
siquidem ut quisque quod plurimi sit possideat. Ita ditissimus ha
bendus sit dubitet quin in virtute divitie sint? quoniam
nulla possessio nulla vis auri et argenti pluris quam virtus
estimanda est. O dii immortales non intelligunt homines
quam magnum vectigal sit parsimonia. Venio enim iam ad
sumptuosos relinquo istum questuosum. Capit ille ex suis
prediis sexcenta sestercia. Ego centena ex meis. illi aurata
tecta in villis et sola marmore facienti et signa tabulas
supellectile et vestem infinite concupiscenti non modo ad
fructum ille est sumptus sed etiam ad fenus exiguus. Ex meo
tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatibus etiam aliquid
redundabit. Uter igitur est ditior cui deest an cui superat?
qui eget an qui habundat? cui possessio quo est maior eo
plus requirit ad se tuendam an que suis se viribus sustinet
? Sed quid ~~ego~~ ego de me loquor qui morum ac temporum
vitio aliquantum etiam ipse fortasse in huius seculi errore
versor. M manilius patrum nostrorum memoria. Ne semper curi
os et luscinos loquamur pauper tandem fuit. habuit
enim ediculas in carinis et fundum in labicano. Nos igitur
ditiores qui plura habemus? Utinam quidem. Sed non estima
tione census verum victu atque cultu terminatur pecunie
modus. non esse cupidum pecunia est. non esse emacem
vectigal est. Contentum vero suis rebus esse maxime sunt
certissimeque divitie. Etenim si isti callidi rerum estimatores
prata et areas quasdam magno estimant quod ei generi pos
sessionum minime quasi noceri potest quanti est estimanda
virtus que nec eripi nec subripi potest neque naufragio
neque incendio amittitur nec tempestatum nec temporum permu
tatione mutatur. qua qua prediti qui sunt soli sunt divites

Soli enim possident res · et fructuosas et sempiternas ·
soliqz qd' est proprium diuitiarum · contenti sunt rebz suis ·
Satis esse putant qd' est · nichil appetunt · nulla re eget ·
nichil sibi de esse senciunt · nichil requirunt Jmprobi autem
et auari qz incertas atqz in casu positas possessiones habet ·
et plus semper appetunt · nec eorum quisqz adhuc inuentus
est cui qd' haberet esset satis · non modo non copiosi ac diui-
tes · s; etiam inopes · ac paupes estimandi sunt · Et sic est finis

Marci Tulij Ciceronis paradoxa finit

Uersus · xij · sapientum scilicet · Basilij · Asmenij · Uomani
Euforbij · Juliani · Hilasij · Palladij · Asclepiadis · Eustenij
Pompeliani Maximini · et Vitalis positi in Epithaphio
Marci Tulij Ciceronis

Basilius

Hic iacet arpinas manibus tumulatus amici
Qui fuit orator summus et eximius
Quem nece crudeli mactauit ciuis et hostis
Nil agis anthoni scripta diserta manent
Vulnere nempe tuo ciceronem conficis at te
Tulius eternis vulneribus lacerat

Asmenius

Corpus in hoc tumulo magni ciceronis humati
Conteditur · claro qui fuit ingenio
Quiqz malis grauis hostis · tutorqz bonorum
Quo pene digna consule roma fuit
Sed ciuili cura deiectis hostibz · urbem
Supplicioqz datis prestitit incolumen

Uomanus

Vnicus orator · luminqz decusqz senatus
Seruator patrie · conditor eloquij
Cuius ab ingenio tandem illustrata perenni
Lumine preclaro lingwa latina viget
Occidit indigne manibus laceratus iniquis
Tulius at tumulo subditus exiguo

Euforbius

Quicumqz in libris nomen ciceronis adoras
Aspice quo iaceat conditus ille loco
Ille vel orator · vel ciuis maximqz idem
Clarus erat facie · clarior eloquio ·
At neqz fortuna viro nocuisse putetur ·
Viuit · et eterni docta per ora volat

Julianus

Marcus erat titelo toto notissimus orbe
Tullius eloquiis otulit urna brevis
Dextra me patrie nuper civilis ademit
Eripui patriam qui prius exitio
Si quis in hoc saxo tulii legis advena nomē
Non dedigneris dicere marce vale.

Hilasius

Tullius arpinas ex ordine natus equestri
Sed virtute sua consul in urbe fuit.
Quem catelina malus coniuratique nocentes
Senserunt vigilem civibus esse suis
Hunc tamen o pietas tres occidere tiranni.
At lacrima ille pio supposuit tumulo

Palladius

Qui tenet eloquii fastigia mundi summa latini
Qui consul patriam cedibus eripuit
Cuique virum ferro vitam dedit ense virorum
Tullius est et in hac ipse sepultus humo.
Sed brevitas vite pensatur laude perenni
Quod mors eripuit gloria restituit.

Asclemas

Tullius hic situs est venerabile nomē in evū.
Clarus honore simul clarus et ingenio.
Quem scelerata neci crudeliter arma dederunt.
Quod vindex ille fidelis erat.
Sed nihil infanda profecit cede tirannus.
Ingenium vivit corpus inane perit.

Eustenius

Romani princeps populi decus ordinis ampli
Maximus orator civis et egregius
Coniuratorum vindex hostisque malorum
Proscriptus periit a tribus ille viris
Qui cesus graviter qui detruncatus acerbe
Hoc lacrime debet quo iacet in tumulo

Pompeianus

Doctrine antistes rerum mirabilis auctor
Tullius existens nobilis ex humili
Cui dedit excellens ars oratoria nomen
Virtute ingenii venit in astra sui
Sed fortuna nocens miserando funere raptum

Carpsit · ex hoc voluit membra iacere solo.

Maximinus

Eloquio princeps · magnus memorabilis artis
Tullius indigna cede peremptus obis
Terras omnipotentes impleuit nomine claro.
Ingenium celso corpore morte caret.
Viuit et ingenii pollet cum laude per orbem.
Cuius in hoc tumulo membra sepulta iacet.

Vitalis

Inclitus hic cicero · lanie pietate sepultus.
Nuc fortuna neci immerite
Maximus eloquio · ciuis · bonus · urbis amator ·
Perniciesque malis, pfugniqz bonis.
Qui sexaginta completis et tribus annis
Seruicio pressam destituit patriam.

Appolonius Rhetor grecus secundum Plutarcum. Te nempe cicero ·
et laudo et admiror · sed grecorum fortune me miseret · cum
miseret · cum videam eruditam et eloquenciam · que sola bonorum
nobis relicta erat per te roma accessisse

Presens Marci tuly clarissimum · Johannes fust Mogun-
tinus ciuis · non atramento · plumali canna neque ae-
rea Sed arte quadam perpulcra · Petri manu pueri
mei feliciter effeci ffinitum Anno · cccc° lxvi°

Manlio torquato · Flaccus · de vite humane
breuitate · per comparatorem tempis · hec ·

Diffugere niues · redeunt iam gramina campis
Arboribusque come.
Mutat terra vices · et decrescencia ripas
Flumina pretereunt
Gratia cum nymphis geminisque sororibus audes
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres monet annus et almum
Que rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephiris · ver proterit · estas ·
Interitura simul
Pomifer autumnus fruges effuderit · et mox
Bruma recurrit iners ·
Damna tamen celeres reparant celestia lune
Nos ubi decidimus?
Quo pius Eneas · quo tullus diues et ancus

Pulvis et umbra sumus.

Quis scit an adiciant hodierne crastina vite

Tempora. dii superi &c.

Cuncta manus avidas fugient heredis. amico

Que dederis animo

Cum semel occideris. et de te splendida minos

Fecerit arbitria

Non torquate genus. nec te facundia. non te

Restituet pietas.

Infernis neque a tenebris dyana pudicum

Liberat ypolitum.

Nec lethea valet theseus abrumpere caro

Vincula pyrithoo.



Quintus mucius augur sceuola multa
narrare de C. lelio suo socero memoriter
et iocunde solebat, nec dubitare illum
in omni sermone appellare sapientem
Ego autem a patre ita deductus
eram ad sceuolam sumpta virili to-
ga, ut quoad possem et liceret a sen-
is latere numquam discedere. Itaque
ab eo multa prudenter disputata multa etiam prudenter
et breuiter et commode dicta memorie mandabam. fieri-
que studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo me
ad pontificem sceuolam contuli quem unum nostre ciuitatis
et ingenio et iusticia prestantissimum audeo dicere. Sed de hoc
alias nunc redeo ad augurem. Cum sepe multa tum dicerem
memini domi in hemicilio sedentem ut solebat. Cum et
ego essem una et pauci admodum familiares in eum sermonem
incide qui tum omnibus fere erat in ore. Meministi enim
profecto attice et eo magis quod p. sulpicio vtebare multum cum is
tribunus plebis capitali odio a quinto pompeio qui tum erat consul
dissideret cum coniunctissime et amantissime vixerat quanta esset
hominum vel admiratio vel querela. Itaque sceuola tum in eam
ipsam mentionem incidisset exposuit nobis sermonem lelii de
amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero gaio fan-
nio marci filio. paucis diebus post mortem africani.
Eius disputationis has sententias memorie mandaui.
quas in hoc libro exposui arbitratu meo. Quasi enim indu-
xi illos loquentes ne inquam et inquid sepius interponeretur
atque vt tamquam a presentibus totum haberi sermo videretur.
Cum enim sepe mecum ageres vt scriberem de amicitia aliquid
digna mihi res tum omnium cognitione tum nostra familiaritate
visa est. Itaque feci non inuitus ut prodessem multis rogatu
tuo. Sed vt in catone maiore feci qui est scriptus ad te de
senectute Catonem induxi senem disputantem quia nulla
videbatur aptior persona que de illa etate loqueretur.
quam eius qui diutissime senex fuisset. in ipsa senectute
preter ceteros floruisset. Sic cum accepissemus a patribus maxime
memorabilem. C. lelii et p. scipionis familiaritatem fuis-
se ydonea mihi lelii persona visa est. que de amicitia ea
ipsa dissereret. que disputata ab eo meminisset sceuola.
Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auc-
toritate et eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur

Habere grauitatis. Itaque ipsa mea legens afficior interdum ut Catonem non me loqui existimem. Sed ut tu ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsit de amicicia. Tunc Cato locutus est quo erat nemo senior temporibus illis, nemo prudencior. Nunc lelius et sapiens sic enim est habitus et amicicie gloria excellens de amicicia loquetur. Tu velim paulisper a me animum aduertas. lelium ipsum loqui putes. C. fannius et Quintus sceuola ad socerum veniunt post mortem affricani Ab hiis sermo oritur. Respondit lelius cuius disputacio tota est de amicicia. quam tu legens ipse cognosces

Sunt ista vera ut dicis leli. Nec enim melior vir fuit affricano quisquam nec clarior. Sed existimare debes omnium oculos in te coniectos esse. Unum te sapientem et appellant et estimant. tribuebatur hoc modo catoni. Scimus L. attilium aput patres nostros appellatum esse sapientem; Sed uterque aliquo modo. quia prudens esse in iure putabatur. Cato quia multarum rerum vsum habebat. Multa eius et in senatu et in foro uel prouisa prudenter uel acta constanter uel responsa acute ferebantur. Propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. Te autem alio quodam modo non solum natura et moribus. sed etiam studio et doctrina esse sapientem. nec sicut vulgus sed eruditi solent appellare sapientem. qualem neminem in grecia tota reliquerunt. Nam septem appellantur eos qui ista subtilius querunt in numero sapientum non habeant. Athenis vnum accepimus et eum quidem etiam apolinis oraculo sapientissimum iudicatum. hanc esse sapienciam existimant ut omnia in te posita esse ducas. humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me querunt credo ex hoc sceuola idem ut ex me quo pacto mortem affricani feras. eoque magis quod proximis nonis cum in hortum. D. bruti auguris commentandi causa ut adsolet conuenissemus tu non affuisti qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire. sceuola. Quaerunt quidem C. leli multi ut est a fannio dictum. Sed ego id respondeo quod animaduerti dolorem quem acceperas cum summi viri tum amicissimi morte ferre moderate. nec potuisse nec commoueri. nec fuisse id humanitatis tue quod autem in collegio nostro non affuisses inualitudinem respondeo causam non mesticiam fuisse. lelius. Recte tu quidem

Stevola et ce. Neque enim ab isto offitio quod semper usurpavi
cum valere abduci incommodo meo debui. Nec ullo casu
arbitror hoc constanti homini posse contingere: ut ulla in-
missio fiat offitii. Tu autem fanni quod michi tantum
tribui dicis quantum nec agnosco nec postulo facis a-
mice. Sed ut michi videtur non recte iudicas de catone:
aut enim nemo quod quidem magis credo. aut si quisquam
ille fuit sapiens. Quomodo ut alia obmittam morte filii
tulit. Memineram paulum. videram galum, sed hii comparati
catoni perfecto et spectato viro. Quamobrem cave catoni
ante ponas nec istum quidem quem appollo ut ais sapi-
entissimum iudicavit. Huius enim facta illius dicta lau-
dantur vetera. de me autem ut iam cum utroque lo-
quar. sic habetote. Ego si scipionis desiderio me move-
ri negem. quam vel recte faciam viderint sapientes.
Sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus qui
aliis ut arbitror nemo unquam ut tum fuit medicina.
Me ipse consolor et maxime illo solatio quod ego eo er-
rore careo quo amicorum discessu plerique solent angi.
Nichil mali accidisse scipioni puto. Michi accidit
si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi.
Non amicum sed se ipsum amantis est. Cum illo vero quis
neget actum esse preclare. nisi enim quod minime ille
putabat immortalitatem optare vellet. quid non ad-
eptus est quod homini esse fas putare. Qui summa
spe civium qua de eo iam puero habuerant continuo
adolescens incredibili virtute superavit. qui consulatum
petivit nunquam, et consul factus bis primum ante tempus
iterum sibi suo tempore. R. p. pene sero. qui duabus
urbibus eversis inimicissimis huic imperio non modo pre-
sentia verum etiam futura bella delevit. Quid di-
cam de moribus facillimis de pietate in matrem, li-
bertate in sorores. bonitate in suos. iustitia in omnes?
Nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuit merore
funeris indicatum est. Quid ergo paucorum annorum acces-
sio hunc iuvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit
gravis ut memini ~~tantore~~ catone uno anno antequam
est mortuus mecum et cum scipione disserere. tamen aufert eam
viriditatem in qua etiam nunc erat scipio. quamobrem
vita quidem talis fuit vel fortuna vel gloria vel nichil
posset accedere. Moriendi enim sensum celeritas abstulit

Quo de genere mortis difficile est dictu quid homines suspicentur
vos videtis. Hoc vere tamen licet dicere, p. scipioni ex mul-
tis diebus quos in vita celeberrimos letissimosque viderit il-
lum diem fuisse celeberrimum quo senatu dimisso domum
reductus ad vesperum est a patribus conscriptis p. r. sociis
et latinis pridie quam excessit e vita ut ex tam alto digni-
tatis gradu ad superos videatur deos potius quam ad in-
feros devenisse. Neque enim his assentior qui hec nuper
disserere ceperunt cum corporibus simul animos interire atque omnia
morte deleri. plus apud me antiquorum auctoritas va-
let vel nostrorum qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt
Quod non fecissent profecto si nichil ad eos pertinere arbitrarentur.
vel eorum qui in hac terra fuerunt magnamque greciam que
nunc quidem deleta est tunc florebat institutis et preceptis
suis erudierunt. Vel eius qui apollinis oraculo sapientissimus
est iudicatus. Qui non tum hoc tum illud ut in plerisque sed idem
semper animos hominum esse divinos hisque cum ex corpore
excessissent reditum in celum patere optimoque et iustissimo
cuique expeditissimum quod idem scipioni videbatur. Qui quidem
quasi presagiret perpaucis ante mortem diebus cum et philus
et Manilius adesset et alii plures tuque etiam scevola
mecum venisses triduum disseruit de re publica cuius disputationis
fuit extremum fere de inmortalitate animorum que se in quie-
te per visum ex africano audisse dicebat. Id si ita est
ut optimi cuiusque animus evolet in morte facillime tamquam
ex custodia vinculisque corporis. Cui censemus cursus
ad deos faciliores fuisse quam scipioni. Quocirca merere
hoc eius eventu vereor ut idem ne invidi magis quam ami-
ci sit. Sin autem illa vereor ut idem interitus sit animorum
et corporum nec ullus sensus maneat ut nichil boni est
in morte sic certe nichil mali. Sensu enim amisso idem fit
quasi natus non esset omnino. Quem tamen natum et nos gaudemus
et hec civitas letabitur. Quamobrem cum illo quidem
ut supra dixi actum optime est. mecum incommodius quem
fuerat equius ut prius introieram sic prius exire de vita.
Sed recordatione mee amicicie sic fruor ut beate videar
vixisse quia cum scipione vixerim. Qui cum mihi iuncta cura
de re p. et de privata fuit. Quo cum et domus fuit
et milicia communis et id in quo est omnis vis amicitie vo-
luntatum studiorum sententiarum summa consensio. Itaque
non tam ista mee sapientie quam modo fannius commemoravit

Fama delectat · falsa presertim · qm qui amicitie mee memoriam spero sempiternam fore · Idq3 eo m magis cordi est quod ex omnibus seculis uix tria aut iiij or nominantur paria amicorum · Quo in genere sperare videor scipionis et lelii amiciciam posteritati notum fore fannius · Istud quidem leli ita necesse est · sed qm amicitie mentionem fecisti et sumus p ociu in fectis · spero item sceuole si que admodum soles de ceteris rebus que ex te querunt'. Sit de amicitia disputatis quid sentias qualem existimes que precepta des · Sceuola · Michi vero gratum erit · atq3 id ipm cum tecum agere conarer · fannius ante occupit · Quamobrem utriq3 nrm gratum fecis ad modum · lelius ego uero non grauarer si m ipe confiderem nam preclara res e et sumus vt dixit fannius ociosi · Sed quis ego sum aut que e in me facultas · doctorum ista consuetudo eaq3 grecorum ut his ponat' · de quo disputet quamuis subito · Magnum opus est egetq3 exercitatione non parua · Quamobrem que disputari de amicitia possint ab eis censeo petatis qui ista profitentur · Ego uos ortari tantum possum · ut amiciciam omnibus rebus humanis an ponatis · Nichil a tam nature aptum tam conueniens · ad res uel secundas uel aduersas · Sed primum sencio nisi bonis amicitiam ee non posse · Neq3 id unum reseco ut illi q hec subtilius disserunt fortasse ne · sed ad commune utilitate parum · negant · n · quemquam uirum bonum n sapientem · Sit ita sane · Sed eam sapiam mit ptant' · qm adhuc nemo mortalis e consecutus · Nos at ea que sunt in vsu uitaq3 communi non ea q finguntur aut optant' spare debemus · Nunq3 ego dicam · G fabricium · M' curium · t · corum catum quos sapientes mi maiores iudicabant ad istorum norma sapientes fuisse · Quare s' habent sapientie nomen et inuidiosum et obscurum · Concedant et uiri boni fuerunt nec id quidem facient negabunt id nisi sapienti posse concedi agamus igitur pingui vt aiunt minerua · Qui ita se gerunt · ita uiuunt ut eorum probetur fides integritas · equitas · liberalitas · n' sit in eis ulla cupiditas · libido audacia · sit q3 magna constancia · vt hi fuerunt quos modo nominaui · hos uiros bonos ut habiti sunt sic appellandos putemus q3 sequuntur quantum homines possunt naturam optimam bene uiuendi ducem · sic · n · m perspicere uideor et ita natos esse · ut inter omnes societas quedam · Maior autem ut quisq3 accederet proxime · Itaq3

Ciues potiores sunt q̄ peregrini ppinq̄ q̄ alieni. Cu̅ eis
natu̅ ipa peperit amicitiam. Sz ea non satis hābz firmi
tatis. Namqz h' prestat amicitia ppinq̄tati q̄ ex propin
q̄tate beniuolencia tolli pt. ex amicitia no pt. ex amici
cia no pt. Sublata n' beniuolentia amicitie nomen
tollit' ppinq̄tatis. Quāta aut' uis amicicie sit. ex h' in
telligi maxime pt q̄d ex infinita societate generis hu
mani. q̄ conciliauit ipa natura. ita c̄tracta res ē et ad
ducta i' angustu̅. ut omis caritas aut int' duos aut int'
paucos iungeret'. Est n' amicitia nichil aliud n' om̄ diui
narum humanarumqz rerum cu̅ beniuolentia. ⁊ caritate
consensio. q̄ q̄ scio an excepta sapia. q̄tq̄m melig homi
sit a diis inmortalib' datum. diuicias alij pponūt. bona
alij ualitudine. alij potentiam. alij honores. multi
etiam uoluptates. Beluaru̅ hoc q̄d extremu̅ illa aute̅
superiora. caduca ⁊ incta. posita n' tā in consiliis nris.
q̄ in fortune temeritate. Quod autez in u̇tute sumu̅ bo
nu̅ ponūt p̄clare q̄dem illi. Sz h' ipa uirtg amicitiam
gignit et c̄tinet nec sine u̇tute amicitia ullo mō esse
pt. etiam u̇tutem ex consuetudine uite sermonisqz nrī
interptamur. n' eam ut q̄dam uerborum magnificentia metiam'.
uirosqz bonos eos qui habent' numeremq paulos. Catones.
Galos. scipiones. philos. his comunis uita c̄tenta ē eos
autem omittamus q̄ omīo nusq̄m reperiunt' tales igitur
int' uiros amicitia tantas oportunitates h't q̄ntas uix
q̄o dice. principio qui pt ee uita uitalis ut ait ennius qui
nō i' amici mutua beniuolentia conquiescat. Quid dul
cius q̄m h'e c̄ cum debeas omnia loq sic ut tecu̅. Qui ect
tantus fructus in pSperis reb' n' habe̅s q̄ ill' eq̄ ac tu ipe
gauderet. Aduersas uero ferre difficile ess' sine eo q̄ illas
grauius etiā q̄m tu ferret. Deniqz cetere res q̄ expetuntur
oportune sunt singule singlis omnite utare. opes ut co
lare. honores u't laudare. uoluptates ut gaudeas ua
litudo ut dolore careas ⁊ muneribg fungere corporis amici
cias res plurimas continet q̄q̄ te uerteris p̄sto est. Nul
lo loco excluditur nunq̄m intempestiua nunquaz molestia
est. Itaqz non aq̄. nō igni ut aiunt locus plus utimur q̄m
amicitia. Neque ego nunc de uulgari aut de mediocr' q̄
tm̄ et ipa delectat et prodest. sed de uera et perfecta
loquor. qualis eorū qui pauci nominant' fuit. Na ecc
secūdas res splendidiores facit amicitia ⁊ aduersas partes

Communitas qr leniores. Cumque plurimas et maximas co-
moditates amicitia contineat, tum illa nimirum prestat omnibus
rebus, qui bona spe prelucet in posterum, nec debilitari animos
aut cadere patitur. Verum etiam qui intuetur tamquam exemplar
aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes assunt, egentes ha-
bundant, et imbecilles valent et difficilius quod dictu est, mor-
tui vivunt tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur
amicorum. Ex quo illorum mors beata videtur, horum vita lau-
dabilis. Quod si exemeris ex rerum natura benivolentie iunctionem
nec domus ulla nec urbs stare poterit nec agri cultus permanebit.
Id si minus intelligitur quanta vis amicitie concordieque sit, ex dissen-
tionibus atque discordiis percipi potest. Que enim domus stabilis
que tam firma civitas est, que non odiis et discidiis funditus
possit everti. Ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari
potest. Agrigentinum quendam doctum quendam virum carminibus
grecis vaticinatum ferunt, que in rerum natura totoque
mundo constarent, queque moverentur, ea contrahere amicitiam,
dissipare discordiam, atque hoc quidem omnes mortales et in-
telligunt et re probant. Itaque si quando aliquod officium extitit
in periculis amici aut adeundis aut communicandis, quis
est qui id non maximis efferat laudibus. Quod clamores
tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii
nova fabula, cum ignorante rege uter Horestes esset, Pila-
des se esse Horestem diceret, ut pro illo necaretur, Ho-
restes autem ita ut erat Horestem se esse perseveraret,
stantes plaudebant in re ficta. Quid arbitramur in vera
facturos fuisse. Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum
homines quod ipsi facere non possent, id recte fieri in altero
iudicarent. Hactenus videor mihi de amicitia quid sentirem
potuisse dicere. Si que preterea sunt, credo autem esse multa, ab hiis
si videbitur qui ista disputant queritote. Fannius. Nos autem
potius a te, quamquam et ab istis sepe quesivi et audivi non invite,
equidem sed aliud quoddam filum orationis tue. Scevola. Tum magis id
diceres Fanni, si nuper in hortis Scipionis cum est de re publica
disputatum affuisses. Qualis tum patronus iusticie fuit contra
accuratam orationem Phili. Fannius. Facile id quidem fuit
iusticiam iustissimo viro defendere. Scevola. Quid amici-
tiam, nonne facile ei qui ob eam summa fide, constantia iusti-
tiaque servatam maximam gloriam cepit. Lelius. Vim hoc
quidem afferre est. Quid enim refert qua me ratione cogatis. Co-
gitis certe. Studiis enim generorum presertim in re bona cum difficile

Est tu equum quidem obsistere. Sepissime ergo mihi de amicitia co-
gitanti maxime illud considerandum videri solet. utrum
propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia.
ut dandis recipiendis quam meritis quod quisque minus per se ipse pos-
set id acciperet ab alio vicissimque redderet. an esset quidem
proprium amicitie. Sed antiquior et pulchrior et magis a natura
ipsa profecta est alia causa. Amor enim a quo amicitia nominata
est. princeps est ad benivolenciam coniungendam. Nam utilita-
tes quidem etiam ab his percipiuntur sepe qui simulatione
amicitie coluntur et observantur temporis causa. In amicitia autem
nichil fictum est nichil simulatum et quidquid est. id est verum
et voluntarium. Quapropter a natura michi videtur quam ab indul-
gentia orta amicitia applicatione magis animi cum quodam
sensu amandi quam cogitatione quantum res illa utilitatis
esset habitura. Quod quidem tale sit etiam in bestiis quibusdam
animadverti potest. que se natos ita amant ad quoddam tempus
etiam ita ab eis amantur ut facile earum sensus appareat.
quod in homine multo evidentius primum ex ea caritate que est
inter natos et parentes. que dirimi non potest de stabili scelere.
deinde cum similis sensus extitit amoris. vel si aliquem nacti su-
mus cuius cum moribus et natura congruamus. ita quod in eo quasi
lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamus.
Nichil est enim virtute amabilius. nichil quod magis alli-
ciat ad diligendum quippe propter virtutem et probitatem
etiam eos quos numquam vidimus diligamus quodam modo. quis
est qui C. Fabricii. M. Curii non cum caritate aliqua benivola
memoriam usurpet quos numquam viderit. Quis autem est qui Tar-
quinium Superbum qui P. Cassium Spurium Elium non oderit. Cum
duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum puto et Ana-
bili ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos
habens alterum propter crudelitatem semper hec crudelitas civi-
tas odit. Quod si tanta vis est probitatis ut eam vel in
eis quos numquam vidimus. et quod maius est in honeste diligamus.
quid mirum est si animi hominum moveantur. cum eorum quibus cum usu
coniuncti esse possint virtutem et probitatem vel bonitatem
perspicere videatur. quamquam confirmatur amor et beneficio
accepto et studio perfecto et consuetudine adiuncta. qui-
bus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibi-
tis. admirabilis quedam exardescit benivolentie magni-
tudo. Quam si qui putant ab imbecillitate proficisci. ut
sit per quem assequatur quod quisque desideret. humilem sane relinquunt

et minime egeat alterius ut ita dicam ortu amicitie · quod ex ino-
pia atque indigentia natam volunt · Quod si ita esset ut
quisque minimum in se esse arbitraretur · ita ad amicitiam esset
aptissimus · quod longe secus est · Ut enim quisque sibi plurimum
confidit et ut quisque maxime virtute et sapientia sic mu-
nitus est ut nullo egeat · suaque omnia in se ipso posita
iudicet · ita in amicitiis expetendis colendisque maxime
excellit · quid enim · Africanus indigens mei · minime hercle
ac ne ego illius · Sed ego admiratione quadam virtutis illius ·
ille vicissim opinione fortasse non nulla quam de meis
moribus habebat me dilexit ·

q8 Auxit benivolencia consuetudo · Sed quamquam utilitates multe
et magne consecute sunt non sunt tamen ab earum
spe cause diligendi profecte · ut enim benefici liberales
qui sumus non ut exigamus gratiam · neque enim beneficium
feneramur · sed natura propensi ad liberalitatem sumus sic
ad amiciciam non spe mercedis adducti · sed quod omnis eius fruc-
tus in ipso amore inest expetendam putamus · Ab his qui in
pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt · longe dis-
sentimus nec mirum · Nichil enim altum nichil magnificum
ac divinum suspicere possunt · qui suas omnes cogitaciones ab-
iecerunt in rem tam humilem tamque despectam · Quamobrem
hos quidem ab hoc sermone removeamus / ipsi autem intelli-
gamus natura gigni diligendi sensum et benivolentie cari-
tatem facta significatione probitatis · Quam qui appetiverunt et
adepti fuerunt applicant sese et propius admovent · ut et usu
eius quem diligere ceperunt fruantur et moribus · sintque pares
in amore et equales · propensioresque ad bene merendum · quam ad
reposcendum · atque hec inter eos sit honesta certacio · Sic
et utilitates maxime capientur erit ortus eius a natura
gravior quam ab imbecillitate et verior · Nam si utilitas con-
glutinaret amicitias · eadem commutata dissolveret · Sed
quia natura mutari non potest · idcirco vere amicitie sempi-
terne sunt · ortum quidem amicitie videtis · nisi quid ad
hec forte velitis · Fannius · Tu vero perge Leli · pro hoc enim qui minor
est natu meo iure respondeo · Scevola · Recte tu quidem · Quam
obrem audiamus · Lelius · Audite vero optimi viri ea que sepissime
inter me et Scipionem de amicitia disserebantur · quamquam ille
quidem nichil difficilius esse dicebat quam amicitiam usque ad
extremum vite diem permanere · Nam velut idem expediret
incidere sepe / ut vidensque · publica · non idem sentiretur · mutari etiam

Mores hominum sepe dicebat alios adversis rebus alios etate
ingravescente atque earum rerum exemplum ex similitu-
dine capiebat ineuntis etatis quod summi puerorum amores se-
pe una cum pretexta toga deponerentur. Sin autem ad ado-
lescentiam perduxissent dirimi tamen interdum contentione non
uxorie vel condicionis vel commodi alicuius quod idem adipis-
ci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia pro-
vecti essent tamen sepe labefactari si in honoris contentionem
incidissent pestem enim nullam maiorem esse amicitiis
quam in plerisque pecunie cupiditatem, in optimis quibusque
certamen honoris et glorie. ex quo inimicitias maximas
inter amicissimos extitisse sepe. Magna etiam dissidia et
plerumque iusta nasci, cum aliquid ab amicis quod rectum
non esset postularetur ut aut libidinis ministri aut ad-
iutores essent ad iniuriam quod qui recusarent quamvis ho-
neste id facerent ius tamen amicitie deserere arguerentur ab hiis
quibus obsequi nollent. Illos autem qui quidquid vis ab amico
auderent postulare postulatione ipsa profiteri omnia se amici
causa esse facturos. Eorum querela inveterata non modo famili-
aritates extingui solere sed odia etiam gigni sempiterna.
Hec ita multa quasi fata impendere amicitiis ut subter-
fugere non modo sapientie sed etiam felicitatis diceret sibi videri. quam-
obrem id primum videamus si placet quatenus amor in amicitia
progredi debeat. Num si Corilianus habuit amicos, ferre contra
patriam arma illi cum Coriliano debuerunt. Non Vecellinum
amici regnum appetentem, non emilium debuerunt iuvare. Tybe-
rium quidem Gracchum rem publicam vexantem a Q. Tuberone equalibus-
que amicis derelictum videbamus. At etiam Blossius Cumanus
hospes familie vestre. Scevola cum ad me quod aderam Lenate
et Rupilio consulibus in consilio deprecatum venisset hanc ut
sibi ignoscerem causam afferebat quod tanti T. Gracchum ut quid-
quid vellet ille faciendum sibi putaret. Tum ego etiamne si te in
Capitolium faces ferre vellet. numquam inquit voluisset id quidem.
sed si voluisset paruissem. videtis quam nefaria vox. et hercle
ita fecit vel plus etiam quam dixit. Non enim paruit ille
T. Gracchi temeritati sed prefuit nec se comitem illius furoris
sed ducem prebuit. Itaque hac amentia nova questione perterritus
in Asiam profugit ad hostes se contulit penas rei publice
graves iustasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati
si amici causa peccaveris. Nam cum conciliatrix amicitie opi-
nio virtutis fuerit difficile est amicitiam manere si a virtute

De ceteris. Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis quicquid
velint vel impetrare ab his quicquid velimus perfecta quidem ami-
citia simus si nichil res habeat vitii. Sed loquimur de his a-
micis qui ante oculos sunt quos videmus aut de quibus memoriam
accepimus quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis
exempla sumenda sunt quidem maxime. Qui ad sapientiam pro-
xime accedunt. Videmus p. emilium luscino familiarem
fuisse sic a patribus accepimus his una consules collegas in
censura tum et cum his et inter se coniunctissimos fuisse M. curi-
um t. coruncanium memorie proditum est. Igitur ne sus-
picari quidem possimus quemquam horum ab amico quippiam
contendisse quod contra fidem contra iusiurandum contra rem publicam esset.
Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere si contendi-
disset impetratum non fuisse cum illi viri sanctissimi fue-
rint eque autem nefas sit tale aliquid et facere rogatum
et rogare at vero t. gracchum sequebatur G. carbo. G. cato
et minime tum quidem G. frater nunc idem acerrimus. Hec igitur lex a-
micitie sanciatur ut neque rogemus res turpes nec facia-
mus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda
cum in ceteris peccatis tum si quis contra rem p. se amici causa
fecisse fatetur. Et enim eo loco fanni et scevola locati
sumus ut nos longe prospicere oporteat futuros casus rei p.
Deflexit iam aliquantulum de spatio curriculo consuetudo
maiorum. Tiberius gracchus regnum occupare conatus est vel
regnavit his quidem paucos menses. Numquid simile populus
romanus audierat vel viderat. Hunc etiam post mortem
amici secuti et propinqui quidem in p. scipionem effecerit sine
lacrimis non queo dicere. Nam carbonem quocumque modo possimus
propter recentem penam tiberii gracchi sustinuimus de G. gracchi
tribunatu quid expectem non libet augurari. Serpit de-
inde res que proclivis ad perniciem cum semel cepit labitur
videtis in tabella iam ante quanta facta sit labes primo gabinia
lege biennio autem post cassia. Video iam populum a
senatu disiunctum multitudinis arbitrio res maximas agi
plures enim discent quemadmodum hec fiant quam quemadmo-
dum his resistant. Quid sunt hec? Quia sine sociis
nemo quicquam conatur tale precipiendum est igitur bonis ut si in
huiusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint ne existiment
ita se alligari ut ab amicis in magna aliqua re p. peccantibus
non discedant. Improbis autem pena statuenda est. Nec
vero minor his qui secuti sunt alterum quam his qui ipsi

Fuerint huius impietatis duces. Quis clarior in grecia te-
mistocle, quis potentior qui cum imperator bello persico servi-
tute greciam liberasset. propterque invidiam expulsus in exi-
lium esset ingrate patrie iniuriam non tulit quam ferre debuit.
fecitque idem quod xx. annis ante apud nos fecerat coriolanus.
his adiutor contra patriam inventus est nemo. Itaque mortem
uterque sibi conscivit. quare talis improborum consensio non modo ex-
cusatione amicitie tegenda non esset potius supplicio omni
vindicanda est. ut ne quis concessum putet amicum bellum
patrie inferentem sequi. Quod quidem ut res ire cepit. haud
scio an aliquando futurum sit. Michi autem non minori cure est
qualis res publica post mortem meam futura sit quam que vel hodie

Hec igitur prima lex amicitie sanciatur ut ab amicis
honesta petamus. amicorum causa honesta faciamus.
ne expectamus quidem dum rogemus
studium semper adsit. Cunctatio absit. Con-
silium vero dare gaudeamus libere. plurimum in
amicitia amicorum bene suadencium valeat
auctoritas, eaque adhibeatur ad monendum non
modo aperte. sed etiam acriter. si res postularet. et adhibite
pareatur. Nam quibusdam quos audio sapientes habitos
in grecia placuisse. opinor quedam mirabilia, sed nichil est
quod illi non persequantur argutiis. fugiendas esse nimias ami-
citias necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. satis super esse
sibi suarum cuique rerum alienis nimis implicari molestum
esse. Comodissimum esse quam laxissimas habenas habere ami-
citie. quas adducas cum velis vel remittas. Caput enim esse ad be-
ate vivendum securitatem qua frui non possit animus si tamquam
parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam
inhumanius. quem locum breviter paulo ante perstrinxi, presidii
adiumentique causa non benivolentie neque caritatis amicitias
esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis haberet.
minimumque virium ita amicitias expetere maxime ex eo fieri,
ut mulierculae magis amicitiarum presidia querant quam vi-
ri et inopes quam opulenti. et calamitosi quam hi qui putentur
beati. O preclaram sapientiam. Solem enim e mundo tollere vi-
dentur qui amicitiam cum vita tollunt. Qua a diis immor-
talibus nichil melius habemus. nichil iocundius. Que est
enim ista securitas specie quidem blanda. sed re ipsa multis
locis repudianda. Neque enim est consentaneum ullam honestam

Rem actione ne ne sollicitus sit aut non suscipere aut suscep-
tam deponere. Quod si curam fugimus virtus fugienda est
que necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur
atque oderit ut bonitas malitiam, temperantia libidinem,
ignavia fortitudo. Itaque videas rebus iniustis iustos ma-
xime dolere imbellibus fortes, flagitiosis modestos. Er-
go hoc proprium animi bene constituti et letari bonis rebus et
dolere contrariis. Quamobrem si cadit in sapientem animi dolor
qui profecto cadit nisi ex eius animo extirpatam humanitatem
arbitratur que causa est cur amicitiam tollamus e vita fun-
ditus ne aliquas propter eam sustipiat molestias. Quid enim interest
motu animi sublato non dico inter pecudem et hominem
sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvis generis eius-
dem neque sunt audiendi qui virtutem duram et quasi fer-
ream esse quandam volunt que quidem est in multis rebus
tum in amicitia tenera atque tractabilis ut et bonis amici quasi
diffundantur et in incommodis contrahantur. Quamobrem iste an-
gor qui pro amico sepe capiendus est non tantum valet ut
tollat amicitiam e vita non plus quam ut virtutes quia nullas
molestias afferunt repudientur. Cum autem contrahat amicitiam
ut supra dixi si qua significatio virtutis eluceat ad quam se
similis animus applicet et adiungat id cum contingit ut amor ex-
oriatur necesse est. Quid enim tam absurdum quam delectari
multis rebus inanibus ut honore et gloria et edificio ut ves-
titu cultuque corporis animo autem virtute predito qui vel
amare possit admodum non delectari. Nichil est enim re-
muneratione benivolentie, nichil vicissitudine studiorum
officiorumque iocundius. Quod si etiam illud esse addimus
quod recte addi potest nichil esse quod ad se rem ullam tam al-
liciat et tam trahat quam ad amicitiam similitudo concedetur
profecto verum esse ut bonos boni diligant ascistantque sibi
quasi propinquitate coniunctos atque natura. Nichil est enim
appetentius similium sui nec rapacius quam natura. Quam-
obrem Fanni et Scevola constat ut opinor bonis inter bo-
nos benivolentiam necessariam que est amicitie fons
a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multi-
tudinem pertinet. Non enim est inhumana virtus neque immu-
nis neque superba que etiam populos universos tueri eisque
optime consulere soleat. Quod non faceret profecto si cari-
tate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur qui
utilitatum causa fingunt amicitias amabilissimum nodum tollere

Amicitie. Non enim tam vtilitas parta per amicum quam ami-
ci amor ipse delectat. tumque illud fit quod ab amico est per-
fectum iocundum si cum studio est perfectum. Tantumque abest
vt amicitie propter indigenciam colantur ut hy qui opibus
et copijs maximeque virtute et in quibus plurimum est
presidij. minimeque alterius indigeant liberalissimi sint
et beneficientissimi. atque haut sciam an opus sit. nil
[uiguissent. si numquam consilio numquam opera nostra nec] vnquam omnino deesse amicis. Vbi n. studia nostra, nec do-
mi nec milicie Scipio eguisset. Non igitur vtilitatem amicorum
vtilitas amiciciam secuta est. Non ergo erunt homines
diuicijs defluentes audiendi si quando de amicitia quam nec
vsu nec racione habent atque hominum qui velit ut neque
diligat quemquam. nec ipse ab vllo diligatur. circumfluere
omnibus copijs atque in omnium rerum habundantia
viuere. Hec enim est tyranorum vita nimirum nulla stabilis
beniuolentie potest esse fiducia omnia semper suspecta sunt
atque sollicita nullus locus amicitie. Quis enim aut eum
diligat quem metuit aut eum a quo se metui putet
Coluntur tamen simulatione amicitie ad tempus dumtaxat.
Quod si forte ut plurimumque fit ceciderit. tunc intelligitur quam in-
opes fuit amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt. tum exu-
lantem intellexisse. quos fidos amicos habuisset. quos infi-
dos. cum iam neutri gratiam referre posset. quis n. illa
superbia et importunitate si quemquam amicum potuit habere.
Atque quemadmodum huius quem dixi mores veros amicos
parare non potuerunt. sic multorum opes potentium exclu-
dunt amicitias fideles. Non n. ipsa solum fortuna ceca
est. sed eos efficit etiam cecos plerumque quos complexa
est. Itaque illi efferuntur fere fastidio et contumacia. neque
quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hic
licet videre qui antea comodis fuerint moribus imperio
potestate prosperis rebus immutari sperni ab his veteres amicicias et
indulgeri nouis. Quod autem stultius est quam cum plurimis copijs
facultatibus opibus possint cetera parare que parantur pecunia
equos famulos vestem egregiam. vasa preciosa. amicos
non parare optimam et pulcherrimam vite et ita dicam suppel-
lectilem et n. cetera cum parant cui parent nesciunt. nec cuius
causa laborant. eius n. est istorum quodque qui viribus vincit am-
icitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio. Vt etsi
si illa maneant quasi quedam dona fortune. tamen vita
inculta et deserta ab amicis non possit esse iocunda. Sed hec

hactenus/ Constituendi autem sunt qui sint in amicitia fines et
quasi termini diligendi/ de quibus video tres sententias ferri quarum
nullam probo Unam ut eodem modo erga amicum affecti simus
sis· quo erga nosmetipsos/ Altam ut nostra in amicos benivolen-
tia illorum erga benivolentie pariter equaliterque respondeat/
Terciam ut quanti quisque se ipsum facit· tanti fiat ab amicis
harum trium sententiarum nulli prorsus assencior/ nec illa prima
vera est· ut quemadmodum in se quisque sit in amicum sit animatus·
Quam multa· enim que nostra causa numquam faceremus facimus causa ami-
corum precari pro amico ab indigno· supplicare· tum acerbius in
aliquem invehi insectarique vehemencius/ que in nostris rebus
non satis honeste· in amicorum fiunt honestissime· Multeque
sunt res in quibus de suis comodis· viri boni multa detrahunt·
detrahique patiuntur· ut hiis amici potius quam ipsi fruantur·
Altera sententia est· que diffinit amiciciam paribus officiis ac
voluntatibus· hoc quidem vnum est exigue et exiliter ad tantulos
vocare amiciciam ut par sit racio acceptorum et datorum· Sed di-
uicior mihi et affluencior videtur esse amicicia· nec observare
restricte qui plus reddat quam acceperit· neque verendum neque
excidat aut ne quid in terram defluat· aut ne plus equo quid
in amiciciam congeratur· Tercius vero ille finis deterrimus est·
ut quanti quisque se ipsum facit tanti fiat ab amicis· Sepe enim
in quibusdam aut animus est abiectior· aut spes amplificande
fortune fractior· non est ergo amici talem esse in eum qualis ille
in se est sed potius eniti et efficere ut amici iacentem animum ex-
citet inducatque in spem et cogitacionem meliorem· Alius igitur finis
vere amicicie constituendus est si prius quod maxime reprehendere
scipio solitus sit edixero· Negabat ullam vocem inimiciorem
amicicie potuisse reperiri· quam eius qui dixit· ita amare
oportere· ut si aliquando esset osurus· Nec vero se adduci posse ut hoc
quemadmodum putaretur a bia tam esse dictum credebat qui
sapiens vnus esset ex vij^or· habitus impuri cuiusdam aut am-
biciosi· aut omnia ad suam potenciam revocantis esse sentenciam· Quo-
nam enim modo quisque amicus esse poterit· cuius tum se putabit ini-
micum esse posse/ quin etiam necesse erit cupere et optare ut quam
sepissime peccat amicus· quo plures det tamquam ansas ad repre-
hendendum· Rursum autem recte factis comodisque amicorum
necesse esset angi dolere invidere dolere· Quare hoc preceptum
cuiuscumque sit· ad tollendam amiciciam valet/ Illud
vero precipiendum fuit· ut eam diligenciam adhiberemus in
amiciciis comparandis· ut ne quando amare inciperemus eum·

Que aliquando odisse possemus. Quem etiam si minus felices
in diligendo fuissemus ferendum id Scipio ꝑ inimicitiarum
tempus cogitandum putabat / His igitur finibus vtendum ar-
bitror, ut cum amicorum mores emendati sint tum sit int̃ eos
omnium rerum, consiliorum uoluntatum, sine vlla exceptione
communitatis ut etiam si qñ fortuna acciderit ut minus
iuste amicorum uoluntates adiuuande sint ; in quibus eorum
aut de capite agatur. aut fama declinandum de uia est /
nomodo summa turpitudo sequitur. Est .n. quatenus amicicie
dari uenia possit, nec u° negligenda est fama. nec uero
mediocre telum ad res gerendas / existimare oportet.
beniuolenciam ciuium qm̃ blandiciis et assentando colligere.
Virtus quam sequitur caritas minime repudianda. Sz sepe
enim redeo ad Scipionem, huius homis sermo erat de amicitia
querebatur q° in rebus omnibus homines diligenciores essent
capras et oues. q° quisqz dicere posset. amicos qt habet
non posset dicere. z illi ꝙ parandis adhibere curam i amicis
eligendis negligentes esse n̄ habere quasi signa quedam
et notas quibus eos qui ad amicitias essent idonei iudica-
rent. Sunt ꝙ firmi z stabiles et constantes eligendi cu-
ius magna penuria est. etiam iudicare difficile e sane
n̄ expertum Experiendum autem in ipsa amicitia. Ita precurrit
amicitia iudicium tollitqz experiendi ꝑtatem. Est enim pru-
dentis sustinere ut cursum, sic beniuolencie impetum quo v-
tamur quasi equis temptatis sic amicitia aliqua ꝑte ꝑiclitatis
moribus amicorum / quidam sepe in parua pecunia mouere
non potuit Cognoscuntur in magna Sin vero experti erunt
aliq qui pecuniam pferre amicitia sordidum existimet
vbi eos inueniemus q honores magistratus, imperia ꝑtates
opes amicitie non ante ponant: ut cum ex altera ꝑte posita
sint hec Ex altera ius amicitie. no multa illa malint.
Imbecilla est natura ad contendenda potentiam. Quam
etiam si neglecta amicitia consecuti sint. obscuratum iri
arbitrentur. qz sine magna ca no neglecta sit amicitia
Itaqz ue amicicie difficillime reperiuntur. in his que in ho-
noribus z r. p. u͛santur ; vbi enim istum inuenias q honore
amici an ponat suo : Quid : ut hec obmittam qm̃ graues
quam difficiles plerisqz uidentur calamitatum societates. ad qs
non facile e inuentum quis descendat. Quamquam ennius
recte amicus certus in re incerta cernitur ; tum hec duo
leuitatis z infirmitatis plerosqz conuincunt. aut si in bonis

Rebus contemnunt aut in malis deserunt qui igitur utraque in re gra-
vem constantem stabilem se in amicitia prestitit hunc maxime
ex raro hominum genere debemus iudicare et pene divino. Fir-
mamentum autem stabilitatis constantieque eius quam in amici-
tia querimus fides est. Nichil est enim stabile quod fictum. Sim-
plicem preterea et communem consentientem, id est qui rebus isdem move-
atur eligi par est, que omnia pertinet ad fidelitatem. Neque
enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum. Neque
vero qui eisdem rebus movetur naturaque consentit aut fidus
aut stabilis potest esse. Addendum est eodem ut ne criminibus aut
inferendis delectetur aut credat oblatis que pertinent
omnia ad eam quam dudum tracto constantiam. Itaque fit ve-
rum illud quod in initio dixi amicitiam nisi inter bonos esse non
posse. Est enim boni viri quem eundem sapientem licet dicere
hec duo tenere in amicitia. Primum ne quid fictum sit neve
simulatum. Aperte enim amare vel odisse magis ingenui quam
fronte occultare sententiam. Deinde non solum oblatas ab ali-
quo criminationes repellere sed nec ipsum quidem esse suspiciosum
semperque aliquid existimantem ab amico esse violatum. Ac-
cedat huc suavitas quedam oportet sermonum atque mo-
rum haudquaquam mediocre condimentum amicitie. Tristitia autem
et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem. Sed ami-
citia remissior esse debet et liberior et ad omnem comoditatem facili-
tatemque prodivior. Existit autem hoc loco quedam questio
subdifficilis. Numquam amici novi digni amicitia veteribus sint
anteponendi ut equis vetulis teneros anteponere solemus.
Homine indigna dubitatio. Non enim debent esse amicitiarum
sicut aliarum rerum satietates. Esse debent suavissima.
Verumque illud est quod dicitur. Modios multos salis simul e-
dendos esse ut amicitie munus expletum sit. Novitates autem
si spem afferunt ut tamquam in herbis non fallacibus
fructus appareat tamen in tempore. Est in vetustatis vis et con-
suetudines appetere et equo cuius mentionem nunc feci si nulla
res impediat nemo est quin non eo quo consuevit libentius
utatur quam in tractato novo. Nec vero in hoc quod est animal
sed in hiis etiam que sunt inanimata consuetudo valet
cum locis ipsis delectemur montuosis etiam et silvestribus
in quibus diutius immorati sumus. Sed maximum est in amicitia
conservanda parem esse inferiori. Sepe enim excellentie que-
dam sunt qualis erat Scipionis in nostro ut ita dicam grege.
Numquam se ille Philo, numquam Rutilio, numquam Mummio anteposuit

Ruiqz inferioris ordinis amicitas. quitum uo maximu fratrem
egregiu quidem virum omio nequaqz sibi parem qui
his an ibat etate, tanqz superiorem colebat suosqz oms
per se colebat. suosqz omnes per se esse ampliores volebat. Qd
faciend imitandu qz est. Omibz si qua prestantia vir-
tutis. ingenii fortune consecuti sint impartiat ea suis comu-
nicentqz proximis ut si a parentibz nati sint humilibz, si ppinqs
habeant imbecilliores vel aio vel fortua eorum augeat
opes eisqz honori sint et dignitati ut in fabulis qui aliq
diu pp ignoracionem stirpis et gnis in famulatu fuerint
e cogniti sint aut deorum aut regum filii inventi retie-
ant tn caritatem in pastores quos patres multos anos
dixerint Quod e multo pfecto mag in veris patribz certisqz
faciendu Fructus em ingenii & virtutis omisqz prestatie
tuc maxime capitur cu in proximu quemqz conferatur
Ut ig hii qui sunt in amicicie benivolentie qz nititudine
superiores exequare se cu inferioribz deferrent, sic in-
feriores no dolere se a suis aut ingenio. aut fortuna.
la dignitate sup(er)ari Eorum pliqz aut queruntur semp aliqd
aut exprobrant, cos mag si habere se putabant, qd officio et
amice & tu labore aliquo suo factu queat dice, odio
sum sane isti homi officia exprobrantu que meminisse de-
bet is potius in que collata sunt & no comemorare q contulit
Quamobrem ut hii qui superiores sunt submitte se decent
in amicicia sic quodam inferiores extollere. Sunt em qui
molestas amicicias faciunt. cum ipi se contempni putant.
qd non fore contingit n' his qui etiam contempnendos se
arbitrantur qui hac opinione no mo verbis sz etiam
opere laudandi sunt. Tantu aute tribuendum e pri-
mu quantum ipe efficere possis. clemcia quantum ille quē
diligas atqz adiuves sustinere possit. vel quamvis excel
las omnes Non em neqz tu quantumvis possis. vel qz-
vis excellas omnes tuos ad honores amplissimos pducere
ut scipio p. rutilium potuit consulem efficere, fratrem eius lu-
ciu non potuit, qd si etiam possis quidvis deferre ad al-
terum videndum est tn quid ille possit sustinere Omis ami-
ticie corroboratis iam confirmatisqz ingeniis & etatibus
iudicande sunt, nec si qui in ente etate, venandi aut pile
studiosi fuerunt eos habere necessarios. quos tunc eod
studio preditos dilexerunt Isto em mo nutrices et pedagogi
iure vetustatis plimu benivolentie postulat, qd neglidi

Liudem non sunt · s alio quodam mo amadi sunt, alit' ami
titie stabiles pmané non pnt, dispares em mores dis
paria studia sequunt · eorum · quorum dissimilitudo disso
ciat amicitias, nec ob ullam tam boni improbis iprobi
bonis non pnt ee amici n tanta ē inter eos qnta
maxima pt ee studiorum distantia, recte et ppi pt ī ami
titijs in tempata quedam beniuolencia qd p sepe fit ipediat
magnas utilitates amicorum Neqz enim ut ad fabulas re
deam tiam neoptolomus capere potuiss · licomede apud
que erat educatus multis ē lacrimis · tue sinu impedientem
audire uoluiss, Et sepe incidunt magne res ut discedd'
st ab amic ī qs qui impedire uolunt ao q desiderium n
facile ferat · is et infirmus ē ī mollis in natura, ī ob eam
ipam causam in amicitia pn iustus Atqz in omi re gsiderand
est · ī quid postules ab amico · ī quid paciare a te impetri
Est etiam quedam calamitas in amicitijs dimittendis nuqz
nec', Iam uero a ~~sapientibus~~ sapientu familiaritatib ad
uulgares amicitias oro mea dilabitur, erupunt sepe ui
tia amicor tu in ipos amicos, tu in alienos, quoru tn
ad amicos redundet ifamia. Tales igit amicitie remis
sione usus eluende e, ī ut catonem audiui dicte, dissuendo
mag qm discindende, n quedam admod intollerabil
iniuria exarserit · ut neqz rectum neqz honestum fici possit ·
ut no statim adimato disiunctioqz faciendasit, Est aut
aut moru aut studioru comutatio quedam ut fieri so
let facta erat, aut urre · p · partib dissensio intercesserit ·
lloquor · n · ia ut paulo an predixi · non de sapientu s co
munibus amicitijs · Cauendum ē ne no solum amicitie
suscepte uideant, Nichil em turpius ē qm cum eo gerere
cum quo familiarit uixeris, Ab amicitia quinti pompeij
in eo noie se remoueat ut scis scipio · pp dissensione aut
que erat inre · p · alienatus ē a collega nro metello · Utr
qz no agrauatu auctoritate ī offensione aia no acerba ·
Quamobrem danda pmu opa ē · amicor dissidia fiat
Qm tale aliquid euenerit ut extincte amicitie potius qm
expresse esse uideantur · Tum uo cauend est · ne etiam i
graues inimicitias gutant se ab amicicia ex quib iurgia
maledicta gtumelie gignuntur · que tn tollerabiles erunt
ferende sunt ī hic honos ueti amicitie tribuend ut his
in culpa sit qui faciat non is qui paciatur iniuria, omio
horum uiciorum atqz incomodorum una cautio atqz

Ut neminem sibi diligere incipiant neue non dignos. digni autem
sunt amicitia quibus etiam ipsis in est causa cur diligantur. rarum
genus est. quod omnia preclara rara. Neque quicquam difficilius quam
reperire quod sit ex omni parte in suo genere perfectum. Sed plerique
neque in rebus humanis quicquam bonum norunt nisi quod fruc-
tuosum sit et amicos tamquam pecudes et eos potissimum diligere
ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Itaque pul-
cherrima illa et maxime naturali caret amicitia per se et propter se ex-
petenda. nec ipsis sibi exemplo sunt. nec huius amicitie et que
et quanta sit. Non enim se quisque diligit ut aliquam a se ipse mer-
cedem exigat caritatis. sed quia per se quisque carus. Quod nisi
idem in amicitiam transferretur. verus amicus numquam reperie-
tur. Est enim is qui est tamquam alter idem. Quod si hoc appa-
ret in bestiis volucribus natalibus et cicuribus feris primum ut se di-
ligant. Id enim pariter cum omni animante nascitur. deinde
ut requirant. atque appetant. ad quas se applicent eiusdem generis
animantes idque faciunt cum desiderio et similitudine humani
amoris. quanto magis in homine fit natura qui et se ipse diligat et al-
terum acquirat. cuius animo ita se commisceat ut efficiat pene
unum ex duobus. Sed plerique perverse ne dicam impudenter
bene talem amicum volunt quales ipsi esse non possunt. Queque
ipsi non tribuunt amicis. hec ab his desiderant. Parem autem
primum ipsum bonum virum. tum alterum similem sui querere. in talibus
ea quam iam dudum tractavimus stabilitas amicitie confir-
mari potest. cum homines benivolentia iuncti. primum cupidita-
tibus his quibus ceteri serviunt imperabunt. deinde equitate ius-
titiaque gaudebunt. et omniaque ~~alter~~ alter pro altero suscipiet. neque
quicquam umquam nisi honestum et rectum alter ab altero pos-
tulabit. neque solum colent inter se ac diligent sed etiam
verebuntur. nam ornamentum amicitie tollit qui ex ea tollit
verecundiam. Itaque perniciosus est in eis error qui existimat
libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. virtutum
amicitia adiutrix a natura data est. non vitiorum comes. ut
quoniam solitaria non posset virtus ad ea que summa sunt pervenire coniuncta
et consociata cum altera perveniret. Que si quos inter societates aut
est aut fuit. aut futura est eorum est habendum ad summum
nature bonum optimus beatissimusque comitatus. hec est inquam
societas. in qua omnia insunt que putant omnes expetenda.
honestas gloria tranquillitas animi atque iocunditas et cum hec
adsint beata vita sit si id volumus adipisci. virtuti opera
danda est sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam

Consequi possimus. Ea vero neglecta qui se amicos arbitrantur
tum se denique errasse sentiunt cum eos gravis aliquis casus expe-
riri cogit. Quocirca dicendum est enim cum iudicaveris diligere oportet,
non cum dilexeris iudicare. Sed tum multis in rebus negligentia
plectimur, tum maxime in amicis et diligendis et colendis.
Preposteris enim utimur consiliis et acta agimus quod vetamur veteri
proverbio. Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel
officiis repente medio cursu amicitie, exorta aliqua offen-
sione dirumpimus. Quo et magis vituperanda est maxime
necessarie tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus
humanis de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt, quamquam
a multis ipsa virtus contempnitur et venditatio quedam atque
ostentatio esse dicitur. Multi et despiciunt divitias quos par-
vo contentos tenuis victus cultusque delectabat. Honores vero
quorum cupiditate quedam atque ostentatio inflammantur,
quam multi contempnunt ut nihil inanius nihil esse levius exis-
timant. Itemque cetera que quibusdam admirabilia viden-
tur permulti sunt qui pro nihilo putent. De amicitia omnes
ad unum idem sentiunt et hi qui ad rem publicam contulerunt, et
hi qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et hi qui
suum gerunt otiosi. Postremo hi qui se totos tradiderunt volup-
tatibus sine amicitia vitam nullam esse sentiunt, si modo
velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim nescio quomodo
per omnium vitas amicitia nec ullam etatis degende pati
esse expertem sui. Quin etiam si asperitate aliquis in ea est
et in humanitate nature tum congressus ut hominem fugiat atque
odit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepi-
mus, tamen is pati non possit ut non aliquem habeat apud quem
evomat virus acerbitatis sue. Atque hoc maxime iudicaretur,
si quid tale posset contingere ut nos aliquis deus ex hac om-
nium frequentia tolleret et in solitudine quispiam collocaret
atque id suppeditaret omnium rerum quas natura desiderat habun-
dantiam et copiam. Omnis vero aspiciendi omnino potestatem eripet,
quis tam esset ferreus qui eam vitam ferre posset cuique non
auferret fructum voluptatum omnium solitudo. Verum ergo illud
est quod a Tarentino Archita ut opinor dixi solitum nostros
senes audivi ab aliis senibus auditum, si quis in celum ascen-
disset naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset,
insuave illam admirationem ei fore, que iocundissima fu-
isset si aliquem cui narraret habuisset. Sic natura solitarium
nihil amat semperque aliquid tamquam adminiculum adnititur

Quod in amicissimo quoque dulcissimum est. Sed tamen tot signis eadem
natura declarat quid velit ac desideret. tamen absurdescimus
nescio quo modo nec ea que ab ea monemur audimus. Est enim varius
et multiplex usus amicitie. multeque cause suspicionumque
dantur quas tum evitare tum ferre sapientis est. Una illa
sublevanda est. offensio et utilitas in amicitia et fides re-
tineatur. Nam et monendi amici sepe sunt et obiurgandi
et hec accipienda amice tum benivolentie fiunt. Sed nescio
quomodo verum est quod in andria familiaris meus dicit. Obse-
quium amicos veritas odium parit. Molestia et veritas siquidem
ex ea nascitur odium quod est venenum amicitie Sed obsequium
multo molestius est quod peccatis indulgens precipitem amicum
ferri sinit. Maxima autem culpa in eo qui et veritatem asper-
natur et in fraudem obsequio impellitur. Omnibus hac in
re habenda est ratio et diligentia. primum acerbitate. deinde
ut obiurgatio et contumelia careat. In obsequio autem quoniam
terenciano verbo libenter utimur comitas assit. Assen-
tatio vitiorum adiutrix amoveatur que non modo amico sed
ne libero quidem digne. Aliter enim cum amico aliter cum
tyranno vivitur. Cuius autem aures veritati sunt. ut ab amico
verum audire nequeat huius salus desperanda est. Scitum
enim est illud proverbium catonis. multo melius de quibusdam acer-
bos inimicos mereri quam eos amicos qui dulces videantur.
Illos vero sepe verum dicere. hos vero numquam. At illud absur-
dum est quod illi quidem qui monentur. eam molestiam quam debent
capere non capiunt: eam capiunt quam debent vacare. Peccasse enim
se non anguntur obiurgari moleste ferunt. Quod contra oportebat.
delicto dolere: correctione gaudere. ut igitur et monere proprium est vere
amicitie. et alterum libere facere. aspere alterum patienter atque
non repugnat. Sic habendum est. nullam in amicitiis pestem
esse maiorem quam adulationem. blanditiam. assentationem.
Quamvis multis nominibus est hoc vitium notandum levium atque hominum
atque fallacium ad voluntatem loquentium omnia. nichil ad veri-
tatem. Cum autem omnium rerum simulatio viciosa est. tollit enim
iudicium veri idque adulterat. tum amicitie repugnat maxime.
delet enim veritatem. sine qua nomen amicitie valere non potest.
Nam cum vis amicitie sit in eo ut unus quasi animus fiat qui
fieri id poterit. si nec in uno quoque quidem unus animus erit idemque semper.
sed varius commutabilis multiplex. Quid enim potest esse tam fle-
xibile devium quam animus eius qui alterius non modo sensum ac
voluntatem sed et vultum atque nutum convertitur. Negat quis nego

Ait aio postremo impaui egomet m' oia assentiri. Ut ait
idem terentius, sz illius gnatonis p̄ma q amicitie genus adhere
aio leuitatis est. Multi autez gnatonis similes . c̄ sint loco
fortuna fama supiores, horuz assentatio molesta ad va-
nitatem accessit auctoritas. Secerni aute blandus amico
amico z int' nosci tā pt adhibita diligentia q̄z oia fucata
tā simulata a sinceris z veris. Ctioqz in exptissimus qstat. m' indicare
solet quid inter sit inter pplaxem, z leuē ciuē z int' qstatem
seueriumqz z grauem. Quibus blandicijs expauimus consul
nuper insluebat in aures contionis c̄ ferret legem de tri-
bunis plebis reficiendis. dissuasimus nos. sz nichil de me
ac de scipione dicā libentius. Quanta illi dij immortales
fuit grauitas qnta in oratione maiestas. ut facile ducē
ppli r. non comittē dicēs. Si affuisses in manibus oro, Itaqz
lex pplaris suffragiu ppli repudiata ē. atqz ut ad me re-
deam, meministis qui mario fr̄e scipionis . l . mācino qsu-
le que pplaris lex de sacerdotijs lucinij crassi videbat.
Cooptatio n. collegiorum ad ppli beneficiu transferebat.
atqz h' is pmu insituit in forum versus agē c̄ pplo ciī illius
vendibilem orationem. tertio clorum im mortaliu nobis
defendentibus facile vincebat. Atqz id actum est pretore me
qnqennio antequa consul factus fuisset. Ita re qm̄ sūma
auctoritate cā illa defensa est. qd' si in scamna z qtione. mītis
rebus fictis habundatis loci plimu est. tu ueru valet, si mō
id patefactu est z illustratu quid in amicitia fi' oportet. q to
v'itate ppenditur. In q n' vlu de apertu pectus videas tuuqz
ostendas nichil fidum nichil habeas. Nec amare aare que a
uet amari. qd' vere fiat ignores Cum ista assentatio qūuis
pniciosa sit nocē tn nulli pt, nisi illi qui eam recipit atz
ea delectatur itaqz fit ut is assentatoribus patefaciat aurēs
suas maxime q ipe s' assentent. z sēipa maxime delectet.
Omnis autem amans sui v'tus. optime . n . sēipam nouit qūqz
amabilis sit intelligit v'tute autem ipa sī tā multi pditi
ee nolunt. q̄ uidei hos delectat assentatio his fictus ad ipoz
uolūntatem sermo c̄ adhibetur orationem illam vana testio-
niu laudium suarum putant. Nulla ē ig' h' amicitia c̄ alter
ueri audire non vult alter ē admentiend' paratus, nec p asitoz
ī comedijs assentatio facta nob' videtur, nisi eēnt milites glo-
riosi. Magn' uo gtēs agē thais m' in gtēs. satis erat res po-
dere magna, ingentes inquit semp auget assentor id q

Hs tamen adulentiatem qui se vult esse magnum. Quamobrem quamquam
ista blanda vanitas apud eos valet qui ipsi illa oblectant et in-
vitant, tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt ut anim-
advertant nec callida assentatione capiantur. Aperte enim adu-
lantem nemo non videt nisi qui admodum est excors, callidus
ille et occultus ne se insinuet studiose cavendum est. Nec enim
facillime agnoscitur, quippe cum qui etiam adversando assentetur,
litigare simulans blandiatur atque ad extremum det manus
vincique se patiatur ut is qui illusus sit plus vidisse videatur.
Quid autem turpius quam illudi? Quod ut ne accidat magis
cavendum est. Ut sine odio amicos stultos illuseris lautis-
sime. Hec enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et
credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum
hominum, id est sapientium, de hac dico sapientia que videtur in homine cadere
posse, ad leves amicitias defluxit oratio. Quamobrem ad illa prima
redeamus eaque ipsa concludamus aliquando. Virtus
inquit C. Fanni et tu Quinte Muci et conciliat amicitias
et conservat. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in
ea constantia que cum se extulisset et ostendit suum lumen et idem in alia
aspexerit agnovitque in alio, ad id se admonet vicissimque accipit
illud quod alto ex quo ardescit amor sive amicitia. Utrumque enim
dictum est ab amando. Amare autem nihil aliud est nisi eum ipsum in-
telligere quem ames, nulla diligentia, nulla utilitate quesita.
Que tamen florescit ipsa ex amicitia, et si tu eam minus secutus
sis. Hac nos adolescentes benivolentia senes illos L. Pau-
lum M. Catone C. Gallum ... Scipionis nostri socium
dileximus. Hec etiam elucet inter equales ut inter me et Scipio-
nem L. Furium, P. Rupilium, P. S. P. Vicissim autem senes in ado-
lescentium caritate acquiescimus ut in vestra in Quinti Brutonis
equidem et admodum adolescentis P. et Titili Vergini
familiaritate delector. Quo itaque comparata est ratio vite nature
nostre ut alia etas oriatur maxime quidem optandum est ut cum
equalibus possis quibuscum tamquam e carceribus emissus sis cum isdem ad
calcem ut dicitur pervenire possis. Sed quoniam res humane caduce
fragilesque sunt semper aliquid acquirendi sunt quos diligamus
et a quibus diligamur. Caritate enim benivolentiaque sub-
lata omnis est vita sublata iocunditas. Mihi quidem Scipio quamquam
est subito ereptus vivit tamen vivetque semper. Virtutem enim
amavi illius viri que extincta non est. Nec mihi soli versatur ante
oculos qui illam semper in manibus habui, sed et posteris erit

Clara et insignis. nemo unquam animo aut spe maiora suscipi-
et. qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam
putet equidem ex omnibus rebus quas mihi aut natura tribuit aut
fortuna nihil habeo quod non amicitie Scipionis posse comparare.
In hac mihi de re publica consensus in hac rerum privatarum consilium.
in eadem requies plena oblectationis fuit. Numquam illum mi-
nima quidem re offendi quod quidem senserim. Nihil quoque audivi
ex eo ipse quod nollem. Una domus erat idem victus isque com-
munis. non solum militia sed etiam peregrinationes rusticationes.
Nam quid ego de studiis dicam cognovi semper aliquid atque di-
dici quibus remoti ab oculis populi omne ociosum tempus
contrivimus. Quarum recordatio et memoria si una cum illo oc-
cidisset. desiderium coniunctissimi viri ferre nullo modo possem
Sed nec illa extincta sunt aluntur quoque potius et augentur cogi-
tatione et memoria mea. et si illis plane orbatus essem magnum
tamen afferret mihi etas ipsa solacium diutius enim iam in hoc desiderio
esse non possum. Omnia autem brevia tolerabilia sunt. Hec ha-
bui de amicitia et amore. vos autem hortor ut ita virtutem
locetis in qua amicitia esse potest. ut ea excepta nihil prestabi-
lius putetis. Explicit liber tullii de amicitia anno
domini M° cccc lxxi°

Marci Tullii Ciceronis de magni Pompei laudibus incipit

Quamquam michi semper frequens conspectus vester multo iocundissimus hic autem locus ad agendum amplissimus ad dicendum ornatissimus est visus quirites tamen hoc aditu laudis qui semper optimo cuique laudis maxime patuit Non mea me voluntas sed vite mee rationes ab ineunte etate suscepte prohibuerunt Nam cum antea per etatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem statueremque nichil huc nisi perfectum ingenio elaboratum industria afferri oportere omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi Ita neque hic locus vacuus umquam ab hiis qui vestram causam defenderent Et meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus ex vestro iudicio fructum amplissimum est consecutus Nam propter dilationem comiciorum ter pretor primus centuriis cunctis renunctiatus sum facile intellexi quirites quid de me iudicaretis Et quid aliis prescriberetis Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit quantum vos honoribus mandandum esse voluistis Et ad agendum facultatis tantum quantum homini vigilanti ex forensi usu prope cottidiana dicendi exercitacio potuit afferre Certe et si quid etiam dicendo consequi possim hiis ostendam potissimum qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt Atque illud in primis michi letandum iure esse video quod in hoc insolita michi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est in qua oratio nemini deesse potest Dicendum est enim de Gnei Pompei singulari eximiaque virtute huius ergo orationis difficilius est exitum quam principium invenire Ita michi non tam copia quam modus in dicendo querendus est Atque ut inde oratio mea proficiscatur Unde hec omnis causa ducitur bellum grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur Mitridate et Tigrane quorum alter relictus Alter lacessitus occasionem sibi ad occupandam asiam oblatam esse arbitratur Equitibus Romanis honestissimis viris afferuntur ex asia cottidie littere quorum magne res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupate qui ad me pro necessitudine que michi est cum illo ordine causam rei publice periculaque rerum suarum detulerunt Bithinie que nunc vestra provincia est vicos exustos esse complures Regnum Ariobarzanis quod finitimum est vestris totum esse in hostium potestate Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere Huic qui successerit non satis esse paratum ad

bellum administrandum Unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum
imperatorem deposci atque expeti Eundem hunc unum ab hostibus
metui praeterea neminem Causa que sit videtis Nunc quid agendum
sit considerate Primum mihi videtur de genere belli Deinde de magni-
tudine tum de imperatore deligendo esse dicendum Genus enim
est huiusmodi quod animos vestros maxime excitare atque inflamare
debet Tradita est igitur salus sociorum atque amicorum pro qua
multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt Aguntur
certissime populi romani vectigalia et maxima quibus amissis
et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis Aguntur bona multorum
civium quibus est a vobis et imperatoribus reipublice consulendum
Et quoniam semper appetentes glorie preter ceteras gentes atque avidi
laudis fuistis est vobis illa macula Mitridatico bello superiore sus-
cepta Que penitus iam insedit atque inveteravit in populi romani
nomine quod is qui una tota die Asia tot civitatibus uno nuncio atque
una significatione litterarum Cives Romanos necandos trucidandos
que denotavit Non modo ad hoc penam nullam suo dignam scelere susce-
pit Sed ab illo tempore tertium iam annum et vicesimum regnat
ut se non Ponto neque Capadocie latebris occultare velit Sed
emergere e patrio regno atque in vestris vectigalibus id est in
Asie luce versari Et enim adhuc vestri cum illo rege contenderunt
imperatores Ut ab illo insignia victorie non victoriam reporta-
rent Triumphavit L. Silla Triumphavit L. Murena de Mit-
ridate duo fortissimi et summi imperatores Sed ita triumpharunt
ut ille pulsus superatusque regnaret Verumtamen illis imperatoribus
laus est tribuenda quod egerunt Venia danda quod reliquerunt
propterea quod ab eo bello Sillam in Italiam res publica Murenam Silla re-
vocavit Mitridates autem omne reliquum tempus non ad ob-
livionem veteris belli Sed ad comparationem novi contulit Qui
posteaquam maximas edificasset ornassetque classes exercitusque per-
magnos quibuscumque ex gentibus potuisset comparasset Bosphoranis
finitimis suis bellum inferre simularet usque ad Hyspaniam lega-
tos electos misit ad eos duces quibus cum tamen bellum gere-
bamus Ut cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis
uno consilio ab unis hostium copiis bellumque terra marique gereret
vos ancipiti contentione districti de imperio dimicaretis Sed
tamen alterius partis periculum Sertoriane atque Hispaniensis quo multo
plus firmamenti ac roboris habebat Gnei Pompei divino con-
silio ac singulari virtute depulsum est In altera parte ita res a
L. Lucullo summo viro est administrata ut initia illa gestarum rerum
magna atque preclara non felicitati eius sed virtuti haec autem

Extrema que nuper acciderunt non culpe sed fortune tribuenda esse
videantur Sed de lucullo dico alio loco Et ita dicam quirites
Ut neque vera laus ei detracta oracione nostra neque falsa et ficta esse
videantur · ¶ · Sed pro vestri imperii dignitate atque gloria quoniam
is est exorsus orationis mee videte quem vobis animum suscipiendum
putetis Maiores vestri / vel nostri / sepe mercatoribus aut naviculato-
ribus iniuriosius tractatis bella gesserunt vos tot ciuium Romanorum
milibus uno nuncio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse
debetis ¶ · legati erant quod appellati superbius Corinthum patres vestri
totius grecie lumine extinctum esse voluerunt Vos eum regem
inultum esse patiemini qui legatum populi romani consularem vinculis
ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit ¶ · Illi li-
bertatem Ciuium romanorum imminutam non tulerunt Vos
autem ereptam negligetis Ius legationis verbo violatum illi
persecuti sunt vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis
Videte ne ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relin-
quere Sic vobis turpissimum sit illud quod accepistis tueri et conser-
vare non posse ¶ · Quid quod salus sociorum summum in periculum ac
discrimen vocatur Regno expulsus est Ariobarzanes rex socius
populi Romani atque amicus imminent duo reges toti asie non solum
vobis inimicissimi sed in vestris sociis atque amicis ¶ · Ciuitates autem
omnes tota asia atque grecia vestrum auxilium expectare propter periculi
magnitudinem coguntur imperatorem vobis certum deposcere cum
presertim vos alium miseritis neque audent neque id se facere summo
sine periculo posse arbitrantur Vident et sentiunt hoc idem
quod vos unum virum esse in quo summo sint omnia et eum prope esse
quo etiam carent egrius Cuius adventu ipso atque nomine tamen
et si ille ad maritimum bellum venerit / tamen impetus hostium repressos
esse intelligunt atque retardatos Hi vos quoniam libere loqui non licet
tacite rogant ut se quoque sicut ceterarum provinciarum socios
dignos existimetis quorum salutem tali viro commendetis Atque
hoc etiam magis quam ceteros Eiusmodi in provinciam homines cum
imperio mittimus Et etiam si ab hoste defendant / tamen ipsorum
adventus in urbe sociorum non multum ab hostili expugnatione
differant Hunc audiebant antea Nunc presentem vident tan-
ta temperantia tanta mansuetudine tanta humanitate ut
felicissimi esse videantur apud quos ille diutissime ~~esse~~
~~dicatur~~ commoratur ¶ · Quare si propter socios nulla ipsi in-
iuria lacessiti maiores vestri cum Antiocho / cum philippo · cum
Etholis cum penis bella gesserunt / quanto vos studio convenit
iniuriis provocatos sociorum salutem una cum imperii vestri

Dignitatem defendere presertim cum de maximis vestris vectigalibus
agatur? Nam cum ceterarum civitatum vectigalia quirites tanta
sint, ut his ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse pos-
simus Asia vero tam optima est et fertilis ut in ubertate a-
grorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multi-
tudine earum rerum que exportantur, facile omnibus terris antecellat
Itaque hec vobis provincia quirites si et belli utilitatem et pacis
dignitatem sustinere vultis non modo a calamitate sed etiam a metu
calamitatis est defendenda Nam in ceteris rebus cum venit
calamitas, tum detrimentum accipitur At in vectigalibus non solum
adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem Nam
cum hostium copie non longe absint, etiamsi irruptio nulla facta
sit, tamen pecora relinquuntur Agricultura deseritur Merca-
torum navigatio conquiescit Ita neque ex portu neque ex decimis
neque ex scriptura vectigal conservari potest Quare sepe totius
anni fructus uno rumore periculi atque uno terrore belli amittitur
Quo tandem animo esse existimatis aut eos qui vobis vectigalia
pensant, aut eos qui exercent atque exigunt Cum duo reges
cum maximis copiis prope adsint? Cum una excursio equitatus
per brevi temporis totius anni vectigal auferri possit Cum
publicani familias maximas quas in saltibus habent, quas
in agris quas in portubus atque custodiis magno periculo se ha-
bere arbitrentur? putatis ne vos illis rebus frui posse, nisi
eos qui vobis fructui sunt conservaveritis, non solum ut ante
dixi calamitate sed et calamitatis formidine liberatos Ac
ne illud quidem vobis negligendum est quod mihi ego extremum pro-
posueram, cum essem de belli genere dicturus quod ad multorum bona
civium Romanorum pertinet Quorum vobis pro vestra sapientia
quirites habenda est ratio diligenter Nam et publicani ho-
mines et honestissimi et ornatissimi suas rationes et copias in
illam provinciam contulerunt Quorum ipsorum per se res et fortune vobis
cure esse debent. Etenim si vectigalia nervos esse reipublice
semper duximus eum certo ordine, qui exercet illa firmamentum ceterorum
ordinum recte esse dicemus. Deinde ceteris ex ordinibus homines
gnavi et industrii partim in Asia negotiantur? Quibus absenti-
bus vos consulere debetis Partim eorum in ea provincia
pecunias magnas collocatas habent Erit igitur humanitatis
vestre magnum eorum civium numerum calamitate prohibere? Sa-
pientie videre multarum civium calamitatem a re publica se-
iunctam esse non posse. Etenim illud primum parvi refert nos publi-
canis amissis vectigalia postea victoria recuperare Neque hisdem

Redimendum facultas erit propter calamitatem / neque aliis voluntas
propter timorem. Deinde quod nos eadem Asia / atque idem iste Mitri-
dates initio belli asiatici docuit id quod certe calamitate docti memo-
riam tenere debemus. Nam tum in Asia res magnas per multi ami-
serunt. Scimus Rome solutione impedita fidem concidisse. Nam
enim possunt boni in civitate multi rem ac fortunas amittere
ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. A quo
periculo prohibete rem p. Et mihi credite id quod ipsi videtis. Hec
fides atque hec ratio pecuniarum que rome que in foro versatur impli-
cita est cum illis pecuniis asiaticis et coheret. Ruere illa non
possunt ut non eodem labefacta motu concidant. Quare videte
num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere. In
quo gloria nominis vestri salus sociorum vectigalia maxima for-
tune plurimorum civium cum re publica defenduntur. Cum de genere
belli dixi. Nunc de magnitudine belli pauca dicam. Potest
enim hoc dici belli genus ita esse necessarium / ut sit gerendum.
Non esse ita magnum ut sit pertimescendum. In quo maxime
deliberandum est. Ne forte a nobis que diligentissime pro-
videnda sunt contempnanda esse videantur. Atque ut omnes in-
telligant me L. Lucullo tantum impertire laudis quantum forti viro et
sapientissimo homini et magno Imperatori debeatur. Dico enim
adventu maximas Mitridatis copias omnibus rebus ornatas atque
instructas / Urbemque Asie clarissimam nobisque amicissimam Cizi-
cenorum obsessam esse ab ipso Rege magna multitudine et
oppugnatam vehementissime. Quam L. Lucullus virtute assidui-
tate consilio summis obsidionis periculis liberavit. Ab eodem im-
peratore classem magnam et ornatam que ducibus Sertorianis
ad Italiam studio inflammato raperetur / superatam esse atque
depressam. Magnas hostium preterea copias multis preliis esse
deletas. Patefactumque nostris legionibus esse pontum. Qui ante
p. R. ex omni aditu clausus esset. Sinopem atque Amisum quibus
in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta
Ceterasque urbes ponti et capadocie permultas uno aditu
uno aditu adventuque esse captas. Regem spoliatum regno
patrio atque avito ad alios se reges atque ad alias gentes
supplicem contulisse. Atque hec omnia salvis p. R. sociis atque in-
tegris vectigalibus esse gesta. Satis opinor hec esse lau-
dis / atque ita reipublice ut hoc vos intelligatis a nullo istorum
qui huic obtrectant legi atque cause L. Lucullum similiter ex hoc
loco esse laudatum. Requiretur fortasse nunc quemadmodum
cum hec ita sint reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite

Quirites Non enim sic causa queri videtur. Primum ex suo regno sic
mitridates profugit ut ex eo ponto Medea illa quondam profu-
gisse dicitur. Quam predicant in fugam fratris sui membra in
his locis qua se parens prosequeretur dissipauisse ut eorum collectio
dispersa meror que patrius celeritatem prosequendi retardaret. Sic mitri-
dates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum
omnium quas et a maioribus acceperat et ipso bello superiore ex tota Asia di-
reptas in suum regnum congesserat in ponte omnem reliquit. Hec
dum nostri colligunt omnia diligentius rex ipse e manibus effugit Ita
illum in prosequendi studio meror hos leticia retardauit. Hunc in illo
timore et fuga ligranes Rex armenius excepit Diffidentemque
rebus suis confirmauit et afflictum erexit perditumque recreauit
Cuius in regnum postea quam L. lucullus cum exercitu venit. Plures
etiam gentes contra imperatorem nostrum concitate sunt Erat enim
metus iniectus in his nationibus quas nunquam populus Romanus neque
lacessendas bello neque temptandas putauit Erat etiam alia grauis
atque vehemens opinio que per animos gentium barbarorum persua-
serat phani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas
oras nostrum exercitum esse adductum Ita nationes multe atque
magne novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem
exercitus et si urbem ex tigranis regno ceperat et preliis usus erat
secundis tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commoue-
batur. Hic iam plura non dicam. Fuit enim illud extremum ut
ex his locis a militibus nostris reditus magis maturus quam processio lon-
gior. Mitridates autem et suam manum iam confirmarat Et
eorum qui se ex eius regno collegerant et magnis aduenticiis multorum
regum et nationum iuuabant. Hoc iam fere sic fieri solere accepimus
ut regum afflicte fortune facile multorum opes alliciant ad misericordiam
maximeque eorum qui aut reges sunt aut viuunt in regno ut re-
gale his nomen magnum et sanctum esse videatur Itaque tantum victus efficere
potuit quantum incolumis nunquam est ausus optare Nam cum se in reg-
num suum recepisset non fuit eo contentus quod ei preter spem acciderat
ut illam posteaquam pulsus erat terram unquam attingeret Sed in exerci-
tum nostrum clarum atque victorem impetum fecit Sinite hoc loco
quirites sicut poete solent qui res romanas scribunt preterire me nostram
calamitatem que tanta fuit ut eam ad aures L. luculli non ex prelio
nuncius sed ex sermone rumor afferret. Hic in illo ipso malo grauissima
que offensione belli L. lucullus qui tamen atque aliqua ex parte his
incommodis mederi fortasse potuisset vestro iussu coactus quod imperii
diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putauistis partem militum qui
iam stipendiis confecti erant dimisit partem glabrioni tradidit

Multa preterea consulto pretereo quod nos ea coniectura perspicimus quantum illud
bellum factum putetis quod coniungant reges potentissimi renovent agi-
tate nationes suscipiant integre gentes novus imperator vester
accipiat vel vetere expulso exercitu. Satis mihi multa verba
fecisse videor quare hoc bellum genere ipso esset necessarium magnitudine
periculosum. Restat ut de imperatore ad bellum diligendo ac tantis
preficiendo dicendum esse videatur. Utinam quirites virorum fortium atque
innocentium copiam tantam haberetis ut si vobis deliberacio difficilis
esset quemnam quemnam putaretis potissime tantis rebus ac tanto bello
preficiendum putaretis. Nunc vero cum sit unus Gn. Pompeius qui non
modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam sed etiam antiquitatis memoriam
virtute superarit que res est que cuiusquam animum in hac causa dubium
facere possit. Ego enim sic existimo in summo imperatore quatuor
has res inesse oportere scientiam rei militaris virtutem auctoritatem
felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit
aut esse debuit. Qui e ludo atque pueritie disciplinis bello
maximo acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in milicie disci-
plinam profectus est. Qui extrema pueritia miles fuit imperatoris
summi. Ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator. Qui
sepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit. Plura
bella gessit quam ceteri legerunt. plures provincias confecit quam
alii concupiverunt. Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non
alienis preceptis sed suis imperiis. Non offensionibus belli sed victo-
riis non stipendiis sed triumphis est tradita. Quod denique genus
belli esse potest in quo illum non exercuerit fortuna rei publice. Ci-
vile affricanum Transalpinum hispaniense mixtum ex civitatibus
atque ex bellicosissimis nationibus servile navale bellum varia
et diversa genera et bellorum hostium non solum gesta ab hoc uno
sed etiam confecta nullam rem esse declarant in usu militari po-
sitam. Que huius viri scientiam fugere possit. Iam vero virtuti
Gn. pompeii que potest oratio par inveniri. Quid est quod quisquam aut
dignum illo aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre.
Neque enim ille sunt sole virtutes imperatorie que vulgo existimantur.
labor in negotiis fortitudo in periculis industria in agendo ce-
leritas in conficiendo consilium in providendo. Que tanta sunt
in hoc uno quanta in omnibus reliquis imperatoribus quos aut
vidimus aut audivimus non fuerunt. Testis est Italia. Quam
ille ipse victor L. Silla huius virtute et subsidio confessus est
liberatam. Testis est Sicilia quam multis undique cinctam periculis
non terrore belli sed celeritate consilii explicavit. Testis est affrica
que magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit

Testis est gallia per quam legionibus nostris in hyspaniam iter gallorum
internecione patefactum est Testis est hyspania que sepissime plurimos
hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit Testis est iterum
et sepius ytalia : Que cum servili bello tetro periculosoque premeretur
ab hoc auxilium absente expetivit : Quod bellum expectacione pom-
peij attenuatum atque diminutum est Adventu sublatum ac sepultum
Testes vero iam omnes ore atque omnes extere gentes et naciones
omnia denique maria cum universa tum in singulis oris omnes sinus atque
portus : Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam fir-
mum habuit presidium ut tutus esset aut fuit tam abditus : ut lateret
Quis navigavit qui non se aut mortis aut servitutis periculo
committeret Cum aut hieme aut referto predonum mari navigaret
Hoc tantum bellum tam turpe tam vetus tam late divisum atque disp-
sum Quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno
anno

Esse et vtilla [illegible] quod [illegible]
[illegible]
[illegible] ab hoc [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
omnia [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
omnia

Mar. Tullius de oratore

COGITANTI SEPE NUmero et memoria vetera repetenti perbeati fuisse Q. frater illi videri solent qui in optima R. P. quoniam de honoribus et rerum gestarum gloria florerent eum vite cursum tenere potuerunt: ut vel in negotio sine periculo: vel in otio cum dignitate esse possent. At nunc quod michi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum preclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum arbitrarer: si infinitus forensium rerum labor: et ambitionis occupatio decursu honorum etiam etatis flexu constitisset quam spem cogitationum et consiliorum meorum cum graves communium temporum: tum varii nostri casus fefellerunt. Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur: in eo maxime moles molestiarum turbulentissime tempestates extiterunt: Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est: ad eas artes quibus a pueris dediti fuimus celebrandas inter nosque recolendas. Nam prima etate incidimus in ipsam perturbationem discipline veteris: et consulatum devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen: et hoc tempus omne post consulatum obiecimus his fluctibus: qui per nos a communi peste depulsi in nos metipsos redundaret. Sed tamen in eis vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis obsequar studiis nostris: et quantum michi vel fraus inimicorum vel causa amicorum: vel res publica tribuet otii ad scribendum potissimum conferam: Tibi vero frater neque hortanti deero neque roganti: nam neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest: neque voluntate. Ac michi repetenda est veteris cuiusdam memorie non sane satis explicata recordatio: sed ut arbitror apta ad id quod requiris: ut cognoscas que viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi. Vis enim ut michi sepe dixisti: quoniam que pueris aut adolescentibus nobis aut ex commentariolis

Nostris in his inchoata atque rudia exciderunt vix hac etate
digna et hoc usu: quem ex causis quas diximus tot
tantisque consecuti sumus aliquid hisdem de rebus poli-
tius a nobis perfectiusque proferri. Volesque non nunquam
hac de re a me in disputationibus nostris dissentire:
quod ego eruditissimorum hominum artibus eloquentiam
contineri statuam. Tu autem illam ab elegantia doctrine
segregandam putes: et in quodam ingenii atque exercita-
tionis genere ponendam. At michi sepenumero in sum-
mos homines ac summis ingeniis preditos intuenti
querendum esse visum est: quod esset cur plures in omnibus
artibus: quam in dicendo admirabiles extitissent. Nam quo-
cunque te animo et cogitatione converteris per multos
excellentes in quocunque genere videbis non mediocrium
artium sed prope maximarum. Quis est enim: qui si cla-
rorum hominum scientiam rerum gestarum vel utili-
tatem vel magnitudinem metiri velit: non antepo-
nat oratori imperatorem? Quis autem dubitet quin
belli duces ex hac una civitate prestantissimos pe-
ne innumerabiles: in dicendo autem excellentes
vix paucos proferre possimus? Jam vero consilio ac
sapientia: qui regere ac gubernare rem publicam possint:
multi nostra: plures patrum memoria atque etiam
maiorum extiterunt: cum boni perdiu nulli: vix autem
singulis etatibus singuli tolerabiles oratores inveni-
rentur. At neque forte cum aliis studiis que reconditis
artibus: atque in quadam varietate litterarum ver-
sentur magis hanc dicendi rationem: quam imperatoris lau-
de aut cum boni senatoris prudentia comparandam
putet: qui convertat animum ad ea ipsa artium genera
circumscriptasque que in hiis floruerint quamque multi sint:
facillime quanta oratorum sit semperque fuerit pauci-
tas iudicabit. Neque enim te fugit omnium laudatarum
artium procreatricem quandam et quasi parentem
eam quam philosophiam greci vocant ab omnibus doctis-
simis iudicari. In qua difficile est enumerare quot
viri: quanta scientia: quantaque in suis studiis varie-
tate et copia fuerint qui non una aliqua in re seperatim
elaborarunt: sed omnia quecunque possent vel scientie per-
vestigatione: vel disserendi ratione comprehenderint.
Quis ignorat hii qui mathematici vocantur quanta

In obscuritate rerum: et quod recondita in arte et multi-
plici subtilique versentur. Quo ignorat tamen in genere
ita multi perfecti homines extiterunt: ut nemo for-
te studuisse ei sciencie vehemencius videatur: quin
quod voluerit consecutus sit: Quis musicus? quis huic
studio litterarum quod profitentur hii: qui gramatici vo-
cantur: penitus se dedit: quin omnium illarum arti-
um pene infinitam vim et materiem sciencia et cog-
nicione comprehenderit: Vere michi hoc videor
esse dicturus ex omnibus hiis: qui in harum artium
studiis liberalissimis sint doctrinisque versati minimam
copiam poetarum egregiorum extitisse: atque in hoc
ipso numero in quo perraro exoritur aliquis excellens.
si diligenter et ex grecorum et nostrorum copia com-
parare voles: multo tamen pauciores oratores: quam
poete boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet
videri quia ceterarum artium studia fere reconditis
atque abditis fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis
racio in medio posita: communi quodam in usu atque
in hominum more et sermone versatur: et in ceteris
id maxime excellat quod longissime sit ab imperitorum
intelligencia sensuque disiunctum: in dicendo autem vi-
cium vel maximum est a vulgari atque a communi consue-
tudine abhorrere: Ac ne illud quidem vere dici
potest: aut plus ceteris inservire aut maiore delec-
tacione: vel spe uberiore: aut premiis ad perdiscendum
amplioribus commoveri: Atque ut omittam greciam: que
semper eloquencie princeps esse voluit: atque illas
omnium doctrinarum inventrices athenas: in quibus
summa dicendi vis et inventa et perfecta est: in hac
ipsa civitate profecto nullam umquam vehemencius: quam
eloquencie studia viguerunt: Nam postea quam imperio
omnium gencium constituto diuturnitas pacis ocium
confirmavit: nemo fere laudis cupidus adolescens
non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit
Ac primo quidem tocius racionis ignari: qui neque exerci-
tacionis ullam viam: neque aliquod preceptum artis esse
arbitrarentur: tantum quantum ingenio et cogitacione
poterat consequebantur. Post autem auditis oratoribus
grecis cognitisque eorum litteris adhibitisque doctoribus
incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagra-
verunt

Excitabat eos magnitudo ac varietas multitudoque in
omni genere causarum: ut ad eam doctrinam qua suo
quisque studio adsecutus esset adiungeret usus frequens:
qui omnium magistrorum precepta superaret. Erat autem huic
studio maxima que nunc quoque sunt exposita premia vel
ad graciam vel ad opes vel ad dignitatem. Ingenia vero
ut multis rebus possumus iudicare nostrorum hominum mul-
tum ceteris hominibus omnium gentium prestiterunt. Quibus
de causis quis non iure miretur ex omni memoria etatum:
temporum: civitatum: tam exiguum oratorum numerum
inveniri. Sed enimvero maius est hoc quiddam quam homines
opinantur et pluribus ex artibus studiisque collectum: quis
enim artibus in maxima discentium multitudine: summa
magistrorum copia: prestantissimis hominum ingeniis infinita
causarum varietate: amplissimis ~~hominum ingeniis~~ elo-
quentie propositis premiis esse cause putetur. Nisi rei
quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem.
Est enim et sciencia comprehendenda rerum plurimarum:
sine verborum volubilitas inanis atque irridenda est: et
ipsa oratio conformanda non solum electione: sed etiam con-
structione verborum: et omnes animorum motus: quos
hominum generi natura rerum tribuit penitus pernoscendi: quod
omnis vis ratioque dicendi in eorum qui audiunt mentibus aut
sedandis: aut excitandis expromenda est: accedat eodem
oportet lepos quidam facetieque: et eruditio libero digna:
celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi subti-
li venustate atque urbanitate coniuncta. Tenenda pre-
terea omnis antiquitas exemplorumque vis: neque ius le-
gum aut civilis iuris scientia negligenda est: nam quid ego
de actione ipsa plura dicam: que motu corporis: que
gestu: que vultu: que vocis conformatione ac varietate
moderanda est: que sola per se ipsa quanta sit: histrionum
levis ars et scena declarat. In qua cum omnes in oris et
vocis et motus moderatione laborent: quis ignorat quam
pauci sint fuerintque quos animo equo spectare possimus.
Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria: que nisi
custos inventis cogitatisque verbis et rebus adhibeatur
intelligimus omnia etiam si preclarissima fuerint in
oratore peritura. Quadobrem mirari desinamus que causa
sit eloquentium paucitatis: cum ex hiis rebus universis
eloquentia constet: in quibus singulis elaborare per-

magnum est: Hortemurque potius liberos nostros ceterosque
quorum gloria nobis et dignitas cara est: ut animo
rei magnitudinem complectantur: Neque eis aut preceptis:
aut magistris: aut exercitationibus quibus utuntur
omnes sed aliis quibusdam se id quod expetunt consequi
posse confidant. At mea quidem sententia nemo po-
terit esse omni laude cumulatus orator: nisi erit omnium
rerum magnarum atque artium scientiam consecutus: Etenim
ex rerum cognitione efflorescat et redundet oratio:
que nisi sit ab oratore percepta et cognita inanem quan-
dam habet eloquentiam et pene puerilem. Neque vero
hoc ego tantum oneris imponam nostris presertim ora-
toribus in hac tanta occupatione urbis ac vite: nichil
ut his putem licere nescire: quamquam vis oratoris profes-
sioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri vi-
deatur ut omni de re: quecumque res sit proposita orna-
te ab eo copioseque dicatur: Sed quia non dubito quin
hoc plerisque immensum infinitumque videatur: et quod
grecos homines non solum ingenio et doctrina sed
etiam otio studioque habundantes partitionem quandam
artium fecisse video: neque in universo genere singulos
elaborasse: sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem
dicendi: que in forensibus disceptationibus iudiciorum
aut deliberationum: et id unum genus oratori reliquis-
se: Non complectar in his libris amplius quam quod
huic generi requisitum et multum disputatum summorum
hominum prope consensu est tributum: repetamque non ab
incunabulis nec veteris puerilisque doctrine quendam
ordinem preceptorum: sed ea que quondam accepi in
nostrorum hominum eloquentissimorum et omni dignitate
principum disputationibus esse versata: Non quod il-
la contempnam que greci dicendi artifices et doctores
reliquerunt: sed quoniam illa pateant in promptu que sint
omnibus neque ea interpretatione mea aut ornatius ex-
plicari aut planius exprimi possint Dabis hanc veniam
mi frater ut opinor: ut eorum quibus summa di-
cendi laus a nostris hominibus concessa est auctoritatem
grecis anteponam: ——— Sequitur capitulum



VM igitur vehementius inveheretur
in causam principum consul philippus
drusique tribunatus pro senatus auctoritate
susceptus: infringi iam debilitarique videretur:
memini dici michi luderum romanorum
diebus. L. crassum quasi colligendi sui ca
se in tusculanum contulisse: venisse eodem
socerum eius: qui fuisse. Q. mutius di
cebatur: et M. antonius homo et consiliorum in re p. so
cius: et summa cum crasso familiaritate coniunctus. Exierat
autem cum ipso crasso adolescentes et drusi maxime fa
miliares et in quibus magnam tum spem maiores natu
dignitatis sue collocarant: C. cotta qui tum tr. petebatur: et
P. sulpitius qui deinceps eum magistratum petiturus puta
batur: hi primo die de temporibus illis deque universa re p. qua
ob causam venerat: multum inter se usque ad extremum tempus
diei collocuti sunt: quo quidem sermone multa divinitus
a tribus illis consularibus cotta deplorata et commemorata
narrabat: ut nichil incidisset postea civitati mali: quod non
impendere illi tanto ante vidissent. Eo autem omni sermone
confecto tantam in crasso humanitatem fuisse: ut cum lauti
accubuissent: tolleretur vis illa superioris tristitia sermonis:
eaque esset in homine iocunditas: et tantus in loquendi lepos:
ut dies inter ~~eos~~ eos curie fuisse videretur convivium tuscu
lani: Postero autem die cum illi maiores natu satis quiessent:
in ambulationem ventum esset dicebat tum scevolam: duo
bus spatiis tribusve factis dixisse: Cur non imitamur crasse
socratem illum qui est in phedro platonis? Nam me
hec tua platanus admonuit: que non minus ad opacandum
hunc locum patulis diffusa est ramis quam illa cuius umbram
secutus est socrates: que michi videtur non causa ipsa aqui
la que describitur: quam platonis oratione crevisse: et quod ille
durissimis pedibus fecit ut se abiceret in herba: Atque ita
que philosophi divinitus ferunt esse dicta loqueretur: id
meis pedibus certe concedi est equius: tum crassum immo vero
commodius: etiam pulvinosque poposcisse: et omnes in hiis se
dibus que erant sub platano consedisse dicebat. Ibi ut ex pristino
sermone relaxarentur animi omnium: solebat cotta narrare cras
sum sermonem quendam de studio dicendi intulisse: Qui
cum ita esset exorsus non sibi cohortandum sulpicium et cot
tam: sed magis utrumque collaudandum videri: quod

Tantam iam essent facultatem adepti: ut non equalibus
suis solum anteponerentur: sed tum maioribus natu com-
pararentur: Neque michi vero quicquam inquit prestabilius vi- Oratio Crassi
detur quam posse dicendo tenere hominum cetus mentes allicere:
voluntates impellere quo velit: unde autem velit deducere
hec una res in omni libero populo maximeque in pacatis tran-
quillisque civitatibus precipue semper floruit: semperque do-
minata est Quid enim est aut tam admirabile: quam ex infinita
multitudine hominum existere unum qui id quod omnibus natura
sit datum uel solus uel cum paucis facere possit? Aut tam
iocundum cognitu atque auditu: quam sapientibus sententiis
gravibusque verbis ornata oratio et perpolita? Aut tam potens
atque magnificum: quam populi motus: iudicum religiones: senatus
gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro
regium: tam liberale tam munificum: quam opem ferre suppli-
cibus? excitare afflictos: dare salutem: liberare periculis:
retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium
quam tenere semper arma: quibus uel tectus ipse esse possis:
uel provocare improbos: vel te ulcisci lacessitus? Age
vero ne semper forum subsellia: rostra: curiamque meditere:
quid esse potest in ocio aut iocundius aut magis proprium
humanitatis: quam sermo facetus: ac nulla in re rudis?
hoc enim uno prestamus uel maxime feris: quod colloquimur
inter nos et exprimere dicendo sensa possumus: Quamobrem
quis hoc non iure miretur? summeque in eo elaborandum
esse arbitretur? ut quo uno homines maxime bestiis pre-
stent: in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero iam ad
illa summa veniamus: que vis alia potuit: aut dispersos
homines unum in locum congregare? aut a fera agrestique
vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere? aut
iam constitutis civitatibus: leges: iudicia: iura describere
Ac ne plura que sunt innumerabilia consecter comprehendam
brevi: sic enim statuo perfecti oratoris moderatione et sa-
pientia non solum ipsius dignitatem sed et privatorum et
plurimorum et universe rei publice salutem maxime contineri: Qua-
obrem pergite ut facitis adolescentes: atque in id studium in quo
estis incumbite ut et vobis honori: et amicis utilitati: et
rei publice emolumento esse possitis: Tum Scevola comiter Scevola
ut solebat tetera inquit assentior trasso: ne aut de C. Lelii
soceri mei: aut de huius generis aut arte aut gloria
detraham: sed illa duo trasse vereor haud tibi possim concedere

Unum quod ab oratoribus civitates: et ab initio constitutas
et sepe conservatas esse dixisti: Alterum quod remoto
foro: contione iudiciis senatu: statuisti oratorem in omni
genere sermonis et humanitatis esse perfectum. Quis
enim tibi hoc concesserit: aut initio genus hominum in mon-
tibus ac silvis dissipatum non prudentum consiliis compul-
sum potius quam disertorum disertorum oratione delinitum se op-
pidis moenibusque sepsisse? Aut vero reliquas utilitates:
aut in instituendis: aut in conservandis civitatibus: non
a sapientibus et fortibus viris: sed a disertis ornateque di-
centibus esse constitutas? An tibi romulus ille aut pasto-
res et convenas congregasse: aut sabinorum conubia con-
iunxisse aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur:
non consilio et sapientia singulari? Quid enim in numma
pompilio? Quid in servio tullo? Quid in ceteris regibus
quorum multa sunt eximia ad constituendam rem publicam num
eloquentie vestigium apparet? Quid exactis regibus? tam
et si ipsa exactionem mente non lingua perfectam L. bru-
ti esse cernimus sed deinceps omnia nonne plena consiliorum:
inania verborum videmus? Ego vero si velim nostre civitatis
exemplis uti et aliarum: plura proferre possim detrimenta
publicis rebus: quam adiumenta per homines eloquentissimos im-
portata. Sed ut reliqua pretermittam omnium michi vi-
deor exceptis crasse vobis duobus eloquentissimos au-
disse: T. et C. sempronios: quorum pater homo prudens
et gravis haud quaquam eloquens et sepe alias et maxime
censor saluti rei publice fuit Atque his non accurata quadam
orationis copia sed nutu: atque verbo libertinos in urbanas
tribus transtulit: quod nisi fecisset rem publicam quam nunc vix
tenemus: iam diu nullam haberemus. At vero eius filii
diserti: et omnibus vel nature vel doctrine presidiis ad
dicendum parati: cum civitatem vel paterno consilio: vel
avitis armis florentissimam accepissent: ista preclara gu-
bernatrice ut ais civitatum eloquentia rem publicam dissipaverunt
Quid leges veteres moresque maiorum? quid auspicia quibus
ego et tu cum magna rei publice salute presumus? quid re-
ligiones et cerimonie? quid hec iura civilia que iam pri-
dem in nostra familia sine ulla eloquentie laude ver-
santur. Num aut inventa sunt aut cognita: aut omnino
ab oratorum genere tractata? Equidem et Ser. galbam
memoria teneo divinum hominem in dicendo et M.

Emilium portina: et C ipsum carbone: quem in adolescentulus
perpulisti: ignarum legum hesitantem in maiorum institutis:
rude in iure ciuili: et hec etas nostra preter te crasse qui tuo
magis studio quam proprio munere aliquo disertorum ius a nobis
ciuile didicisti: quod interdum pudeat iuris ignara est
Quod vero in extrema oratione quasi pro tuo iure sump-
sisti oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime
versari posse: id nisi hic in tuo regno essemus: non tulissem:
multisque preessem qui aut interdicto tecum contenderent:
aut te ex iure manum consertum vocarent: quod in alienas
possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum
lege primum pythagorei omnes: atque democratici ceterique in
suo physici vindicarent ornati in dicendo et graues: quibus-
cum: tibi iusto sacramento contendere non liceret. Urge-
rent preterea philozophorum greges iam ab illo fonte
et capite socrate: nichil de bonis rebus in vita: nichil
de malis: nichil de animi permotionibus: nichil de hominum
moribus: nichil de ratione vite didicisse nichil omnino que-
sisse nichil scire conuingeret: et cum vniuersi in te impetum
fecissent: tunc singule familie litem tibi intenderent: Instaret
athademia que quicquid dixisses: id te ipsum negare cogeret
Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum
laqueis te irretitum tenerent. Peripathetici autem hec ipsa
que propria oratorum putes esse adiumenta atque ornamenta
dicendi a se peti vincerent oportere: at non solum me-
liora sed etiam multo plura aristotelem theophastrum
de hiis rebus que omnes dicendi ingros scripsisse osten-
derent: missos facio mathematicos: gramaticos: musi-
cos: quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima
quidem societate coniungitur: Quam obrem ista tanta tamque
multa profitenda crasse non censeo: satis id est magnum: quod
potest prestare: ut in iudiciis ea causa quamcumque tu dicis me-
lior et probabilior esse videatur: ut in contionibus et sen-
tentiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio
Denique ut prudentibus diserte: stultis etiam vere dicere:
hoc amplius si quid poteris: non is michi videbitur orator
Sed crassus sua quedam propria: non communi oratorum facultate
posse. Tum ille non sum inquit nescius scevola ista inter
grecos dici et disceptari solere: audiui enim summos homines
cum questor ex macedonia venissem athenas: florente
athademia ut temporibus illis ferebatur quod eam carneades

Et dictitabant et efficiebant Erat etiam metro-
dorus: qui cum illis una etiam ipsum illum tarneadem diligen-
tius audierat hominem omnium in dicendo ut ferebatur acer-
rimus et copiosissimus Vigebat auditor panetii illius tui
mnesartus et peripathetici critolaus et diodorus Multi
erant praeterea praeclari in philosophia et nobiles a quibus omnibus una
pene voce repelli oratorem a gubernaculis tiuitatis: ex-
cludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia ac tantum
in iudicia et contiunculas tamquam in aliquod pistrinum detrudi
et compingi videbam: Sed ego neque illis assentiebar neque
harum disputationum inventori et principi longe omnium
dicendo gravissimo et eloquentissimo platoni: cuius tum athe-
nis cum tarneade diligentius legi gorgiam: quo in libro in
hoc maxime admirabar platonem: quod michi in ora-
toribus irridendis: ipse esse orator summus videbatur Verbi
enim controversia iam diu torquet homines greculos contentionis
cupidiores: quam veritatis: Nam si quis hunc statuit esse ora-
torem qui tantummodo in iure: aut in iudiciis possit: aut apud
populum: aut in senatu copiose loqui: tamen huic ipsi multa
tribuat et concedat necesse est: Neque enim sine multa per-
tractatione omnium rerum publicarum neque sine legum morum iuris
scientia: neque natura hominum incognita ac moribus: in his ipsis
rebus satis callide versari et perite potest: Qui autem hec
cognoverit sine quibus ne illa quidem minima in causis
quisquam recte tueri potest quid huic abesse poterit de maxi-
marum rerum scientia: Sin oratoris nichil vis esse: nisi com-
posite ornate copiose eloqui: quero id ipsum qui possit assequi
sine ea scientia quam ei non conceditis: dicendi enim virtus: nisi
ei qui dicit: et ea de quibus dicit percepta sint extare non
potest Quapropter si ornate locutus est: sicut et fertur et mihi
videtur physicus ille democritus: materia illa fuit phi-
losophie: de qua dixit: ornatus vero ipse verborum ora-
torum putandus est Et si plato de rebus a civilibus
controversiis remotissimis divinitus est locutus quod ego
concedo: si idem aristoteles: si theophrastus: si tarneades
in rebus his de quibus disputaverunt eloquentes et in di-
cendo suaves atque ornati fuerunt: sint he res de quibus
disputent in aliis quibusdam studiis: oratio quidem ipsa
propria est huius unius rationis: de qua loquimur et querimus
Etenim videmus hisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter:
ut eum quem acutissimum ferunt crisippum disputavisse

Neque ob eam rem philosophie non satisfecisse: quod non
habuerit ex arte alienam hanc dicendi facultatem
Quid ergo interest: aut quid discernes eorum quos
nominavi in dicendo ubertatem et copiam: ab eorum exi-
litate: qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur
Unum erit profecto: quod hii qui bene dicunt propriam compo-
sitam orationem et ornatam et artificio quodam et expo-
litione distinctam: haec autem oratio si res non subest
ab oratore percepta et cognita: aut nulla sit necesse est:
aut omnium irrisione laudatur: quid est enim tam furiosum:
quam verborum vel optiorum atque ornatissimorum sonitus
inanis nulla subiecta sententia nec scientia: Quicquid erit igitur
quacumque ex arte: quocumque de genere orator si id tamquam cli-
entis causam didicerit: dicet melius et ornatius: quam ipse ille
eius rei inventor atque artifex: nam si quis erit qui hoc di-
cat esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certe
rarum artium forensibus ~~cancellis~~ circumscriptam scientiam
fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram
dictionem sed tamen in his ipsis rebus multa sunt: que ipsi
magistri qui rhetorici vocantur nec tradunt nec tenent Quis
enim nescit maximam vim existere oratoris: in hominum men-
tibus vel ad iram vel ad odium aut dolorem incitandis:
vel abhisce hisdem permotionibus ad lenitatem misericordia-
que revocandis: que nisi qui naturas hominum vimque omnem
humanitatis causasque eas quibus mentes aut incitantur:
aut reflectuntur penitus perspexerit: dicendo quod volet
perficere non poterit atque totus hic locus philosophorum
proprius videtur Neque orator me auctore umquam repugnabit
Sed cum illis cognitionem rerum concesserit: quod in ea
solum illi voluerint elaborare: tractationem orationis: que
sine illa scientia nulla est: sibi assumet hoc enim proprium
oratoris: quod sepe iam dixeram: scilicet oratio gravis
et ornata et hominum sensibus ac mentibus accomodata
Quibus de rebus aristotelem et theophrastum scripsis-
se fateor Sed vide ne hoc scevola totum sit a me Nam ego
que sunt oratori cum illis communia non mutuor ab illis:
isti qui de his rebus disputant oratorum esse concedunt:
Itaque ceteros libros artis sue nomine hos rethoricos et
inscribunt et appellant Etenim cum illi in dicendo incide-
rint loci quod persepe evenit: ut de diis immortalibus
de pietate: de concordia de amicitia: de communi civium



De hominum de gentium iure: de equitate: de temperantia: de mag-
nitudine animi: de omni virtutis genere: sit dicendum:
clamabunt credo omnia gymnasia: omnes philozophorum
scole: sua hec esse omnia propria: nichil omnino ad oratorem
pertinere. Quibus ego: ut de his rebus in angulis consumendi
otii causa disserant cum concessero: illud tamen oratori tri-
buam et dabo: ut eadem de quibus illi tenui quodam et exi-
guo sermone disputant: hic cum omni gravitate et iocun-
ditate explicet: hec ergo cum ipsis philozophis cum athe-
nis disserebam: cogebat enim me. M. marcellus hic noster
qui nunc edilis curulis est: et profecto nisi ludos nunc faceret
huic nostro sermoni interesset ac etiam tunc erat adolescen-
tulus his studiis mirifice deditus. Iam vero de legibus insti-
tuendis: de bello de pace de sociis: de vectigalibus: de iure
civili generatim in ordines etatesque descripto dicant: vel
greci si volunt ligurgum aut solonem: quamquam illos quidem cense-
mus in numero eloquentium reponendos fuisse melius quam
hyperidem aut demostenem perfectos iam homines in dicendo
et perpolitos: vel nostros decem viros qui duodecim tabulas
perscripserunt quos necesse est fuisse prudentes: anteponat in
hoc genere et. Ser. galbe et socero tuo. C. lelio: quos constat
dicendi gloria prestitisse. Numquam enim negabo esse quasdam
artes proprias eorum qui in his cognoscendis atque tractandis
studium suum omnes posuerunt. Sed oratorem plenum atque
perfectum esse eum qui de omnibus rebus possit copiose
"sepe" varieque dicere. Et enim in his causis quas omnes proprias esse
oratorum confitentur: est aliquod quod non est ex usu
forensi: quem solum oratoribus conceditis sed ex obscuriore
aliqua sciencia sit promendum atque sumendum. Quero,
enim num possit aut contra imperatorem aut pro imperatore
dici sine rei militaris usu: aut sepe etiam sine regionum
terrestrium aut maritimarum sciencia. Num apud populum
de legibus iubendis: aut vetandis? num in senatu de omni
rei publice genere dici sine summa rerum civilium cognitione et pru-
dentia? num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus
vel inflamandos vel etiam extinguendos: quod unum in ora-
tore dominatur sine diligentissima pervestigatione earum omnium
rationum que de naturis humani generis ac moribus a philosophis
explicantur? atque haud scio an minus vobis sim probaturus:
equidem non dubito quod sentio dicere: phisica ista ipsa
que ante et mathematica et ceterarum artium propria posuisti

Scientie sunt eorum qui illa profitentur illustrare autem
oratione siquis istas ipsas artes velit ad oratoris eius
confugiendum est tamquam ad architecti potius facultatem
Neque enim si philonem illum architectum qui atheniensibus
armamentarium fecit: constat perdiserte populo rationem
operis sui reddidisse existimandum est architecti potius ar-
tificio disertum quam oratoris fuisse nec si huic M. antonio
pro hermodoro fuisset de navalium opere dicendum: num-
quam ab illo causam didicisset ipse ornate de alieno artifi-
cio copioseque dixisset: Neque asclepiades is: quo nos me-
dico amicoque usi sumus tum eloquentia vincebat ceteros
medicos in eo ipso quod ornate dicebat: medicine facul-
tate utebatur non eloquentie. Atque illud est probabilius:
neque tamen verum quod socrates dicere solebat omnes
in eo quod scirent satis esse eloquentes Illud verius: ne-
que quemque in eo disertum esse posse quod nesciat: neque si id
optime sciat: Ignarusque si sit faciunde ac poliende ora-
tionis diserte id ipsum: de quo sciat non posse dicere Qua-
obrem siquis universam et propriam oratoris vim definire
complectique volt: is orator erit mea sententia: hoc tam gravi
in dignus est nomine: qui quecumque res inciderit: que sit
dictione explicanda: prudenter: et composite: et ornate
et memoriter dicet: cum quadam actionis etiam dignitate
Sin cuipiam nimis infinitum videtur: quod ita posui: quacum-
que de re: licet hinc quantum cuique videbitur circumcidat
atque amputet: tamen illud tenebo si que ceteris in artibus
aut studiis sita sunt: orator ignoret: tantumque ea tene-
at que sunt in disceptationibus: aut usu forensi: tamen si
his de rebus ipsis sit ei dicendum cum cognoverit ab hiis:
qui tenent que sunt in una quaque re: multo oratorem melius
: quam ipsos illos: quorum eae sunt artes esse dicturum Ita si
de re militari dicendum: huic erit sulpicio: queret a C.
mario affini nostro: et cum acceperit ita pronuntiabit: ut
ipsi C. mario pene hic melius quam ipse ille scire videatur
Sin de iure civili: tecum communicabit: te hominem prudentis-
simum et peritissimum in hiis ipsis rebus quas abs te didicerit:
dicendi arte superabit Sin que res inciderit: in qua de
natura de viciis hominum de cupiditatibus: de modo con-
tinentia: de dolore: de morte dicendum sit: forsitan si ei
sit visum: et si hec quidem nosse debet orator: cum sex pom-
peio erudito homine: in philosophia communicarit: hoc profecto

Quomodo se adinvicem habent poeta et orator

Efficiet: ut quamque rem a quoquo cognoverit: de ea
re multo dicat ornatius: quam ille ipse cognovit. Sed si me
audierit: quoniam philosophia in tres partes est distributa: in
nature obscuritatem: in disserendi subtilitatem: in vitam
atque mores: duo illa relinquamus: atque largiamur iner-
tie nostre. Tertium vero quod semper oratoris fuit nisi
tenebimus nichil oratori in quo magnus esse possit re-
linquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est
oratori perdiscendus. Cetera si non didicerit: tamen poterit
si quando opus erit ornare dicendo: si modo ad eum erit
delata et tradita. Etenim si constat inter doctos hominem
ignarum astrologie ornatissimis atque optimis versibus
Aratum de celo stellisque dixisse: si de rebus rusticis hominem
ab agro remotissimum Nicandrum Colophonium poetica qua-
dam facultate non rustica scripsisse preclare: quid est cur
non orator de rebus his eloquentissime dicat: quas ad
certam causam tempusque cognovit: Est enim finitimus oratori
poeta numeris astrictior paulo: verborum autem licentia
liberior: multis vero ornandi generibus socius ac pene par.
In hoc quidem certe prope idem nullis ut terminis circumscri-
bat: aut diffiniat ius suum quo minus ei liceat eadem illa
facultate et copia vagari qua velit. Namque illud quod
Scevola negasti te fuisse laturum: nisi in meo regno esses
quod in omni genere sermonis in omni parte humanitatis
dixerim oratorem perfectum esse debere. Numquam me
hercle hoc dicerem: si eum quem fingo: me ipsum esse ar-
bitrarer: sed ut solebat C. Lucilius sepe dicere homo tibi sub-
iratus: mihi propter eam causam minus quam volebat familiaris
sed tamen et doctus et perurbanus. Sic sentio neminem
esse in oratorum numero habendum: qui non sit omnibus
his artibus que sunt libero digne perpolitus: quibus ipsis:
si in dicendo non utimur: tamen apparet atque extat: u-
trum simus earum rudes an didicerimus: ut qui pila ludunt:
non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palestre: sed
ipse motus indicat: didicerint ne palestram: an nesci-
ant pingere: an nesciant non obscurum est: sic in orato-
ribus hisce ipsis iudiciorum senatus: etiam si proprie non
adhibeantur artes: tamen facile declaratur utrum is qui
dicat tantummodo in hoc declamatorio sit opere iacta-
tus: an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus ac-
cesserit. Tum ridens Scevola: non luctabor inquit tecum

Crasse amplius: Id enim ipsum: quod contra me locutus
es: artificio quodam es consecutus: ut et michi que ego
vellem non esse oratoris concederes: et ea ipsa nescio quo
rursus detorqueres: atque oratori propria traderes: Hec cum
ego pretor rhodum venisse: et cum summo illo doctore
panetio accepera contulissem irrisit ille quidem ut sole-
bat philosophiam atque contempsit multa non tam graviter dixit
quam facete Tua autem fuit oratio eiusmodi non ut nullam
artem doctrinam ne contempneres: sed ut omnes comites
ac ministras oratoris esse diceres: quas ego si quis sit unus
complexus omnes idemque si ad eas facultates istam ornatissime
orationis adiunxerit: non possum dicere eum non egregium
quendam hominem atque mirandum foro Sed is qui esset: aut si
etiam umquam fuisset: aut vero si esse posset: tu esses unus
profecto qui et meo iudicio et omnium vix ullam ceteris
oratoribus: pace horum dixerim: laudem reliquisti Verum
si tibi ipsi nichil deest: quod in forensibus rebus civilibus
versetur quin scias: neque eam tamen scientiam quam adiun-
gis oratori complexus es videamus ne plus ei tribuas:
quam res et veritas ipsa concedat Hic crassus memento inquit
me non de mea sed de oratoris facultate dixisse: Quid
enim nos aut didicimus aut scire potuimus qui ante ad
agendum quam ad cognoscendum venimus: quos in foro:
quos in ambitione: quos in re publica: quos in amicorum nego-
tiis res ipsa ante confecit: quam possemus aliquid de rebus
tantis suspicari Quod si tibi tantum in nobis videtur
esse: quibus etiam si ingenium ut tu putas non maxime
defuit doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud
discendi acerrimum defuit Quid censes si ad alicuius inge-
nium: uel maius illa que ego non attigi accesserint: qua-
lem illum oratorem et quantum futurum: Tum anto-
nius: probas michi inquit ista crasse que dicis: nec du-
bito quin multo locupletior in dicendo futurus sit: si quis
omnium rerum atque artium rationem naturamque compre-
henderit Sed primum id difficile factu est: presertim in
hac nostra vita nostrisque occupationibus Deinde illud
etiam verendum est ne extrahamur ex hac exercitatione
et consuetudine dicendi populari et forensi: Aliud enim
michi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum
de quibus paulo ante dixisti: quamvis illi ornate et gra-
viter: aut de natura rerum aut de humanis rebus loquuntur

Nitidum quoddam genus est verborum et letum: sed pa-
lestre magis et olei quam huius civilis turbe ac fori: Namque
egomet qui sero ac leviter grecas litteras attigissem: tamen
cum pro consule in ciliciam proficiscens athenas venissem:
complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultate
commoratus: Sed cum quottidie mecum haberem homines
doctissimos: eos fere ipsos: quos abs te modo sunt nominati:
cum hoc nescio quomodo apud eos increbuisset me
in causis maioribus sicuti te solere versari pro se quis-
quisque ut poterant de officio et de oratoris ratione dis-
putabat: horum alii sicuti iste ipse mnesarcus hos: quos
nos oratores vocaremus nichil esse dicebat: nisi quosdam
operarios lingwa celeri et exercitata Oratorem autem
nisi qui sapiens esset esse neminem: Atque ipsam eloquenciam
quod ex benedicendi sciencia constaret: unam quandam
esse virtutem: et qui unam virtutem haberet: omnes habere:
easque esse inter se equalis et pares Ita qui esset eloquens
eum virtutes omnes habere atque esse sapientem Sed hec erat
spinosa quedam et exilis oratio longeque a nostris sensibus
abhorrebat. Carneades vero multo uberius hisdem de rebus
loquebatur non quo aperiret sentenciam suam: hic enim mos erat
patrius achademie adversari semper omnibus in disputando:
sed cum maxime tamen hoc significabat eos: qui rhetores no-
minabantur et qui dicendi precepta traderent nichil plane
tenere neque posse quemquam facultatem assequi dicendi nisi
qui philosophorum inventa didicisset: Disputabant contra diserti
homines athenienses in re publica causisque versati in quibus erat
etiam is: qui nuper rome fuit menedemus hospes meus:
Qui cum diceret esse quandam prudenciam: que versaretur
in perspiciendis racionibus constituendarum et regendarum rerum
publicarum excitabatur homo promptus ab homine habundanti doctrina
et quadam incredibili varietate rerum atque copia: omnes enim
partis illius ipsius prudencie petendas esse a philosophia docebat:
neque ea que constituerentur in re publica de diis immortalibus: de dis-
ciplina iuventutis: de iusticia: de paciencia: de temperancia de mo-
rerum omni ceterarumque sine quibus civitates aut esse: aut bene
morate esse non possent usquam in eorum libris invenire Quod
si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi docto-
res complecterentur querebat cur de prohemiis et de epilo-
gis et de huiusmodi nugis: sic enim appellabat referti essent
eorum libri &c. de civitatibus instituendis: de scribendis legibus

De equitate : de iusticia : de fide : de frangendis cupiditatibus :
confirmandis hominum moribus littera nulla in eorum libris
inveniretur. Ipsa vero precepta sic illudere solebat ut
ostenderet eos non modo expertes esse illius prudentie : quam
sibi asciscerent sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem
ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris ut et
ipsis apud quos ageret talis : qualem se ipse optaret videretur :
id fieret vite dignitate de qua nichil rhetorici isti doctores
in preceptis suis reliquissent : Et uti eorum qui audirent sic affi-
cerentur animi ut eos affici velit orator : quod idem fieri nul-
lo modo posse : nisi cognosceret is qui diceret quot modis
hominum mentes : et quibus rebus : et quo genere orationis in
quamque partem moverentur. Hec autem esse penitus in media
philosophia retrusa atque abdita que isti rhetores ne primoribus
quidem labris attigissent : Ea menedemus exemplis magis quam
argumentis refellere conabatur : Memoriter enim multa ex o-
rationibus demostenis preclare scripta pronuncians : dicebat
illum in animis vel iudicum vel populi in omnem partem dicen-
do permovendis non fuisse ignarum : in quibus ea rebus conseque-
retur : que negaret ille sine philosophia quemquam scire posse. Huic
respondebat non se negare demosthenem summam prudentiam
summamque vim habuisse dicendi : sed sive ille hoc ingenio po-
tuisset sive id quod constaret platonis studiosus audiendi
fuisset non quod ille potuisset : sed quid isti docerent esse que-
rendum. Sepe etiam in eam partem ferebatur oratione ut
omnino disputaret nullam artem esse dicendi : Idque cum
argumentis docuerat quod ita nati essemus : ut et blandiri
suppliciter his a quibus esset petendum et adversarios
minaciter terrere possemus : et rem gestam exponere : et
id quod intenderemus confirmare et id quod contra diceretur
refellere et ad extremum deprecari aliquid et conqueri
Quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas
et cum consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam
acueret et loquendi celeritatem incitaret : Tum etiam
exemplorum copia nitebatur : nam primum quasi dedita
opera neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem di-
sertum fuisse dicebat cum repeteret usque a corace nescio
quo et thisia : quos artis illius inventores et principes
fuisse constaret : Eloquentissimos tamen homines : qui ista
nec didicissent : nec omnino scire curassent : innumerabiles
quosdam nominabat : in quibus etiam sive ille irridens

Sive quod ita putaret atque ita audisset me in eo inimico
quod illa non didicissem et tamen ut ipse dicebat posse ali
quid in dicendo proferebat. Quorum ego illi facile al
terum assentiebar nihil me didicisse. In altero autem me
illudi ab eo: aut etiam ipsum errare arbitrabar: artem vero
negabat esse ullam nisi que cognitis penitusque perspectis
et in unum exitum spectantibus et numquam fallentibus rebus con
tineretur. hec autem omnia que tractarent ab oratoribus
dubia esse et incerta cum et dicerent ab hiis quibus
non scientia esset tradenda: sed exigui temporis aut
falsa aut certe obscura opinio: Quid multa? Sic mihi
tum persuadere videbatur neque artificium ullum esse
dicendi neque quemquam posse nisi qui illa que a doctissimis
hominibus in philosophia dicerentur cognosceret aut callide aut
copiose dicere. Carneades solebat ingenium tuum cras
se vehementer admirari: me sibi per facilem in audien
do te perpugnacem in disputando esse visum: Tum ego hac
eadem opinione adductus scripsi etiam illud quodam in
libello qui me imprudente et invito excidit: et pervenit in
manus hominum: disertos me cognosse nonnullos: eloquentem
adhuc neminem quod eum statuebam disertum qui posset
satis acute atque dilucide apud mediocres homines: ex com
muni quadam opinione hominum mirabiliter dicere: Eloquentem
vero qui mirabilius et magnificentius augere posset atque
ornare que vellet: omnesque omnium rerum que ad dicendum
pertinerent fontis: animo ac memoria contineret. Id si est dif
ficile nobis: quod antequam ad dicendum ingressi sumus obrui
mur ambitione et foro: sit tamen in re positum atque natura.
Ego enim quantum auguror coniectura: quantaque ingenia
nostris hominibus esse video: non despero fore aliquem aliquando
qui et studio acriore quam nos sumus atque fuimus et otio ac
facultate discendi maiore ac maturiore: et labore atque
industria superiore: cum se ad audiendum legendum scriben
dumque maiore opera dederit: existat talis orator: qua
lem querimus: qui iure non solum disertus sed etiam
eloquens dici possit: qui tamen mea sententia aut hic est iam
Crassus aut siquis fuerit ingenio pari pluraque quam hic et
audierit et lectitarit et scripserit: paulum huic aliquid
poterit addere. Hoc loco Sulpicius insperanti mihi inquit
et Cotte: sed valde optanti utrique nostrum cecidit ut in istum
sermonem Crasse delaberemini. Nobis enim huc venientibus

otiendum satis fore videbatur: si tu vos de rebus aliis loque-
rentur: tu nos aliquid ex sermone uestro memoria dignum
excipere possemus. Ut vero penitus in eam ipsam totius
huius vel studii: vel artificii vel facultatis disputationem
intimam perveneritis vix optandum nobis videbatur. Ego
enim qui ab ineunte etate incensus essem studio utriusque
vestrum crasse tuo vero etiam amore: tum ab eo nusquam
discederem: verbum ex eo numquam elicere potui de vi ac
ratione dicendi: tum et per me ipsum egissem et per drusum
sepe temptassem. Quo in genere tu antoni vere loquar:
numquam michi percunctanti aut querenti aliquid defuisti: et
persepe me quod soleres in dicendo observare docuisti. Nunc
quoniam uterque vestrum patefecit earum rerum ipsarum
aditum: quas quaerimus: et quoniam princeps crassus eius
sermonis ordiendi fuit date nobis hanc veniam: ut ea que
sentitis de omni genere dicendi subtiliter persequamini. Quo
quidem si erit a nobis impetratum: magnam habeo crasse
huic palestre et tusculano tuo gratiam et longe achademie
illi ac lycio tuum hoc suburbanum anteponam. Tum ille enim
vero inquit sulpitii rogemus antonium: qui et potest facere id
quod requiris: et consuevit: ut te audio dicere: nam
me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis
refugisse et tibi cupienti atque instanti sepissime negasse
ut tu te paulo ante dixisti. quod ego non superbia neque in
humanitate faciebam neque quod tuo studio rectissimo atque
optimo non obsequi vellem: presertim cum te unum ex omnibus
ad dicendum maxime natum aptumque cognossem: sed me
hercule istius disputationis insolentia atque earum rerum que
quasi traduntur arte inscitia. Tum cotta quoniam id quod
difficillimum nobis videbatur ut omnino id crasse loquereris — assecuti sumus: de
que percunctati erimus explicaturus: dimiserimus. De his — reliquo iam nostra culpa
cedo rebus inquit crassus in ordinibus scribi solet quibus sciam — fuerit: si te non omnia
poteroque. Tum ille namque quod tu non poteris a nesci-
es: quis nostrum tam impudens est qui se scire aut posse
postulet. Iam vero isti ista conditione: dum michi
liceat negare posse quod non potero: et fateri nescire
quod nesciam. licet inquit crassus vestro arbitratu percontemini
Atqui inquit sulpitius hoc ostende quod antonius exposuit:
quid sentias: quemadmodum Existimes ne artem aliquam esse di-
cendi. Quid michi vos nunc inquit crassus tamquam alicui
negreculo ocioso et loquaci et fortasse docto atque erudito questiun-
culam

De qua meo arbitratu loquar imponitis? quis enim ista curas
se aut cogitasse arbitramini: et non semper irrisisse po-
tius eorum hominum impudenciam qui cum in schola assedisset
ex magna hominum frequencia dicere auderet si quis quid que-
reret? Quod primum ferunt leontinum fecisse gorgiam: qui per
magnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur: cum se ad
omnia de quibus quisque audire vellet esse paratum denunciaret.
Postea vero vulgo hoc facere ceperunt: hodieque faciunt:
ut nulla sit res neque tanta neque tam improvisa: neque tam
nova: de qua se non omnia que dici possint profiteantur
esse dicturos: Quod si te cotta arbitrarer: aut te sulpi-
ci de his rebus audire velle adduxissem huc grecum aliquem:
qui nos istius modi disputacionibus delectaret. Quod ne
nunc quidem difficile factu est. Est enim apud. M. pisone
adolescentem iam huic studio deditum summo hominem
ingenio: nostrique cupidissimum peripatheticus stapseas homo
eruditus sane familiaris: et ut inter homines peritos
constare video in illo suo genere omnium princeps. Quem
tu inquit michi mucius stapsea: que peripatheticum nar-
ras? gerendus est mos adolescentibus crasse: qui non generi
alicuius quotidianam loquacitatem sine usu neque ex scholis
cantilenam requirunt: sed ex homine omnium sapientissimo atque
eloquentissimo atque ex eo qui non in libellis: sed in maximis
causis et in hoc domicilio imperii et glorie sit consilio lin-
guaque princeps: cuius vestigia qui persequi cupiunt eius
sententiam sciscitantur. Equidem te cum in dicendo semper pu-
tavi deum: tum vero tibi numquam eloquencie maiorem tribui
laudem: quam humanitatis: qua nunc uti vel maxime debet
: neque defugere eam disputacionem ad quam te duo excellenti
ingenii adolescentes cupiunt accedere. Ego vero inquit istis
obsequi studeo: nec gravabor breviter meo more quid quaque
de re senciam dicere: ac primum illud: quoniam auctoritatem
tuam negligere scevola fas michi esse non puto: res-
pondeo michi dicendi aut nullam artem vel aut perteminem
videri: sed omnem esse contencionem inter homines doctos
in verbi controversia positam. Nam si ars definitur: ut
paulo ante exposuit anthonius ex rebus penitus perspectis
planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio seiunctis scie-
ciaque comprehensis: non michi videtur ars oratoris
esse ulla: Sunt enim varia et ad vulgarem popularemque
sensum accomodata omnia genera huius forensis nostre

Dictionis Sin autem ea que observata sunt in usu ac ratione dicendi: hec ab omnibus callidis ac peritis animadversa ac notata verbis designata generibus illustrata: partibus distributa sunt: quod fieri potuisse video: Non intelligo quam ob rem non si minus illa subtili diffinitione: at hac vulgari opinione ars esse videatur sed sine est ars: sive artis quedam similitudo: non est ea quidem negligenda: verum intelligendum est alia quedam ad consequendam eloquentiam esse maiora. Tum antonius vehementer se assentiri crasso dixit: quod neque ita amplecteretur artem ut hi solerent qui omnem vim dicendi in arte ponerent: neque rursum eam totam sicut plerique philosophi faceret repudiaret: Sed existimo inquit gratum te his esse facturum: si ita exposueris: putas que putas ad dicendum plus quam ipsam artem posse prodesse: Dicam equidem quoniam institui: petamque a vobis inquit: ne has meas ineptias efferatis quamquam moderabor ipse: nec ut quidam magister atque artifex: sed quasi unus e togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris neque omnino rudis videar non ipse aliquid a me promisisse: sed fortuito in sermone vestrum incidisse. Equidem tum peterem magistratum solebam in prensando dimittere a me scevolam: cum ei ita dicerem: me velle esse ineptum. Id erat petere blandius quod nisi inepte fieret: bene non posset fieri: hunc autem esse unum hominem ex omnibus: quo presente ego ineptus esse minime vellem: quem nunc meorum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius quam de dicendo dicere cum ipsum dicere numquam sit non ineptum nisi cum est necessarium. Perge vero crasse inquit mucius. Istam enim tulpam quam vereris ego prestabo. Sic inquit igitur crassus: Sentio naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam. Neque vero istis de quibus paulo ante dixit antonius scriptoribus artis rationem dicendi et viam sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent qui ad excogitandum acuti et ad explicandum ornandumque sint uberes: et ad memoriam firmi atque diuturni: Sed quis est qui hec putet arte accipi posse: quod falsum est: preclare enim se res habet si hec accendi aut commoveri arte possint: inseri quidem et donari ab arte non possunt omnia: sunt

De natura et ingenium facit ad dicendum

Sunt illa dona nature: quid de illis dictum est que cer-
te cum ipso homine nascuntur: lingue solutio: vocis
sonus: latera vires: conformatio quedam et figura
totius oris et corporis. Neque enim hec illa dico: ut
ars aliquos limare non possit: Neque enim ignoro: et
que bona sunt: fieri meliora posse doctrina: et que non
optima aliquo modo acui: tamen et corrigi posse. Sed
sunt quidam aut ita lingwa hesitantes: aut ita vo-
ce absoni ut ita vultu motuque corporis vasti atque agres-
tes: ut etiam si ingeniis atque arte valeant tamen in ora-
torum numero venire non possint: Sunt autem qui-
dam ita in hisdem rebus habiles: ita nature muneribus
ornati: ut non nati: sed ab aliquo deo ficti videantur
Magnum quoddam est onus atque munus suscipere atque
profiteri: se esse omnibus silentibus unum maximis de
rebus magno in conventu hominum audiendum. Adest enim
fere nemo: quin acutius atque acrius vitia in dicente quam
recta videat. Ita quicquid est in quo offenditur: id etiam
illa que laudanda sunt obruit. Neque hec in eam sententiam
disputo ut homines adolescentes: si quid naturale forte
non habeant omnino a dicendi studio deterream.
Quis enim non videat C. Celio equali meo magno ho-
nore fuisse homini novo illam ipsam quamcumque as-
sequi potuerit in dicendo mediocritatem. Quis vestrum
equalem meum Q. Varium vastum hominem atque fedum
non intelligit illa ipsa facultate: quamcumque habuit:
magnam esse in civitate gratiam consecutum. Sed
quia de oratore querimus: fingendus est nobis oratione
nostra detractis omnibus vitiis orator atque omni
laude cumulatus neque enim si multitudo litium: si varie-
tas causarum: si hec turba et barbara forensis dat lo-
cum vel vitiosissimis oratoribus: idcirco nos hoc quod
querimus: omittemus: Itaque in his artibus in quibus
non utilitas queritur necessaria sed animi libera que-
dam oblectatio: quam diligenter et quam prope fastidiose iudi-
camus. Nulle enim lites neque controversie sunt que
cogant homines sicut in foro non bonos oratores: item
in theatro actores malos perpeti. Est enim oratori di-
ligenter providendum: non uti ei satisfaciat: quibus necesse
est sed ut his admirabilis esse videatur quibus libere
liceat iudicare. Ac si queritis plane quid sentiam enuntiabo

Apud homines familiarissimos: quod adhuc semper tacui et
tacendum putavi mihi etiam quoque optime dicunt: quique
id facillime atque ornatissime facere possunt: tamen nisi timide
ad dicendum accedunt: et in exordienda oratione perturbantur
pene impudentes videntur: tametsi id accidere non potest. Ut enim
quisque optime dicit: ita maxime dicendi difficultatem variosque
eventus orationis expectationemque hominum pertimescit. Qui vero
nihil potest dignum re: dignum nomine oratoris: dignum hominum
auribus efficere atque edere: is mihi etiam si commoveatur in
dicendo tamen impudens videtur. Non enim pudendo: sed
non faciendo id quod non decet: impudentie nomen effugere
debemus. Quem vero non pudet id quod in plerisque video hunc
ego non reprehensione solum: sed etiam pena dignum puto. Equidem
et in vobis animadvertere soleo: et in me ipso sepissime experior
ut exalbescam in principiis dicendi: et tota mente atque omnibus
artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic in initio accusa-
tionis exanimatus sum: ut hoc summum beneficium Q. maximo
debuerim. quod continuo consilium dimiserit simul ac me fractum
ac debilitatum metu viderit. Hic omnes assensu significare et
colloqui inter se ceperunt. Fuit enim mirificus quidam in Cras-
so pudor qui tamen non modo non obesset. Tum Antonius sepe
ut dicis inquit animadverti Crasse et te et ceteros oratores sum-
mos: quamquam tibi par mea sententia nemo umquam fuit: in dicendi exor-
dio permoveri. Cuius quidem rei cum causam quererem: quid-
nam esset cur ut in quoque oratore plurimum esset ita maxime is
pertimesceret: has causas inveniebam duas. Unam quod in-
telligerent hi: quos usus ac natura docuisset non numquam summis
oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere.
Ita non iniuria quotienscumque dicerent: id quod aliquando
aliquid minus posset accidere ne illud ipsum accideret timere.
Altera est haec: de qua queri sepe soleo: quod ceterarum
homines artium spectati et probati: si quando aliquid minus be-
ne fecerint: quam solent aut noluisse: aut valitudine impeditos
non potuisse consequi id quod scirent putantur. Noluit inquiunt
hodie agere Roscius: aut crudior fuit. Oratoris peccatum
si quod est: animadversum: stultitie peccatum videtur. Stulti-
tia autem excusationem non habet. Quare nemo videtur
aut quia crudus fuerit: aut quod ita maluerit stultus fuis-
se: quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus. Quotiens
enim dicimus: totiens de nobis iudicatur: et qui semel in
gestu peccavit: non continuo existimatur nescire gestum:

Cuius autem in dicendo quid reprehensum est aut eterna
in eo: aut certe diuturna valet opinio tarditatis. Illud vero
quod a te dictum est: esse permulta que orator nisi a natura
haberet: non multum a magistro adiuvaret: valde tibi assentior
inquit: Itaque vel maxime probaui summum illum alabandensem
appollonium qui cum mercede doceret: tamen non patiebatur
eos: quos iudicabat non posse oratores euadere: operam
apud se se perdere: dimittebatque et ad quamque artem pu-
tabat esse aptum ad eam impellere atque hortari sole-
bat: Satis est enim in ceteris artificiis percipiendis tantummodo
similem esse hominis: et id quod tradatur vel etiam inculcetur:
si quis forte sit tardior posse percipere animo et memoria
custodire. Non queritur mobilitas lingwe: non celeritas
verborum: non denique ea que nobis non possumus fingere:
facies: vultus: sonus: In oratore autem acumen diale-
ticorum: sententia philosophorum: verba prope poetarum memo-
ria iurisconsultorum: vox tragedorum: gestus pene summorum
actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum
genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Que enim
singularum rerum artifices: singula si mediocriter adepti
sunt probantur: ea nisi omnia summa sunt in oratore
probare non possunt: Tum crassus atque video inquit in ar-
tificio opera perquam tenui et levi quanto plus adhibeatur dilige-
ntie: quam in hac re: quam constat esse maxima: sepe enim
soleo audire roscium: cum ita dicat se adhuc reperire dis-
cipulum: quem quidem probare potuisset neminem: non
quo non essent quidam probabiles: sed quia si aliquid mo-
do esset vitii: id ferre ipse non posset: Nichil est enim tam
insigne: nec tam ad diuturnitatem memorie stabile: quam id
in quo aliquid offenderis. Itaque ut ad hanc similitudinem
huius histrionis oratoriam laudem dirigamus: videtis ne: quam
nichil ab eo nisi perfecte: nichil nisi cum summa venustate
fiat: nisi ita ut deceat: et ut omnes moveat atque delectet.
Itaque hoc iam diu est consecutus: ut in quo quisque artificio ex-
celleret: is in suo genere roscius diceretur. hanc ego abso-
lutionem perfectionemque in oratore desiderans: a qua ipse
longe absum: facio impudenter: michi enim volo ignosci: ce-
teris ipse non ignosco. Nam qui non potest: qui vitiose facit
quem denique non decet: hunc ut appollonius iubebat ad
id quod facere possit detrudendum puto: Num tu igitur
inquit sulpicius me aut hunc cottam ius civile: aut rem

Militarem iubes discere? Nam quis ad ista summa
atque in omni genere perfecta potest pervenire? Tum ille:
ego vero inquit quod in vobis egregiam quandam ac pre-
claram indolem ad dicendum esse cognovi: idcirco hec
exposui omnia: nec magis ad eos deterrendos qui non
possent: quam ad vos qui possetis excitandos accommo-
davi orationem meam: et quamquam in utroque vestrum summum
esse ingenium studiumque perspexi: tamen hec que sunt
in specie posita de quibus plura fortasse dixi quam solent
greci dicere in te sulpici divina sunt. Ego enim neminem
nec motu corporis: neque ipso habitu atque forma aptiorem:
nec voce pleniorem: aut suaviorem michi videor audis-
se: quibus a natura minora data sunt: tamen illud
assequi possunt ut his que habent modice et scienter
utantur: et ut ne dedeceat id enim est maxime vitandum:
Et de hoc uno minime est facile percipere: non michi modo
qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor: sed etiam
ipsi illi roscio: quem sepe audio dicere caput esse artis
decere: quod tamen unum id esse; quod tradi arte non possit.
Sed si placet sermonem alio transferamus: et nostro more
aliquando: non rhetorico loquamur. Minime vero inquit
cotta: nunc enim te iam exoremus necesse est quoniam reti-
nes nos in hoc studio: nec ad aliam dimittis artem: ut no-
bis explices quicquid est istud: quod in dicendo tu potes:
neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquen-
tia contenti sumus: idque ex te querimus: ut ne plus nos
assequamur quam quantulum tu in dicendo assecutus es: quoniam
que a natura expetenda sunt ea dicis non nimis deesse
nobis: quid preterea esse assumendum putes? Tum crassus
arridens: quid censes inquit cotta: nisi studium et ardorem
quendam amoris: sine quo cum in vita nichil quicquam
egregium: tum certe hoc quod tu expetis nemo umquam
assequetur: neque vero vos ad eam rem video esse cohor-
tandos: quos cum michi quoque sitis molesti: nimis etiam
flagrare intelligo cupiditate: sed profecto studia
nichil prosunt perveniendi aliquo: nisi illud quod eo
quo intendas ferat deducatque cognoris. Quare quoniam
michi levius quoddam ~~[struck]~~ onus imponitis: neque
ex me de oratoria arte: sed de hac mea quantulacumque est
facultate queritis: exponam vobis non quandam aut per-
reconditam: aut valde difficilem: aut magnificam: aut



Grave consuetudinis mee: qua quondam solitus sum
uti: cum michi in isto studio versari adolescenti liceret. Tum
Sulpicius: O diem cottam nobis inquit optatum: quod enim
neque precibus umquam: nec insidiando: nec speculando assequi
potui: ut quid crassus ageret meditandi aut dicendi causa non
modo videre michi: sed ex eius scriptore et lectore diphi-
lo suspicari liceret: id spero nos esse adeptos: omniaque
iam ex ipso que diu cupimus cognituros. Tum crassus.
Atqui arbitror sulpici cum audieris non tam te admira-
turum que dixero: quam existimaturum tum cum ea audire cupie-
bas: causam cur cuperes non fuisse: Nichil enim dicam te
conditum: nichil expectatione vestra dignum: Nichil aut
inauditum vobis: aut cuiquam novum: nam principio illud
quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum:
Primum officium oratoris non negabo me ista omnium communia et contrita precep-
ta didicisse. Primum oratoris officium esse dicere ad per-
suadendum accommodate Deinde esse omnem orationem
aut de infinite rei questione sine designatione personarum:
aut temporum: aut de re certis in personis ac temporibus
locata. In utraque autem re quicquid in controversiam veniat:
in eo queri solere aut factum ne sit: aut si est factum: quale
sit: aut etiam quo nomine notetur: aut quod nonnulli addunt
rectum ne factum esse videatur: Existere autem controver-
sias etiam ex scripti interpretatione In quo aut ambi-
gue quid sit scriptum: aut contrarie: aut ita: ut a sen-
tentia scriptura dissentiat His autem omnibus partibus sub-
iecta quedam esse argumenta propria: sed earum: que sint
a communi questione seiuncte: partim in iudiciis versari
partim in deliberationibus: esse etiam genus tercium quod
in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur: cer-
tosque esse locos: quibus in iudiciis uteremur: in quibus equi-
tas quereretur: alios in deliberationibus: qui omnes ad uti-
litatem dirigerentur eorum quibus consilium daremus
alios in laudationibus in quibus ad personarum dignitatem
omnia referrentur Cumque esset omnis oratoris vis ac fa-
cultas in quinque partes distributa: ut deberet reperire
primum quid diceret: Deinde inventa non solum ordine: sed
etiam momento quodam ac iudicio dispensare et com-
ponere: tum ea denique vestire: atque ornare oratione post
memoria sepire ad extremum agere cum dignitate et ve-
nustate Etiam illam cognoram et acceperam antequam de verbis

Dixeremus initio conciliandos eorum esse animos qui audirent
deinde rem demonstrandam: postea controversiam
constituendam: tum id quod nos intenderemus confir-
mandum: post que contradicerent refellenda extre-
ma autem oratione ea que pro nobis essent amplifi-
canda et augenda: queque essent pro adversariis infir-
manda atque frangenda: Audieram etiam que de o-
rationis ipsius ornamentis traderentur: In qua precipi-
primum: ut pure et latine loquamur: Deinde ut plane
et dilucide: tum ut ornate: post ad rerum dignitatem apte
et quasi decore: singularumque rerum precepta cognoram
Iam etiam que maxime propria essent nature: tamen his
ipsis artem adhibere viderim: nam de actione et de me-
moria quedam brevia: sed magna cum exercitatione
precepta gustaram: In his enim fere rebus omnis istorum
artificum doctrina versatur: quam ego si nihil dicam
adiuvare mentiar: habet enim quedam quasi ad co-
monendum oratorem: quo quidque referat: quo intuens:
ab eo quodcumque sibi proposuerit minus aberret Verum
ego hanc vim intelligo esse in preceptis omnibus: non
ut ea secuti oratores eloquentie laudem sint adepti: sed
que sua sponte homines eloquentes facerent: ea quos-
dam observasse: atque id egisse sic esse non eloquentiam
ex artificio: sed artificium ex eloquentia natum Quod tamen
ut ante dixi non eicio est enim etiam si minus necessari-
um ad benedicendum: tamen ad cognoscendum non illibe-
rale Et quidem exercitatio quedam suscipienda vobis est:
quamquam vos quidem iam pridem estis in cursu: sed hi qui
ingrediuntur ad studium: quique ea que agenda sunt
in foro tamquam in acie: possunt etiam nunc exercitatione
quasi ludicra prediscere ac meditari Hanc ipsam inquit
Sulpicius nosse volumus: at tamen ista que abs te
breviter de arte decursa sunt audire cupimus: quamquam
sunt nobis quoque non inaudita Verum illa mox: nunc
de ipsa exercitatione quid sentias querimus Equidem
probo ista crassus inquit: que vos facere soletis:
ut causa aliqua posita consimili causarum earum que
in forum deferuntur: dicatis quam maxime ad verita-
tem accomodate: sed plerique in hoc vocem modo:
neque eam scienter et vires exercent suas: et lingue
celeritatem incitant verborumque frequentia delectant



In quo fallit eos: quod audierunt dicendo homines: ut di-
cant efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur perverse
dicere homines: perverse dicendo facillime consequi. Qua
obrem in istis ipsis exercitationibus: et si utile est etiam
subito sepe dicere: tamen illud utilius: sumpto spatio
ad cogitandum: paratius atque accuratius dicere. Ca-
put autem est: quod ut vere dicam minime facimus: est
enim magni laboris: quem plerique fugimus: quam plurimum
scribere: stilus optimus et prestantissimus dicendi effec-
tor atque magister neque iniuria. Nam si subitam et fortuitam
orationem commentatio et cogitatio facile vincit: hanc ipsam
profecto assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes
enim sive artis sunt loci: sive ingenii cuiusdam ac pru-
dentie qui modo insunt in ea re de qua scribimus: ac qui-
rentibus nobis omnique arte ingenii contemplantibus os-
tendunt se et occurrunt omnesque sentencie: verbaque omnia que
sunt cuiusque generis maxime illustria: sub acu-
men stili subeant et succedant necesse est: tum ipsa colla-
tio conformatioque verborum perficitur in scribendo:
non poetico sed quodam oratorio modo et numero. Hec
sunt que clamores et admirationes in bonis orato-
ribus efficiunt: neque ea quisquam nisi diu multumque scripti-
tarit: etiam si vehementissime se in hiis subitis dic-
tionibus exercuerit consequetur. Et qui a scribendi con-
suetudine ad dicendum venit: hanc affert facul-
tatem ut etiam subito si dicat. tamen illa que dicantur:
similia scriptorum esse videantur. Atque etiam si quando
in dicendo scriptum attulerit aliquid cum ab eo discesse-
rit: reliqua similis oratio consequetur: ut incitato
navigio cum remiges inhibuerint: retinet tamen ipsa
navis motum et cursum suum intermisso impetu pul-
suque remorum: sic in oratione perpetua cum scripta deficiunt:
parem tamen obtinet oratio reliqua cursum scriptorum
similitudine et vi concitata. In quotidianis autem
cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere
solebam illam exercitationem maxime: qua C. Carbo-
nem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam: ut
aut versibus propositis quam maxime gravibus: aut oratione
aliqua lecta ad eum finem: que memoria possem com-
prehendere: eam rem ipsam: qua legissem verbis
aliis quam maxime possem lectis pronunciarem: sed post

Animaduerti hoc esse in hoc vicij: quod ea verba: que
maxime cuiusque rei propria queque essent ornatissima
atque optima occupasset aut ennius si ad eius ver-
sus me exercerem: aut gracchus: si eius orationem mihi
forte posuissem. Ita si hisdem verbis vterer nihil
prodesse si alijs etiam obesse: cum minus idoneis vti
consuescerem. Postea mihi placuit eoque sum vsus a-
dolescens: ut summorum oratorum grecas orationes explica-
rem: quibus lectis hoc assequebar: ut cum ea que legeram
grece latine redderem: non solum optimis verbis vte-
rer: at tamen vsitatis: sed etiam exprimerem quedam verba
imitando: que noua nostris essent: dummodo essent idonea
Iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius lingwe
motus: et exercitaciones: non tam artis indigent: quam labo-
ris: quibus in rebus habenda est ratio diligenter: quos
imitemur: quorum similes velimus esse. Intuendi no-
bis sunt non solum oratores sed etiam actores: ne ma-
la consuetudine ad aliquam deformitatem prauitatemque
veniamus: Exercenda est etiam memoria: ediscendis ad
verbum quam plurimis: et nostris scriptis et alienis. Atque in ea
exercitacione non sane mihi displicet adhibere si con-
sueris etiam istam locorum simulacrorumque racionem: que in
arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domesti-
ca exercitacione et vmbratili medium in agmen: in pul-
uerem: in clamorem: in castra atque aciem forensem:
subeundus vsus omnium: et periclitande vires ingenij
et illa commentacio inclusa in veritatis lucem proferenda
est: [illegible] legendi etiam poete. cognoscenda histo-
ria omnium bonarum artium scriptores ac doctores et le-
gendi et peruoluendi: et exercitacionis causa laudandi
interpretandi: corrigendi: vituperandi refellendi: dispu-
tandumque de omni re in contrarias partes: et quicquid
erit in quaque re: quod probabile videri possit eliciendum
atque dicendum; perdiscendum ius ciuile: cognoscende le-
ges: percipienda omnis antiquitas senatoria consuetudo
disciplina rei publice iura sociorum: federa: pactiones causa
imperij cognoscenda est: libandus est ex omni genere
vrbanitatis facetiarum quidem lepos quo tamquam sale sper-
gatur omnis oratio: Effudi vobis omnia que sentiebam
que fortasse si quemuis patrem familias arripuissetis ex a-
liquo circulo: eadem nobis percontantibus respondisset:

Hec cum trassus dixisset silentium est consequutum: sed quamquam satis hiis qui aderant ad id quod erat positum dictum videbatur: tamen sentiebant celerius esse multo quam ipsi vellent ab eo peroratum. Tum sceuola: Quid est totta inquit: quid tacetis? Nichil ne vobis in mentem venit: quod preterea a trasso requiratis? Immo hercule ipsum attendo Tantus enim cursus verborum fuit et sic euolauit oratio: ut eius vim et incitationem aspexerim: vestigia ingressumque vix viderim: et tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim non explicata veste: neque proposito argento: neque tabulis et signis propalam collatis: sed hiis omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis. Sic modo in oratione trassi diuicias ac ornamenta eius ingenii per quedam inuolucra voluta atque integumenta perspexi Sed ea cum contemplari cuperem vix aspiciendi potestas fuit. Itaque nec hoc possum dicere me omnino ignorare quid possideat: neque plane nosse atque vidisse Quin tu igitur facis idem: inquit sceuola: quid faceres si in aliqua domum plenam ornamentorum venisses: si ea deposita ut dicis essent tuque valde spectandi cupidus esses non dubitares rogare dominum: ut proferri iuberet: presertim si esset familiaris. Similiter nunc petes a trasso ut eam copiam ornamentorum suorum quam constructam: uno in loco quam per trassenniam pretereuntes strictim aspeximus: in lucem proferat: et suo quidque in loco collocet Ego vero inquit totta a te peto sceuola Me enim et hunc sulpicium impedit pudor ab homine omnium grauissimo: qui genus huiusmodi disputationis semper contempserit: hec que isti forsan puerorum elementa videantur exquirere. Sed tu hoc nobis da sceuola et perfice ut trassus hec que coartauit et peranguste refersit in oratione sua: dilatet nobis atque explicet Ego me hercule inquit mutius antea vestra magis hoc causa volebam quam mea Neque enim tempore hanc a trasso disputationem desiderabam quanto opere eius in causis oratione delector Nunc vero trasse mea quoque etiam causa rogo: ut quoniam tantum habemus otii: quantum iam diu nobis non contingit: ut ne graueris exedificare id opus quod instituisti Formam enim totius negocii opinione maiorem melioremque video: quam vehementer probo Enim vero inquit trassus mirari satis non queo etiam te hec sceuola desiderare: que neque ego teneo uti hii qui docent: neque sunt eius generis

Ut si optime tenerem digna essent ista sapientia at tuis auribus. An tu inquit ille si de istis communibus et pervagatis vix huic etati audiendum putas: etiamne illa negligere possimus que tu oratori cognoscenda esse dixisti de naturis hominum: de moribus: de rationibus his quibus hominum mentes et incitantur et reprimuntur: de historia: de antiquitate: de administratione rei publice denique de ipso nostro iure civili: hanc enim ego omnem scientiam et copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse. In oratoris vero instrumento: tam lautam supellectilem numquam videram. Potes inquit igitur Crassus ut alia omittam innumerabilia et immensa ut et ad ipsum tuum ius civile veniam oratores putare eos: quos multas horas expectavi cum in campum properarem: et ridens et stomachans Scevola: cum Hypseus maxima voce plurimis verbis a M. Crasso pretore contenderet ut ei quem defendebat cause cadere liceret. Cn. autem Octavius homo consularis non minus longa oratione recusaret: ne adversarius causa caderet. Ac ne is pro quo ipse diceret turpi tutele iudicio: atque omni molestia stultitia adversarii liberaretur. Ego vero inquit istos oratores non puto. Memini enim michi narrare Mucium non modo oratoris nomine sed foro quidem dignos vix putare. Atqui non defuit illis patronis: eloquentia: inquit Crassus: neque dicendi ratio aut copia: sed iuris civilis scientia: quod alter plus lege agendo petebat: quam quantum lex in XII tabulis permiserat: quod cum impetrasset causa caderet. Alter iniquum putabat plus secum agi: quam quod esset in actione: neque intelligebat si ita esset actum litem adversarium perditurum. Quid in his paucis diebus nonne nobis in tribunali Q. Pompei pater urbis familiaris noster sedentibus homo ex numero disertorum postulabat ut illi unde peteretur vetus atque usitata exceptio daretur: cuius pecunie dies fuisset: quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat ut si ille infitiator probasset iudicii ante petitam pecuniam esse quam esset cepta deberi: petitor rursus cum peteret: exceptione excluderetur: quod ea res in iudicium antea non venisset. Quid ergo hoc fieri turpius aut dici potest: quam eum qui hanc personam susceperit ut amicorum controversias causasque tueatur: laborantibus succurrat: egris medeatur: afflictos excitet

Nunc minimis tenuissimisque rebus ita labi: ut alius
miserandus: alius irridendus esse videatur? Equidem
propinquum nostrum P. Crassum illum divitem et multis aliis
rebus elegantem hominem: et ornatu precipue: in hoc
ferendum et laudandum puto: quod cum P. Scevole
fratri esset solitus ei persepe dicere neque illum in iure
civili satis illi arti facere posse: nisi dicendi copiam
assumpsisset. Quod quidem hic qui mecum consul fuit filius
eius est consecutus. Neque se ante causas amicorum
tractare atque agere cepisse: quam ius civile didicisset. Quid
vero ille M. Cato: nonne et eloquencia tanta fuit quantam
illa tempora atque illa etas in hac civitate ferre
maxima potuit? et iuris civilis omnium peritissimus. Verecun-
dius hac de re iam dudum loquor: quod adest vir
in dicendo summus: quem ego unum oratorem maxime
admiror: sed tamen idem hoc semper ius civile contem-
psit. Verum quoniam sententie atque opinionis mee voluistis
esse participes: nihil occultabo: et quoad potero vobis
exponam quid de quaque re sentiam: Antonii incredibi-
lis quedam et prope singularis et divina vis ingenii vi-
detur: si hac sciencia iuris nudata sit posse se facile ce-
teris armis prudencie tueri atque defendere. Quamobrem
hic nobis sit exceptus. Ceteros vero non dubitabo primum
inertie condempnare sententia mea: post etiam impruden-
tie: nam volitare in foro: herere in iure: ac pretorum
tribunalibus iudicia privata magnarum rerum obire: In
quibus sepe non de facto sed de equitate ac iure certetur?
Iactare se in causis centumviralibus: in quibus usus capio-
num tutelarum: gentilitatum: agnationum: alluvionum: nexo-
rum mancipiorum: parietum luminum stillicidiorum:
testamentorum ruptorum: aut ratorum: ceterarumque rerum
innumerabilium iura versentur? cum omnino quid suum
quid alienum: quare denique civis an peregrinus servus
an liber quispiam sit ignoret: insignis est impudentie.
Illa vero deridenda arrogantia est: in minoribus navi-
giis rudem esse se confiteri: quinqueremes: aut etiam
maiores gubernare didicisse. Tum michi tu in titulo
decipiare adversarii stipulatiuncula et cum obsignes
tabellas clientis tui: quibus in tabellis id sit scriptum:
quo ille capiatur ego tibi ullam causam maiorem
committendam putem? Citius hercule is qui duorum

Scalmorum naviculam in portu everterit in euxino pon-
to argonautarum naue gubernarit. Quid si ne par-
ue quidem esse sunt: sed sepe maxime: in quibus
certatur de iure civili: quod tandem os est illius pa-
troni qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet
accedere. Que potuit igitur esse causa maior: quam
illius militis de cuius morte: cum domum falsus ab
exercitu nuntius venisset: et pater eius re credita
testamentum mutasset: et quem ei visum esset heredem
fecisset: essetque ipse mortuus: res delata esset ad centum-
viros: cum miles domum venisset egissetque lege in here-
ditatem paternam testamento exheres filius. Nempe
in ea causa quesitum est de iure civili: possetne paternorum
bonorum exheres esse filius quem pater testamento ne-
que heredem neque exheredem scripsisset nominatim: Quid
quaque de re inter marcellos et claudios patricios cen-
tumviros iudicarunt: cum marcelli ab liberti filio stirpe
claudium patricii eiusdem hominis hereditatem gente ad
se diceret redisse nonne in ea causa fuit oratoribus
de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum. Quid
quod item in centumvirali iudicio certum esse accepimus:
qui roma in exilium venisset cui rome exulare ius non
esset mortuus: nonne in ea causa ius applicationis ob-
scurum sane et ignotum patefactum in iudicio atque illus-
tratum est a patrono. Quid nuper cum ego C. sergii
aurate contra hunc nostrum antonium iudicio privato causam
defenderem: nonne omnis nostra in iure versata defensio
est. Cum enim marcus marius gradidianus edes aura-
te vendidisset: neque servire quandam earum edium parte
in mancipii lege dixisset: defendebamus quicquid fuisset
incommodi in mancipio: id si venditor scisset neque declarasset
prestare deberet: Quo quidem in genere familiaris
noster. M. buculeius homo neque meo iudicio stultus
et suo valde sapiens: et a iuris studio non abhorrens
simili quodam in negotio nuper erravit: Nam cum edes. L.
fusio venderet in mancipio lumina uti tum esset ita
recepit: fusius enim simul atque edificari ceptum est in quo-
dam parte urbis: que modo ex illis edibus conspici
posset: egit statim cum baculeio quod cuicumque particule
celi officeretur: mutari quamvis esset procul mutari lu-
mina putabat. Quid vero clarissima marci curii ca

M. coponii nuper apud centumviros: quo concursu hominum
qua expectatione defensa est? Cum Q. sceuola equa-
lis et collega meus homo omnium ditissimus et disci-
plina iuris ciuilis eruditissimus et ingenio prudentia
que acutissimus: et oratione maxime limatus atque sub-
tilis: atque ut ego soleo dicere iurisperitorum eloquentissimus:
eloquentium iurisperitissimus ex scripto testamentorum
iura defenderet: negaretque nisi posthumus et natus: et
ante quam in tutelam suam veniret mortuus esset: herede
eum esse non posse: qui esset secundum posthumum
et natum et mortuum heres institutus: Ego autem defen-
derem eum hac tamen mente fuisse qui testamentum fe-
cisset: ut si filius non esset qui in tutelam non veniret: M. cu-
rius esset heres: num destitit uterque nostrum in ea causa:
in auctoritatibus: in exemplis: in testamentorum formul
: hoc est in medio iure ciuili versari? Omitto iam plura
exempla causarum ~~amplissimarum~~ amplissimarum que sunt innumera-
bilia capitis nostri: Sepe potest accidere: ut cause versentur
in iure: Et enim si C. mancinum nobilissimum atque optimum
virum ac consularem: cum propter invidiam numan-
tini foederis pater patratus ex senatus consulto numan-
tinis dedidisset: eumque illi non recepissent: posteaque
mancinus domum venisset neque in senatum introire du-
bitasset p. rutilius M. f. tr. pl. de senatu iussit educi:
quod eum civem negaret esse: quia memoria sic esset
proditum: que pater suus aut populus vendidisset: aut
pater patratus dedidisset: ei nullum esse postliminium
Quam possumus reperire ex omnibus rebus civilibus tam
contentionemque maiorem: quam de ordine: de civitate:
de libertate: de capite hominis consularis: presertim cum
hec non crimine aliquo: quod ille posset infitiari: sed
in civili iure consisteret? Similique in genere inferiori
ordine: si quis apud nos servisset ex populo fede-
rato: seseque liberasset: at postea domum revenisset:
quesitum est apud maiores nostros num is ad suos post
liminio redisset et amisisset hanc civitatem: Quid
de libertate quo iudicium gravius esse nullum potest: nonne
ex iure civili potest esse contentio? Cum queritur
is qui domini voluntate census sit: si non conditum
lustrum: sit ne liber: continuo ne an ubi lustrum sit con-
ditum: ~~Quod~~ Quid quod usu memoria patrum venit:

Ut pr. fa. q' ex hispania roma venisset : tum uxore pregnantem
in provincia reliquisset : romeque alteram duxisset : neque nun-
tium priori remisisset mortuusque esset intestato : et ex utraque
filius natus esset : mediocris ne res in controversiam ad-
ducta est ? Cumque quereretur de duobus civium capitibus :
et de puero q' ex posteriore natus erat : et de huius matre
que si iudicaretur certis quibusdam verbis : non novis nup-
tiis fieri cum superiore divortium : in concubine locum duceretur
Hec igitur et horum similia iura sue civitatis ignoran-
tem : erectum et celsum : alacri : et prompto ore ac vul-
tu huc atque illuc intuentem vagari cum magna caterva
toto foro presidium clientibus atque opem amicis : et
prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porri-
gentem atque tendentem : nonne in primis flagitiosum
putandum est ? Et quoniam de impudentia dixi : castige-
mus etiam segnitiem hominum : atque inhertiam : nam si esset is-
ta cognitio iuris magna ac difficilis tamen utilitatis
magnitudine deberet homines ad suscipiendum discendi
laborem impellere : Sed o dii immortales non dicere
hoc audiente scevola : nisi ipse dicere soleret . nullius
artis faciliorem sibi cognitionem videri . Quod quidem certis
de causis a plerisque aliter existimatur . Primum quia
veteres illi qui huic scientie prefuerunt obtinende atque
augende potentie sue causa pervulgari artem suam no-
luerunt : Deinde postea quam est editum expositis a . cn . fa-
bio primum actionibus : nulli fuerunt qui illa artificiose
digesta generatim componerent : Nichil est enim
quod ad artem redigi possit : nisi ille prius qui illa te-
net quorum artem instituere vult habeat illam scientiam :
ut ex his rebus quarum ars nondum sit : artem efficere
possit : hoc video dum breviter noluerim dicere : dic-
tum a me esse paulo obscurius : Sed experiar et dicam
si potero planius Omnia fere que sunt conclusa
nunc artibus dispersa et dissipata quondam fuerunt : ut
in musicis et numeri et voces et modi In geometria
liniamenta : forme intervalla : magnitudines : In
astrologia celi conversio : ortus : obitus : motusque side-
rum : In gramaticis : poetarum pertractatio : historia-
rum cognitio : verborum interpretatio : pronuntiandi qui-
dam sonus : In hac denique ipsa ratione dicendi : ex-
cogitare : ornare et disponere : meminisse : agere : ignota

Quondam omnibus et diffusa late videbantur. Adhibita
est igitur ars quedam extrinsecus ex alio genere quodam
quod sibi totum philosophi adsumunt que rem dissolutam di-
vulsamque conglutinaret et ratione quadam constringeret.
Sit ergo in iure civili finis hic legitime atque usitate in rebus
causisque civium equalitatis conservatio. Tum sunt notanda
genera et ad certum numerum paucitatemque revocanda. Ge-
nus autem id est quod sui similis comunione quadam specie autem
differentis duas aut plures complectitur partes. Par-
tes autem sunt que generibus hiis ex quibus emanant
subiciuntur. omnia que sunt vel generum vel partium no-
mina diffinitionibus quam vim habeant est exprimendum. Est
enim diffinitio rerum earum que sunt eius rei proprie quam
diffinire volumus brevis et circumscripta quedam explica-
tio. Hisce ergo rebus exempla adiungerem nisi apud
quos hec haberetur oratio cernerem. Nunc complectar
quod proposui brevi. Si enim aut michi facere licuerit
quod iam diu cogito aut alius quispiam aut me impe-
dito occupare aut mortuo effecerit ut primum omne ius
civile in genera digerat que perpauca sunt. Deinde
eorum generum quasi quedam membra dispartiat. Tum
propriam cuiusque vim diffinitione declaret perfectam
artem iuris civilis habebitis magis magnam atque
uberem quam difficilem et obscuram. Atque interea tamen
dum hec que dispersa sunt coguntur vel passim licet
carpentem et colligentem undique repleri iusta iuris
civilis scientia. Nonne videtis equitem Romanum hominem acutissi-
mo omnium ingenio sed minime ceteris artibus eruditum
C. Aculeone qui mecum vivit semperque vixit ita tenere
ius civile ut ei cum ab hoc discesseris nemo de hiis qui
peritissimi sunt anteponatur. Omnia enim sunt posita
ante oculos collocata in usu cotidiano in congressione
hominum atque foro neque ita multis litteris aut voluminibus mag-
nis continetur. Eadem enim sunt lata primum a pluribus deinde
paucis comutatis verbis etiam ab hiisdem scriptoribus
scripta sunt sepius. Accedit vero quo facilius percipi
cognoscique ius civile possit quod minime plerique arbi-
trantur mira quedam in cognoscendo suavitas et de-
lectatio. Nam si quem hec aliena studia delectant plu-
rima est et in iure civili et in pontificum libris et in duo-
decim tabulis antiquitatis effigies quod et verborum

Prisca vetustas cognoscitur et actionum genera quedam ma-
iorum consuetudinem vitamque declarant: seu quis civilem
scientiam contempletur: quam scevola non putat orato-
ris esse propriam: sed cuiusdam ex alio genere pruden-
tie: totam hanc descriptis omnibus civitatis utilitatibus
ac partibus · xii · tabulis contineri videbit: sive que ista
prepotens et gloriosa philosophia delectat: dicam audacius: hos-
ce habet fontes omnium disputationum suarum qui iure ci-
vili et legibus continentur. Ex his enim et dignitatem
maxime expetendam videmus cum vero et iustus ac ho-
nestus labor honoribus: premiis splendore decoratur.
Vicia autem hominum atque fraudes dampnis: vinclis igno-
miniis: verberibus: exiliis: morte multantur. Et doce-
mur non infinitis concertationumque plenis disputatio-
nibus: sed auctoritate nutuque legum domitas habere
libidines: cohercere omnes cupiditates: nostra tueri: ab
alienis mentes: oculos: manus abstinere: Fremant omnes
licet: dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium
philosophorum unus michi videtur · xii · tabularum libellus
si quis legum fontes et capita viderit et auctoritatis
pondere et ubertate utilitatis superare. At si nos id quod
maxime debet nostra patria delectat: cuius rei tanta est
vis ac tanta natura: ut ithacam illam in asperrimis saxu-
lis tamquam nidulum affixam sapientissimus vir inmortali-
tati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse
debemus: in eiusmodi patriam que una in omnibus terris do-
mus est virtutis: imperii: dignitatis: cuius primum nobis
mens: mos disciplina nota esse debet vel quia est patria
parens omnium nostrum: vel quia tanta sapientia fuisse in
iure constituendo putanda est: quanta fuit in his tantis
opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex
cognitione iuris leticiam et voluptatem quod quantum
prestiterint nostri maiores prudencia ceteris gentibus: tum
facillime intelligetis: si cum illorum ligurgo et dracone
et solone: nostras leges conferre volueritis. Incredibile
est enim quam sit omne ius civile preter hoc nostrum inconditum
ac pene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus
cotidianis dicere: cum hominum nostrorum prudenciam cete-
ris hominibus et maxime grecis antepono. His ego de
causis dixeram scevola hiis qui perfecti oratores esse vel-
lent iuris civilis cognitionem esse necessariam. Iam vero ipsa

per sese quantum afferat his qui ei presunt honoris: gratie:
dignitatis quis ignorat? Itaque non ut apud grecos
infimi homines mercedula adducti ministros se pre-
bent in iudiciis oratoribus. hi qui apud illos pragma-
tici vocantur: sic in nostra civitate contra amplissimus
atque clarissimus vir: ut ille qui propter hanc iuris civilis
sciam sit appellatus a summo poeta est: egregie cor-
datus homo: catus elius sextus multique preterea qui
cum ingenio sibi autore dignitatem repperissent: per-
fecerunt ut in respondendo iure autoritate plus eti-
am quam ipso ingenio valeret: Senectuti vero celebran-
de et ornande quod honestius potest esse refugium
perfugium quam iuris interpretatio. Equidem michi hoc sub-
sidium iam inde ab adolescentia comparavi non solum
ad causarum usum forensem: sed etiam ad decus atque
ornamentum senectutis: ut cum me vires quod fere
iam tempus adventat: deficere cepissent: a solitudi-
ne domum meam vindicare. Quid est enim preclarius
quam honoribus et rei publice muneribus perfunctum senem
posse suo iure dicere: idem quod apud ennium dicat
ille phitius apollo: se esse eum unde sibi si non populi
et reges: at omnes sui reges cives consilium expet-
tant suarum summarum rerum incerti: Quos ego mea
ope ex incertis certos compotes consilii dimitto: ut ne
res temere tractent turbidas. Est enim sine dubio do-
mus iuris consulti totius oraculum civitatis. Testis
est huiusce · Q · mutii ianua et vestibulum: quod in
eius infirmissima valetudine affectaque iam etate ma-
xime quotidie frequentia civium ac summorum hominum
splendore celebratur: Iam vero illa non longam orationem
desiderant quamobrem existimem publica quoque iura que sunt
propria civitatis atque imperii tum monumenta rerum
gestarum: et vetustatis exempla oratori nota esse de-
bere: Nam ut in rerum privatarum causis atque
iudiciis depromenda sepe oratio est ex iure civili
: et idcirco ut ante diximus oratori iuris civilis scientia
necessaria est: sic in causis publicis: iudiciorum contionum
senatus: omnis hec et antiquitatis memoria et publi-
ci iuris autoritas et regende rei publice ratio et sci-
entia tamquam aliqua materies his oratoribus qui ver-
santur in re publica subiecta esse debent: Non enim causidicum

Nescio quem neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone
nostro consequimur sed eum virum qui primus sit eius artis an
tistes cuius cum ipsa natura magnam homini facul
tatem daret: tamen esse deus putatur ut ipsum quod
est hominis proprium non factum per nos sed divinitus ad nos
perlatum videretur. Deinde qui possit non tam cadu
ceo quam nomine oratoris ornatus incolumis: vel inter hos
tium tela versari: Tum qui scelus fraudemque nocentis
possit dicendo subicere odio civium: suppliciumque constringere
Idemque ingenii presidio innocentiam poena liberare:
Idemque labentem languentemque populum aut ad decus
excitare aut ab errore deducere aut inflammare in impro
bos: aut incitatum in bonos mitigare. Qui denique quem
cumque in animis hominum motum res et causa postulant eum
dicendo vel excitare possit vel sedare: hanc vim si quis
existimat: aut ab his qui de dicendi ratione scripserunt
expositam esse: aut a me posse exponi tam brevi: ve
hementer errat: neque solum inscitiam meam: sed ne rerum
quidem magnitudinem perspicit: Equidem vobis quoni
am ita voluistis fontes unde hauriretis: atque itinera
ipsa ita putavi esse demonstranda: non ut ipse dux esse
quod et infinitum est et non necessarium sed ut commonstra
rem tantum viam: et ut fieri solet digitum ad fontes
intenderem. Mihi vero inquit mucius satis superque
abs te videtur istorum studiis si modo sunt studiosi esse
factum. Nam ut socratem illum solitum aiunt dicere:
perfectum sibi opus esse si quis satis esset concitatus
cohortatione sua ad studium cognoscende percipiende
que veritatis: Quibus enim id persuasum esset: ut
nichil mallent se esse quam bonos viros: his reliquam
facilem esse doctrinam. Sic ego intelligo: si in hec que
patefecit oratione sua crassus intrare volueritis: fa
cillime vos ad ea que cupitis perventuros ab hoc au
ditu ianuaque patefacta. Nobis vero inquit sulpicius
ista sunt pergrata perque iocunda. Sed pauca etiam
requirimus In primisque ea que valde breviter a te crasse
de ipsa arte percussa sunt: cum illa te et non contempnere
et didicisse confiteare ea si paulo latius dixeris exple
bis omnem expectationem diuturni desiderii: Nam nunc
quibus studendum rebus esset accepimus: quod ipsum est
tamen magnum: Sed vias earum rerum rationemque

Cupimus cognoscere. Quid si inquit Crassus quoniam
ego quo facilius vos apud me tenerem vestre potius
obsecutus sum voluntati: quam aut consuetudini aut
nature mee: petimus ab Antonio: ut ea que conti-
net: neque adhuc protulit: ex quibus unum libellum
sibi excidisse iam dudum questus est explicet nobis
et illa dicendi misteria enunciet. Ut videtur inquit
Sulpicius. Nam Antonio etiam dicente etiam quod
tu intelligas sentiemus. Peto igitur inquit Crassus a te
quoniam id nobis Antoni hominibus id etatis oneris ab
horum adolescentium studiis imponitur ut exponas
quid tu de rebus quas a te queri vides sentias. Deprehen-
sum me inquit Antonius plane video atque sentio: non
solum quod ea requiruntur a me quorum sum ignarus
atque insolens sed quia quod in causis valde fugere soleo
ne tibi Crasse succedam: id me nunc isti vitare non si-
nunt. Verum ego ingrediar ad ea que vultis audacius:
quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputa-
tione quod in dicendo solet: ut nulla expectetur ornata
oratio. Neque enim sum de arte dicturus: quam nunquam
didici: sed de mea consuetudine. Ipsaque illa que in comme-
tarium meum retuli sunt eiusmodi: non aliqua mihi
doctrina tradita: sed in rerum usu causisque tractata: que
si vobis hominibus eruditissimis non probabuntur: vestram
iniquitatem accusato: qui ex me ea quesiveritis que
ego nescirem meam facultatem laudatote cum vobis non meo
iudicio: sed vestro studio inductus non gravate respon-
dero. Tum Crassus inquit perge modo Antoni. Nullum est
enim periculum ne quid tu eloquare: nisi ita prudenter
ut neminem nostrum peniteat ad hunc te sermonem impulis-
se. Ego vero inquit pergam: et id faciam quod in prin-
cipio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut quid
illud sit de quo disputetur explanetur: ne vagari et
errare cogatur oratio: si ii qui inter se dissenserint:
non idem esse illud de quo agitur intelligent. Nam si for-
te quereretur que esset ars imperatoris constituendam
putarem: principio quis esset imperator: qui cum esset
constitutus administrator belli gerendi: tum adiunxe-
rimus de exercitu de castris: de agminibus: de signorum
collationibus: de oppidorum oppugnationibus: de com-
meatu: de insidiis faciendis atque vitandis: de reliquis

R

Rebus: que essent proprie belli administrandi quarum qui
essent animo et sciencia compotes: eos esse imperatores dicerem
uterer que exemplis affricanorum et maximorum: epa
minundam: hanibalem: atque eius generis homines
nominarem: Sin autem quereremus quis esset is qui ad
rem publicam moderandam usum et scienciam et studium suum contu
lisset: diffinirem hoc modo qui quibus rebus utilitas rei publice
pararetur: augeretur: teneret: hisque uteretur: hunc rei
publice rectorem et consilii publici auctorem esse habendum
Predicaremque publium lentulum principem illum et tiberium
gracchum patrem et Q. metellum et P. affricanum: et C. le
lium: et innumerabiles alios: tum ex nostra civitate: tum
ex ceteris: Sin autem quereretur quisnam iuris consul
tus vere nominaretur: eum dicerem qui legum consue
tudinis eius: qua privati in civitate uterentur et ad res
pondendum et ad agendum et ad cavendum peritus
esset: Et eo genere. Sex. elium. M. manilium. P. mutium
nominarem. Atque ut iam ad leviora artium studia veni
am: si musicus si gramaticus: si poeta queratur possim
similiter explicare: quid eorum quisque profiteatur: et quo
non amplius a quoque sit postulandum: Philozophi
denique ipsius: qui de sua vi ac sapientia unus omnia pe
ne profitetur: est tamen quedam descriptio: ut is qui stu
deat omnium rerum divinarum atque humanarum vim: na
turam causasque nosse: et omnem bene vivendi rationem
tenere et persequi: nomine hoc appelletur: Oratorem
autem quoniam de eo querimus equidem non facio eundem
quem crassus: qui michi visus est omnem ~~tenere et per-~~
sequi omnium rerum: atque artium scienciam comprehendere: uno
oratoris officio ac nomine: atque eum puto esse: qui et
verbis ad audiendum iocundis et sentenciis ad probandum
accomodatis uti possit in causis forensibus atque communibus:
hunc ego appello oratorem: eumque esse preterea instruc
tum voce et accione et lepore quodam volo. Crassus
vero michi noster visus est oratoris facultatem non illius
artis terminis sed ingenii sui finibus immensis pene
describere: Nam et civitatum regendarum oratori facultate
gubernacula sentencia sua tradidit in quo permirum mi
chi est sceuola te hoc illi concedere: cum sepissime tibi sena
tus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus
assensus Marcus vero scaurus: quem non longe ruri
apud se esse audio vir regende rei publice scientissimus si audierit

Hanc autem autoritatem gravitatis et consilii sui vindicari a te
crasse: quod eam oratoris propriam esse dicis: iam
credo sicut veniat et hanc loquacitatem nostram vultu
ipso aspectuque conterreat. Cum quam quam est induendum mi-
nime contempnendum: prudentia tamen rerum magnarum
magis: quam dicendi arte nititur. Neque vero si quis v-
trumque pot aut ille consilii p. autor ac senator bonus
ob eam ipsam causam orator est aut hic disertus aut
eloquens si est idem in procuratione civitatis egregius
aliqua scientia dicendi copiam est consecutus. Multum
inter se distant iste facultates longeque sunt diverse
atque seiuncte neque eadem ratione ac via. M. cato. p.
afrikanus. Q. metellus. C. lelius qui omnes eloquentes
fuerunt orationem suam et rei p. dignitatem exor-
nabant. Neque enim est interdictum aut a natura rerum
aut a lege aliqua atque more ut singulis hominibus ne
amplius quam singulas artes nosse liceat. Quare non
et si sit eloquentissimus athenis pericles: idemque in ea
civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit:
id circo eiusdem hominis atque artis utraque facultas exis-
timanda est. Nec si publius crassus idem fuit eloquens
et iuris peritus: ob eam tamen inest in facultate dicen-
di iuris civilis scientia nam si quisque ut in aliqua ar-
te et facultate excellens: aliam quoque artem sibi assu-
serit: is perficiet: ut quod preterea sciet id eius in quo
excellat pars quedam esse videatur: licet ista ratione
dicamus pila bene et duodecim scriptis ludere proprium
esse iuris civilis: quoniam utrumque eorum. P. mucius
optime fecerit: Eademque ratione dicantur et quos
physicos greci vocant: idem poete: quoniam empedocles
physicus egregium poema fecerit: At hoc ne philozophi
quidem ipsi qui omnia sicut propria sua esse atque a se possideri
volunt dicere audent geometriam aut musicam philo-
zophi esse quia platonem omnes in illis artibus presta-
tissimum fuisse profiteantur: At si iam placet omnes ar-
tes oratori subiungere tolerabilius est hoc sit potius
dicere: ut quoniam dicendi facultas non debet esse ieiu-
na atque nuda sed aspersa atque distincta multarum rerum
iocunda quadam varietate: sit boni oratoris multa au-
ribus accepisse: multa audisse: multa animo et cogita-
tione: multa etiam legendo percurrisse: neque ea ut sua

Possedisse: sed ut aliena libasse. fateor enim callidum quendam
quendam hunc et nulla in re tyronem ac rudem: nec
peregrinum ac hospitem in agendo esse debere: Neque vero
istis tragediis tuis: quibus uti philozophi maxime
solent crasse perturbor: quod ita dixisti neminem
posse eorum mentes qui audiret aut inflamare dicen-
do aut inflammatas restinguere: cum eo maxime uis
oratoris magnitudo cernatur: nisi qui rerum omnium
naturam mores hominum atque rationes penitus perspexe-
rit. In quo philosophia sit oratori necessario percipienda: quo
in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorum-
que totas etates videmus esse contritas: Quorum
ergo copiam magnitudinemque cognitionis atque artis
non modo non contempno sed etiam vehementer ad-
miror: Nobis tamen qui in hoc populo foroque ver-
samur: satis est de moribus hominum et scire et dicere
que non abhorrent ab hominum moribus: Quis enim
umquam orator magnus et gravis: cum iratum adversa-
rio iudicem facere vellet: hesitavit ob eam causam: quod
nesciret quid esset iracundia fervor ne mentis an cupidi-
tas puniendi doloris? Quis enim ceteros ~~animos~~ alios
motus aut iudicibus aut populo dicendo miscere atque
agitare vellet: ea dixit que a philosophis dici solent qui par-
tim omnino motus negant in animis ullos esse debere:
Qui cum eos in iudicum concitent mentibus: scelus eos
nepharium facere: partim qui tolerabiliores volunt esse
et veritatem vite propius attendere: per mediocres ac po-
tius leves motus dicunt: Orator autem omnia hec que
putantur in communi vite consuetudine mala ac mo-
lesta et fugienda multa maiora et acerbiora verbis
facit. Item ea que vulgo expetenda atque optabilia vi-
dentur dicendo amplificat atque ornat: neque vult ita
sapiens inter stultos videri: uti qui audiant aut illum
ineptum aut grecululum putent: aut etiam si valde
probent ingenium oratoris: sapientiam animi mirentur
sed esse stultos moleste ferant: Sed ita peragrat per animos
hominum: ita sensus hominum mentesque pertractat: ut non
desideret philosophorum descriptiones: neque exquirat oratione
summum illud bonum in animo ut sit an in corpore: virtute
an voluptate definiatur: an hec inter se iungi copula-
rique possint: an vero ut quibusdam visum est nihil

Certum sit: Nihil plane cognosci et percipi possit: Ego
verum fateor magnam multiplicemque esse disciplina
et multas copiosas variasque rationes: Sed aliud quod-
dam longe aliud crasse querimus. Acuto homine nobis
opus esse et natura usuque callido qui sagaciter per-
vestiget quid sui cives et iique homines: quibus aliquid
dicendo persuadere velit: cogitent sentiant: opi-
nentur: expectent: Teneat oportet venas cuiusque
generis: etatis: ordinis: et eorum apud quos aliquid a-
get: aut erit acturus mentes sensusque degustet: Phi-
losophorum autem libros reservet sibi ad huiuscemodi
tusculani requiem atque otium: Ne si quando ei dicendum
erit de iustitia et fide: mutuetur a platone: qui cum
hec exprimenda verbis arbitraretur: novam quandam
finxit in libris civitatem: usque eo illa: que dicenda de
iustitia putabat a vite consuetudine et a civitatum
moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis
atque in civitatibus: quis tibi crasse concessisset clarissimo
viro et amplissimo principi civitatis: ut diceres illa in
maxima contione tuorum civium: que dixisti: Eripite
nos ex miseriis: eripite ex faucibus eorum quorum crude-
litas nostro sanguine non potest expleri: nolite sinere
nos cuiquam servire: nisi vobis universis quibus et possu-
mus et debemus. Omitto miserias: in quibus ut illi
aiunt vir fortis esse non potest: omitto fauces: ex quibus te
eripi vis ne iudicio iniquo exorbeatur sanguis tuus quod
sapienti negant accidere posse: Servire vero non mo-
do te sed universum senatum cuius tum causas agebas au-
sus es dicere: Potest ne virtus crasse servire istis au-
ctoribus: quorum tu precepta oratoris facultate com-
plecteris: que et semper et sola libera est: queque etiam
si corpora capta sint armis aut constricta vinculis tamen
suum ius atque omnium rerum impunitam libertatem tenere
debeat. Que vero addidisti non modo senatum servire
posse populo sed etiam debere: quis hoc philosophus tam
mollis tam languidus: tam enervatus: tam omnia
ad voluptatem corporis doloremque referens probare
posset senatum servire populo: cui populus ipse modera-
di et regendi sui potestatem quasi quasdam habenas
tradidisset. Itaque hec cum a te divinitus ego dicta ar-
bitrarer: P. rutilius rufus homo doctus et philo-

Decius non parum commode: sed etiam turpiter et fla
gitiose dicta esse dicebat. Idem. Q. servium galbam: que
hominem probe et meminisse se aiebat pergraviter rep
rehendere solebat: quod is L. scribonio questionem in eum
ferente populi misericordiam concitasset. cum M. cato
galbe gravius atque acer inimicus aspere apud populum
romanum et vehementer esset locutus qua oratione in ori
ginibus suis exposuit. Reprehendebat igitur galbam
rutilius quod is C. sulpicii galli propinqui sui. Q. pu
pillum filium ipse pene in humeros suos extulisset: qui
patris clarissimi recordatione et memoria fletum popu
lo moveret: et duos filios suos parvos tutele ipsius com
mendasset: at se tamquam in procinctu testamentum faceret
sine libra atque tabulis populo romano tutore isti tuere dixisset il
lorum orbitati. Itaque cum et invidia et odio ipsius cum gal
ba premeret hisque eum tragediis liberatum ferebat:
Quod item apud catonem scriptum esse video: nisi pueris
et lacrimis usus esset: penas eum daturum fuisse: hec
rutilius valde vituperabat: et huic humilitati dice
bat vel exilium fuisse vel mortem ponendam. Neque
vero hoc solum dixit: sed ipse et sensit et fecit. Nam
cum esset ille vir exemplum ut scitis innocentie:
cum illo nemo neque integrior esset in civitate neque sanc
tior non modo supplex iudicibus esse noluit: sed ne orna
tius quidem aut liberius causam dici suam quam simplex
oratio veritatis ferebat. Paulum huic cotte tribuit
partium disertissimo adolescenti sororis sue filio. Dix
it item causam illam quadam ex parte. Q. mutius
more suo nullo apparatu pure et dilucide. Quod si
tu tunc crasse dixisses. qui subsidium oratori ex illis
disputationibus quibus philosophi utuntur ad dicendi copiam
petendum esse paulo ante dicebas: et sibi si tibi pro.
P. rutilio non philosophorum more: sed tuo licuisset dicere:
quamvis scelerati illi fuisset: sicuti fuerunt pestiferi cives
suppliciosque digni: tamen omnem eorum importunita
tem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tue:
Nunc talis vir amissus est dum causa ita dicitur: ut
si in illa commenticia platonis civitate res ageretur:
nemo ingemuit nemo inclamavit patronorum: nihil
cuique doluit: nemo est questus: nemo rem publicam implorav
it: nemo supplicavit: Quid multa? pedem nemo in illo

Iudicio supplosit. Credo ne stoicis renuntiaretur: imita-
tus est homo romanus et consularis veterem illum
socratem: qui cum omnium sapientissimus esset: sanc-
tissimeque vixit: ita in iudicio capitis pro se ipse dixit:
ut non supplex aut reus sed magister aut dominus vide-
tur esse iudicum: Quin etiam cum et scripta orato(rem)
disertissimus orator. Lisias attulisset: quam si ei vide-
retur edisceret: ut ea pro se in iudicio uteretur: non
invitus legit et commode scriptam esse dixit: sed inquit
: ut si michi calceos sicyonios attulisses non uterer: quam-
vis essent habiles et apti ad pedem: quia non essent
viriles sic illam orationem disertam sibi et oratoria
videri fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque
damnatus est: neque solum primis sententiis quibus tantum
statuebant iudices damnarent an absolverent: sed
etiam illis quas iterum legibus ferre debebant: Erat
enim athenis reo damnato si fraus capitalis non esset
quasi pena ea existimatio et sententia cum iudicibus
daretur: interrogabatur reus qua quasi estimationem
commeruisse se maxime confiteretur: quod cum inter-
rogatus socrates esset respondit se meruisse: ut amplis-
simis honoribus et premiis decoraret et quod honos apud
grecos maximus haberetur: cuius responso sic iudices
exarserunt: ut capitis innocentissimum hominem condenaret
Qui quidem si absolutus esset: quod me hercule etiam
si nichil ad nos pertinet: tamen propter eius ingenii magni-
tudinem vellem: quo nam modo istos philosophos ferre possemus:
qui nunc cum ille damnatus est: nullam aliam ob cul-
pam nisi propter dicendi inscitiam: tamen a se oportere
dicunt peti precepta dicendi Quibus cum ego non
pugno: utrum sit melius aut verius: tantum dico:
et aliud illud esse atque hoc: et hoc sine illo summum
esse posse: Nam quod ius civile crasse tam vehementer
amplexus es: video quid egeris: tunc cum dicebas vide-
bam. Primum sceuole te dedisti: quem omnes amare
meritissimo pro eius eximia suavitate debemus
cuius artem cum indotatam esse atque incognita et in-
comptam videres: verborum eam dote locupletasti
et ornasti: Deinde quod in ea tu plus opere laborisque
consumpseras cum eius studii tibi et hortator et magister
esset domi: veritus es nisi istam artem oratione exaggerasses

// et ut ei victus quotidianus in prutaneo publice preberetur //

Ne operam perdidisses: Sed ego ne cum ista quidem ar-
te pugno: sit sane tanta quantam tu illam esse vis:
Et enim sine controversia et magna est et late patet:
et ad multos pertinet: et summo in honore semper fuit:
et clarissimi cives ei studio et hodie presunt: Sed vide cras-
se ne dum novo et alieno ornatu velis ornare iuris civi-
lis scientiam: suo quoque eam concesso et tradito spolies
atque denudes: Nam si ita diceres qui iuris consultus
esset et esse eum oratorem: Itemque qui esset orator iuris
civilis eundem esse consultum preclaras duas artis con-
stitueres atque inter se pares et huiusmodi socias dig-
nitatis. Nunc vero iuris consultum sine hac eloquentia
de qua querimus fateris esse posse: fuisseque plurimos:
~~Ita et tibi~~ oratore negas nisi illam scientiam assumpse-
rit esse posse: fuisseque plurimos: Ita et tibi iuris con-
sultus ipse per se nichil: nisi leguleius quidam cautus
et acutus preco actionum: cantor formularum: auceps
sillabarum: Sed quia sepe utitur orator subsidio iuris
in causis idcirco istam iuris scientiam eloquentie tamque ancil-
lulam pedissequamque adiunxisti: Quod vero impuden-
tiam admiratus es eorum patronorum: qui aut cum
parva nescirent magna profiterentur: aut ea que maxi-
ma essent in iure civili tractare auderent in causis
cum ea nescirent: numquamque didicissent utriusque rei fa-
cilis est et prompta defensio: nam neque illud est mi-
randum qui quibus verbis coemptio fiat nesciat:
eundem eius mulieris que coemptionem fecerit causam
posse defendere: Nam et si parvi et magni navigii
eadem est in gubernando scientia idcirco quibus verbis erc-
tum cieri oporteat nesciat idem herciscunde familie
causam agere possit: Nam quod maximas centum-
virales causas in iure positas protulisti: que tandem
earum causa fuit: que ab homine eloquenti iuris
imperito non ornatissime potuerit dici. Quibus quidem
in causis omnibus sicut in ipsa: marci curii que abs te
nuper est dicta: ut in · T · Lucilii mancini controversia
atque in eo puero qui ex altera natus erat uxore non
remisso nuntio superiori: fuit inter peritissimos
homines summa de iure dissensio Quero igitur quid
adiuverit oratorem in his causis iuris scientia cum hic
iuris consultus superior fuerit discessurus: qui esset non



Quo artificio sed alieno: hoc est non iuris scientia: sed elo
quentia sustentatus: Equidem hoc sepe audivi edili
tatem P. crassus peteret: eumque maior natu etiam
consularis servius galba assentaretur: quod crassi filiam
C. filio suo despondisset: accessisse ad crassum consu
lendi causa quendam rusticanum: qui cum crassum se
duxisset atque ad eum retulisset responsumque ab eo ve
rum magis quam ad suam rem accommodatum abstulisset:
ut eum tristem galba vidit nomine appellavit: quesi
vitque qua de re ad crassum retulisset ex quo ut audivit
commotumque ut vidit hominem: suspenso inquit animo
et occupato crassum tibi respondisse video: Deinde ipsum
crassum manu prehendit et heus tu inquit: quid
tibi in mentem venit ita respondere: Tum ille cras
sus fidenter homo peritissimus confirmare ita se rem
habere ut respondisset nec dubium esse posse Galba
autem alludens varie et copiose multas similitudi
nes afferre: multaque pro equitate contra ius dicere
Atque illum cum disserendo par esse non posset: quamquam
fuerit crassus in numero disertorum: sed par galbe
nullo modo ad auctores confugisse: et id quod ipse diceret
et in P. mutii fratris sui libris: et in sexti elii commentariis
scriptum protulisse: Ac tamen concessisse galbe disputa
tionem sibi probabilem et prope veram videri. Attamen
que cause sunt eiusmodi ut de earum iure dubium esse
non possit: omnino in iudicium vocari non solent. Num quis
eo testamento quod paterfamilias ante fecit quam ei filius
natus esset: hereditatem petit nemo: quia constat ag
noscendo rumpi testamentum: Ergo in hoc genere
iuris iudicia nulla sunt: licet igitur impune oratori
omnem hanc partem iuris in controversiis ignorare:
que pars sine dubio multo maxima est: In eo autem
iure quod ambigitur inter peritissimos non esse diffi
cile oratori eius partis quamcumque defendat auctorem ali
quem invenire: a quo cum amentatas hastas acceperit:
ipse eas oratoris lateritis lateritis viribusque torquebit:
nisi vero bona venia huius optimi viri dixerim sceuo
le tu libellis aut preceptis soceri tui causam M. curii
defendisti: nonne arripuisti patrocinium equitatis et
defensionem testamentorum ac voluntatis mortuorum: Ac
mea quidem sententia: frequens enim te audivi atque

Affuit: multo maiorem partem sententiarum sale tuo et lepore
et politissimis facetiis pellexisti: tum et illud nimium acu-
men illuderes et admirarere ingenium Sceuole: quod ex-
cogitasset nasci prius oportere quam emori: tumque multa colli-
geres et ex legibus et ex senatus consultis et ex vita ac
sermone communi non modo acute: sed etiam ridicule ac
facete: ubi si verba non rem sequeremur confici nichil
posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac leticie fuit: in
quo quid tibi iuris ciuilis exercitacio profuerit non intel-
ligo: dicendi vis egregia summa festiuitate ac venusta-
te coniuncta profuit. Ipse ille Mutius paterni iuris defensor
et quasi patrimonii propugnator sui quid in illa causa cum
contra te diceret attulit: quod de iure ciuili depromptum
videretur: quam legem recitauit: quid patefecit dicendo
quod fuisset imperitis occultius: nempe omnis eius oratio
versata est in eo: ut scriptum plurimum valere oportere de-
fendere: At in hoc genere pueri apud magistros exer-
centur omnes cum in eiusmodi causis alias scriptum: alias
equitatem defendere docentur: Et credo in illa militis
causa si tu aut heredem: aut militem defendisses ad Hosti-
lianas te actiones non ad tuam vim et oratoriam facultatem
contulisses. Tu vero vel si testamentum defenderes. sic a-
geres: ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum
videretur: vel si causam ageres militis: patrem eius ut so-
les dicendo a mortuis excitasses: statuisses ante oculos:
complexus esset filium flensque cum centumuiris commendasset:
lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegisses: ut
totum illud uti lingwa nuncupasset non in .xii. tabulis: quas
tu omnibus bibliothecis antepones sed in magistri carmine scriptum
videretur: Nam quod inertiam accusas adolescentum: qui
istam artem primum facillimam non ediscant: que quam sit fa-
cilis illi viderint: qui eius artis arrogantiam quasi difficil-
lima sit ita subnixi ambulant: Deinde etiam tu ipse vi-
deris qui eam artem facilem esse dicis quam concedis ad-
huc artem omnino non esse: sed aliquando si quis aliam
artem didicerit: ut hanc artem efficere possit: tum esse
illam artem futuram. Deinde quod sit plena delectationis:
in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem: et ea se ca-
rere patiuntur: nec quisquam est eorum: qui si iam sit edis-
cendum ei aliquid: non Teucrum Pacuuii malit: quam Manilia-
nas venalium vendendorum leges ediscere: Tu autem

Quod amore patrie censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere: non vides veteres leges: aut ipsa sua vetustate consenuisse aut novis legibus esse sublatas: Quod vero viros bonos iure civili fieri putas: quia legibus et premia proposita sint virtutibus et supplicia viciis: equidem putabam virtutem hominibus si modo tradi ratione possit instituendo et persuadendo non minis et vi ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud etiam sine cognitione iuris quam sit bellum cavere malum scire possumus. De me autem ipso cui uni tu concedis ut sine ulla iuris sciencia: tamen causis satisfacere possim: tibi hoc crasse respondeo neque me umquam ius civile didicisse: neque tamen in hiis causis quas in iure possim defendere umquam istam scienciam desiderasse. Aliud est enim esse artificem cuius generis atque artis aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem nec rude: cui nostrum non licet fundos nostros obire aut res rusticas vel fructus causa vel delectationis invisere Tamen nemo tam sine oculis: tam sine mente vivit: ut quid sit sementis ac messis quid arborum putacio ac vitium: quo tempore anni aut quo fiant ea omnino nesciat: Num igitur si cui fundus inspiciendus: aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura aut imperandum villico sit: magonis carthaginensis sunt libri perdiscendi: an hac communi intelligencia contenti esse possumus: Cur ego non idem in iure civili presertim cum in causis et in negotiis et in foro conteramur satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat nec in nostra patria peregrini atque advene esse videamur: Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior: difficile credo sit cum hoc scevola communicare: quamquam ipsi omnia quorum negotium est consulta ad nos et exquisita deferunt: An vero si de re ipsa: si de finibus cum in rem presentem non venimus: si de tabulis et prescriptionibus controversia est: contortas res et sepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt: veremur ne ea si ab adolescencia iuri civili minus studuerimus non queamus cognoscere: Nichil ne igitur prodesse oratori iuris civilis sciencia: Non possum negare prodesse ullam scienciam ei presertim cuius eloquencia copia rerum debeat esse ornata: Sed multa et magna et difficilia sunt ea que sunt oratori necessaria. Ut eius industriam

Nr plura studia distrahere nolim · Quis neget opus esse
oratori in hoc oratorio motu statuque rostii gestu et ve
nustate tamen nemo swaserit studiosis dicendi adulescen
tibus in gestu discendo histrionum more elaborare · Quid
est oratori tam necessarium quam vox · tamen me auctore ne
mo dicendi studiosus grecorum more et tragedorum voci
serviet · Qui et annos quam plures sedendo declamitant · et
quotidie antea quam pronunctient vocem cubantes sensim ex
citant · eandemque cum egerunt sedentes ab acutissimo sono
usque ad gravissimum sonum recipiunt · et quasi quodammodo
colligunt · hoc nos si facere velimus ante condemnentur
hi quorum causas recipemus quam totiens quotiens prescribi
peanem aut munionem citarimus · Quod si in gestu qui
multum oratorem adiuvat et in voce · que una · maxi
me eloquentiam vel commendat vel sustinet · elaborare
nobis non licet ac tantum in utroque assequi possumus · quan
tum in hac acie quotidiana mutuaris spatii nobis datur
quanto minus est ad iuris civilis perdiscendi occupationem
descendendum · Quod et summatim percipi sine doctrina
potest · et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem · quod
vox et gestus subito sumi · et aliunde arripi non potest · iuris uti
litas ad quamque causam · quamvis repente vel a peritis vel
de libris depromi potest · Itaque illi disertissimi homines
ministros habent in causis iuris peritos cum ipsi sint peritis
simi et qui ut abs te paulo ante dictum est pragmatici
vocantur · in quo nostri omnino melius multo quod clarissimorum
hominum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt · Sed
tamen non fugisset hoc grecos homines · si ita necesse esse ar
bitrati essent oratorem ipsum erudire iure civili · non ei
pragmaticum adiutorem dare · Nam quod dicis senec
tutem a solitudine vindicari iuris civilis scientia · fortasse
etiam pecunie magnitudine · Sed nos non quid nobis uti
le · verum quod oratori necessarium sit querimus quamquam
quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifi
ce summimus solet idem roscius dicere se quo plus
sibi etatis accederet · eo tardius tibicinis modos et cantus
remissiores esse facturum · Quod si ille adstrictus certa
quadam numerorum moderatione et pedum · tamen
aliquid ad requiem senectutis excogitat · quanto faci
lius nos non laxare modos · sed totos mutare possumus
Neque enim hoc te crasse fallit · quam multa sint et qua



Varia genera dicendi: et quod haud sciam an tu primus osten-
deris: qui iam diu dicis remissius et lenius: quam solebas: neque
minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas quam illa
summa vis et contentio probatur multique oratores fuerunt.
ut illum scipionem audivimus et lelium: qui omnia
sermone conficerent paulo intentiore: numquam ut servius
galba lateribus aut clamore contenderent. Quod si hoc
facere non poteris aut noles vereris ne tua domus
talis et viri et civis si a litigiosis hominibus non colatur:
a ceteris ~~deseratur~~ deseratur: Ego vero tantum absum
ab ista sententia: ut non modo non arbitrer subsidium se-
nectutis in eorum qui consultum veniant multitudine
esse ponendum: sed tamquam portum aliquem exspectem is-
tam quam tu times solitudinem. Subsidium enim bellissimum
existimo esse senectuti ocium. Reliqua vero etiam si adiu-
vant historiam dico et prudentiam iuris publici et anti-
quitatis iter et exemplorum copiam. Si quando opus erit
a viro optimo et istis rebus instructissimo familiari meo
longe mutuabor. neque repugnabo quo minus id quod
modo hortatus es: omnia legant: omnia audiant: in
omni recto studio atque humanitate versentur: Sed
me hercule non ita multum spatii michi habere vi-
dentur: si modo ea facere et persequi volent: que a te
crasse precepta sunt: qui michi iam nimis prope duras
leges imponere visus es huic etati: sed tamen ad id
quod cupiunt adipiscendum prope necessarias: Nam et
subite ad propositas causas exercitationes: et accurate ac
meditate commendationes ac stilus ille tuus: quem tu
vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum multi
sudoris est: et illa orationis tue cum scriptis alienis
comparatio: et de alieno scripto subita vel laudandi vel
vituperandi vel comprobandi vel refellendi causa dispu-
tatio non mediocris contentionis est: vel ad memoriam
vel ad imitandum. Illud vero fuit horribile quod me
hercule vereor ne maiorem vim ad deterrendum ha-
buerit quam ad cohortandum: voluisti enim in suo genere
unumquemque nostrum quasi quendam esse roscium. dixistique
non tam ea que recta essent probari: quam que prava
sint fastidiis adherescere: Quod ego non tam fasti-
diose in nobis quam in histrionibus spectari puto: Itaque
nos raucos sepe attentissime audiri video. tenet enim res

Ipsa atque tanta: ac esopum si paulum irrauerit explodi: a
quibus enim nichil preter voluptatem aurium queritur
in hiis offenditur simul atque imminuitur aliquid de vo-
luptate. In eloquentia autem multa sunt que teneant
que si omnia summa non sunt et pleraque tamen magna
sunt: necesse est ea ipsa que sunt mirabilia videri. Er-
go ut ad primum illud revertar: sit orator nobis is qui ut cras-
sus descripsit accomodate ad persuadendum possit dicere.
Is autem concludatur in ea: que sunt in usu civitatum
vulgari ac forensi: remotisque ceteris studiis quamvis ea sint
ampla atque preclara: in hoc uno opere ut ita dicam
noctes et dies urgeantur: imitenturque illum: cui sine
dubio summa vis dicendi conceditur: atheniensem de-
mosthenem: in quo tantum studium fuisse tantusque
labor dicitur: ut primum impedimenta nature diligentia
industriaque superasset: Cumque ita balbus esset ut eius
ipsius artis: cui studeret primam litteram non posset dicere: per-
fecit meditando: ut nemo planius esse locutus putaretur.
Deinde cum spiritus eius esset angustior tantum continenda
anima in dicendo est assecutus: ut una continuatione
verborum id quod eius scripta declarant binas ei conten-
tiones vocis et remissiones continerentur qui etiam ut
memorie proditum est coniectis in os calculis summa vo-
ce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat.
Neque is consistens loco: sed inambulans atque ascensu in-
grediens arduo: Huic ego cohortationibus crasse ad stu-
dium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer as-
sentior Cetera que collegisti ex variis et diversis stu-
diis et artibus: tam etsi ipse ea omnino consecutus: tamen
ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror
Hec cum antonius dixisset sane dubitare visus est et
sulpitius et cotta utrius oratio propius ad veritatem vide-
retur accedere Tum crassus operarium nobis quendam
antoni oratorem facis. Atque haud scio an aliter sen-
tias et utare tua illa mirifica ad refellendum con-
suetudine: qua tibi nemo umquam prestitit: Cuius quidem
ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est: sed iam
in philosophorum consuetudine versatur: maximeque eorum qui de
omni re proposita: in utramque partem solent copiosissime
dicere Verum ego non solum arbitrabar his presertim
audientibus a me informari oportere qualis esse posset



Varia genera dicendi: et quod haud sciam an tu primus osten-
deris: qui iam diu dicis remissius et lenius quam solebas: neque
minus hec tamen tua gravissimi sermonis lenitas quam illa
summa vis et contentio probatur. multique oratores fuerunt.
ut illum Scipionem audivimus et Lelium: qui omnia
sermone conficeret paulo intentiore: numquam ut Sergius
Galba lateribus aut clamore contenderent. Quod si hoc
facere non poteris aut noles vereris ne tua domus
talis et viri et civis si a litigiosis hominibus non colatur:
a ceteris ~~desolatur~~ deseratur: Ego idem tantum absum
ab ista sententia: ut non modo non arbitrer subsidium se-
nectutis in eorum qui consultum veniant multitudine
esse ponendum: sed tamquam portum aliquem exspectem is-
tam quam tu times solitudinem. Subsidium enim bellissimum
existimo esse senectuti otium. Reliqua vero etiam si adiu-
vant historiam dico et prudentiam iuris publici et anti-
quitatis iter et exemplorum copiam. Si quando opus erit
a viro optimo de istis rebus instructissimo familiari meo
longe mutuabor. neque repugnabo quominus id quod
modo hortatus es: omnia legant: omnia audiant: in
omni recto studio atque humanitate versentur. Sed
me hercule non ita multum spatii michi habere vi-
dentur: si modo ea facere et persequi volent: que a te
crasse precepta sunt: que michi iam nimis prope duras
leges imponere visus es huic etati: sed tamen ad id
quod cupiunt adipiscendum prope necessarias. Nam et
subite ad propositas causas exercitationes: et accurate ac
meditate commendationes ac stilus ille tuus: quem tu
vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum multi
sudoris est: et illa orationis tue cum scriptis alienis
comparatio: et de alieno scripto subita vel laudandi vel
vituperandi vel comprobandi vel refellendi causa dispu-
tatio non mediocris contentionis est: vel ad memoriam
vel ad imitandum. Illud vero sunt horribile quod me
hercule vereor ne maiorem vim ad deterrendum ha-
buerit quam ad cohortandum: voluisti enim in suo genere
unumquemque nostrum quendam esse Roscium. dixistique
non tam ea que recta essent probari: quam que prava
sint fastidiis adherescere: Quod ego non tam fasti-
diose in nobis quam in histrionibus spectari puto: Itaque
nos raucos sepe attentissime audiri video: tenet enim res

Nos tum consobrinis nostris aculeonis filiis et ea disceremus que
crasso placeret: et ab his doctoribus quibus ille uteretur
erudiremur: etiam illud sepe intelleximus tum essemus
eiusmodi: quod uel pueri sentire poteramus: illum et grece
sic loqui nullam ut nosse aliam lingwam videretur
et doctoribus nostris ea ponere in percontando eaque ipse omni
sermone tractare: ut nichil esse ei nouum: nichil in au-
ditum videretur. De antonio vero quamquam sepe ex humanis-
simo homine patruo nostro acceperamus: quemadmodum
ille uel athenis uel rhodi se doctissimorum hominum sermonibus
dedidisset: tamen ipse adolescentulus quantum illius ineuntis
etatis mee patiebatur pudor: multa ex eo sepe quesiui:
non erit profecto tibi quod scribo hoc nouum: nam iam tum
ex me audiebas: michi illum ex multis variisque sermonibus
nullius rei que quidem esset in his artibus: de quibus aliquid
existimare possem rudem aut ignarum esse visum: Sed
fuit hoc in utroque eorum ut crassus non tam existimari
vellet non didicisse: quam illa despicere et nostrorum hominum
in omni genere prudentiam grecis anteferre: Antonius
autem probabiliorem hoc populo orationem fore cense-
bat suam: si omnino didicisse numquam putaretur: atque ita
se uterque grauiorem fore: si alter contemnere alter non
esse quidem grecos videretur. Quorum consilium quale
fuerit: nichil sane ad hoc tempus: illud autem est huius
institutis scriptionis ac temporis: neminem eloquentia non
modo sine dicendi doctrina: sed ne sine omni quidem sa-
pientia florere umquam et prestare potuisse: Et enim ce-
tere fere artes se ipse per se tuentur singule: bene dicere
autem quod est scienter et perite et ornate dicere: non habet
definitam aliquam regionem cuius terminis septa teneatur:
Omnia quecumque in hominum disceptationem cadere possunt:
bene sunt ei dicenda qui hoc se posse profitetur: aut
eloquentie nomen relinquendum est. Quare equidem
et in nostra ciuitate et in ipsa grecia que semper hec summa
duxit: multos et ingeniis et magna laude dicendi sine
summa omnium rerum scientia fuisse fateor: Talem
vero existere eloquentiam: qualis fuerit in crasso et
antonio non cognitis rebus omnibus que in tantam pru-
dentiam pertinerent: tantamque dicendi copiam quanta in
illis fuit non potuisse confirmo: Quo etiam feci liben-
tius ut eum sermonem quem quondam illi inter se de his

Rebus habuissent mandarent litteris: vel ut illa opinio que
semper fuisset tolleretur: alterum non doctissimum: alterum
plane indoctum fuisse: vel ut ea que existimarem a sum-
mis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta custo-
direm litteris si ullo modo assequi complectique potuissem vel
mehercule etiam ut laudem eorum iam prope senescentem:
quantum ego possem ab oblivione hominum atque a silentio vin-
dicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi a suis potuis-
sent: minus hoc fortasse michi esse laborandum pu-
tassem: Sed cum alter non multum quod quidem extaret:
et id ipsum adolescens: alter nichil ad modum scripti reliquis-
set: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi ut
quo modo etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus
hanc immortalem redderem si possem: Quod hoc etiam
spe aggredior maiore ad probandum: quia non de Sergii
Galbe aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid: in quo li-
ceat michi fingere si quid velim: nullius memoria iam
me refellente. Sed edo hec hiis cognoscenda qui eos
ipsos de quibus loquor sepe audierunt: ut duos
summos viros hiis qui neutrum illorum viderint eorum
quibus ambo illi oratores cogniti sint vivorum et presentium
memoria teste commendemus. Nec vero te carissime
frater atque optime rhethoricis nunc quibusdam libris
quos tu agrestis putas insequor: ut erudiam: quid
enim potest esse tua oratione aut subtilius aut ornatius
esse. Sed quoniam sive iudicio ut soles dicere: sive ut
ille pater eloquentie de se Isocrates scripsit ipse pu-
dore a dicendo et timiditate ingenua quadam refu-
gisti: sive ut ipse iocari soles unum putasti satis esse
non modo in una familia rhetorem: sed pene in tota
civitate. Non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore
genere. quod merito propter eorum qui de dicendi ratio-
ne disputarunt ieiunitate bonarum artium possit illudi.
Nichil enim michi quidem videtur in Crassi et Antonii
sermone esse preteritum: quod quisquam summis inge-
niis acerrimis studiis: optima doctrina: maximo usu
cognosci ac percipi potuisse arbitraretur: quod tu facillime
poteris iudicare: qui prudentiam rationemque dicendi per
te ipsum usum vero per nos: percipere voluisti. Sed quod
citius hoc quod suscepimus non mediocre munus conficere
possimus omissa nostra adhortatione ad eorum quos

Propositum sermonem disputationemque veniamus. Postero
igitur die quam illa erat acta hora fere secunda: cum etiam
tum in lecto crassus esset: et apud eum sulpicius sederet:
antonius inambularet cum cotta in porticu repente eo
Q. catulus senex cum C. iulio fratre venit: quod ubi
audivit: commotus crassus surrexit: omnesque admirati
maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati
sunt. Qui cum inter se: ut ipsorum usus ferebat ami-
cissime consalutassent: Quid vos tandem crassus inqui-
unt inquit novi? Nichil sane inquit catulus: etenim
vides esse ludos: Sed vel tu nos ineptos licet inquit
vel molestos putes? Cum ad me in tusculanum inquit
heri vesperi venisset Cesar de tusculano suo: dixit michi
a se scevolam hinc euntem esse conventum: ex quo
mira quedam se audisse dicebat te quem ego totiens
omni ratione temptans ad disputandum elicere non po-
tuissem per multa cum antonio disseruisse de eloquentia
:et tamquam in schola prope ad grecorum consuetudinem
disputasse. Ita me frater exoravit me ipsum non quidem
a studio audiendi nimis abhorrentem: sed me hercule ve-
rentem ne molesti vobis interveniremus: ut huc se-
cum venirem: Scevolam enim ita dicere aiebat bonam
partem sermonis in hunc diem esse dilatam: hoc si
tu cupidius factum existimas Cesari attribuas: si fa-
miliarius utrique nostrum. Nos quidem nisi forte molesti
intervenimus venisse delectat. Tum crassus eidem que-
cumque vos causa huc attulisset letarer: cum apud me
viderem homines michi carissimos et amicissimos sed
tamen vere dicam quevis causa mallem fuisset quam
ista qua dicitis: Ego enim ut quemadmodum sentiam
loquar numquam michi minus quam hesterno die placui:
magis adeo id facilitate: quam alia ulla culpa mea con-
tigit: qui dum obsequor adolescentibus me senem esse
oblitus sum: fecique id quod ne adolescens quidem feceram:
ut his de rebus que doctrina aliqua continerentur dis-
putarem: Sed hoc tamen cecidit michi peroportune:
quod transactis iam meis partibus ad antonium audien-
dum venistis. Tum Cesar eidem crasse ita sum cupi-
dus in illa longiore te ac perpetua disputatione audiendi
ut si id michi minus contingat: vel hoc sim quotidia-
no sermone contentus: Itaque experiar quidem illud: ut

Quid sit ineptus

Ne Sulpicius familiaris meus: aut Cotta plus quam ego
apud te valere videantur: et te exorabo perfecto ut
michi quoque et Catulo tue suavitatis aliquid impertias:
Sin tibi id minus libebit: non te urgebo: neque commit-
tam ut dum vereare tu ne sis ineptus me esse iudices.
Tum ille ego me hercule inquit cesar ex omnibus latinis
verbis huius verbi vim vel maximam semper putavi:
Quem enim nos ineptum vocamus is michi videbitur
ab hoc nomen habere ductum: quod non sit aptus: Id-
que in sermonis nostri consuetudine perlate patet: Nam
qui aut tempus quid postulet non videt: aut plura loquitur:
aut se ostentat: aut eorum quibuscum est vel dignita-
tis vel commodi rationem non habet aut denique in aliquo
genere aut incocinnus aut multus est: is ineptus esse
dicitur. Hoc vicio cumulata est eruditissima illa grecorum
natio. Itaque quod vim huius mali greci non vident:
ne nomen quidem ei vicio imposuerunt: Ut enim queras
omnia quo greci ineptum appellent non repperies: Omnium
autem ineptiarum: que sunt innumerabiles. haud
scio an ulla sit maior: quam illi qui solent quocumque in loco
quoscumque inter homines visum est de rebus aut difficil-
limis aut non necessariis argutissime disputare: Hoc
nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes
heri coacti sumus. Tum catulus ne greci quidem inquit
crasse qui in civitatibus suis magni et clari fuerunt sicuti
tu es: nosque omnes in nostra re publica volumus esse: horum greco-
rum qui se inculcant auribus nostris similes fuerunt: nec
tamen in ocio sermones huiusmodi disputationesque fu-
giebant: Ac si tibi videtur qui temporis: qui loci. qui homi-
num rationem habent inepti sicut debent videri num tandem aut
locus hic non idoneus videtur in quo porticus hec ipsa
ubi inambulamus et palestra et tot loci sessiones gy-
nasiorum et grecorum disputationum memoriam quoda-
modo commovent: aut importunum tempus in tanto ocio quod
et raro datur et nunc peroptato nobis datum est: aut
homines ab hoc genere disputationis alieni: Qui omnes
hi sumus: ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus
: Omnia ista inquit crassus ego alio modo interpretor: qui
primum palestram et sedes et porticus etiam ipsos catule
grecos exercitationis et delectationis causa instituisse
arbitror: Nam et seculis multis ante gymnasia inventa

Dicunt: quod in his philozophi garrire ceperunt et hoc ipso
tempore cum omnia gymnasia philosophi teneant: tamen
eorum auditores discum audire quam philosophum omnes ma
lunt: ita leuissimam delectationem gra
uissime ut ipsi ferunt utilitati anteponunt. Otium
autem quod dicis esse assentior: verum otii fructus est
non contentio animi: sed relaxatio: Sepe ex socero
meo audiui: cum is diceret socerum suum lelium semp
fere cum scipione solitum rusticari eosque incredibi
liter repuerescere esse solitos cum rus ex urbe tam
quam e vinculis euolauissent: non audeo dicere de talibus
viris: sed tamen ita solet narrare sceuola: conchas
eos et umbelicos ad gaietam et ad laurentum legere con
sueuisse: et ad omnem animi remissionem ludumque descende:
Sic enim res se se habet: ut quemadmodum uolucres
videmus procreationis atque utilitatis sue causa effinge
et construere nidos: easdem autem cum aliquid effe
cerint leuandi laboris sui causa passim ac libere solu
tas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis atque
urbano opere defessi gestiunt ac volitare cupiunt va
cui cura ac labore: Itaque illud quod ego in causa curia
na sceuole dixi: non dixi secus ac sentiebam: Nam
si uinque sceuola nullum erit testamentum recte factum:
nisi quod tu scripseris omnes ad te cives cum tabulis ve
nient: omnium testamenta tu scribis unus. Quid igitur
inquit quando ages negotium publicum: quando amicorum: quando
tuum: quando denique nichil ages? Tum illud addidi michi
enim liber esse non videtur: qui non aliquando nichil a
git: in qua permaneo catule sententia: meque cum huc
veni hoc ipsum nichil agere et plane cessare delectat:
Nam quod addidisti tercium: uos eos esse: qui uitam
insuauem sine his studiis putaretis id me non modo non
hortatur ad disputandum sed etiam deterret: Nam
ut C. lucilius homo doctus et per urbanus dicere sole
bat ea que scriberet neque se ab indoctissimis: neque ab
doctissimis legi velle quod alteri nichil intelligerent:
alteri plus fortasse quam ipse de quo etiam scripsit persium:
non curo legere: hunc fuit enim ut noramus omnium fe
riorum hominum doctissimus: lelium decimum uolo quem
cognouimus virum bonum et inlicatum sed nichil ad per
sium. Sic ego si iam michi disputandum sit de his

Nostris studijs: nolim quidem apud rusticos sed multo mi-
nus apud nos: Malo enim non intelligi orationem meam
quam reprehendi: Tum cesar equidem inquit catule iam mi-
videor navasse operam quod huc venerim: nam hec ipsa
recusatio disputationis disputatio quedam fuit: michi
quidem periocunda. Sed cur impedimus antonium cuius
audio esse partis: ut de tota eloquentia disserat: que-
que iam dudum cotta et sulpicius expectant: Ego vero
inquit crassus neque antonii verbum facere patiar: et ipse
obmutescam nisi prius a vobis impetrabo: Quid nam in-
quit catulus: Ut hic sitis hodie. Tum cum ille dubi-
taret: quod ad fratrem promiserat. Ego inquit iulius pro
utroque respondeo: sic faciemus: atque ista quidem condi-
tione velut verbum nullum faceres me teneres: Hic
catulus arrisit et simul precisa inquit michi quidem est
dubitatio quoniam neque domi imperaram et hic apud
quem eram futurus sine mea sententia: tam facile pro-
misit. Tum omnes oculos in antonium coniecerunt. Et ille
audite vero audite inquit: hominem enim audietis e scho-
la atque a magistro et grecis litteris eruditum: et eo quidem
loquar confidentius: quod catulus auditor accessit cui
non solum nos latini sermonis sed etiam greci ipsi so-
lent sue lingwe subtilitatem elegantiamque concedere:
Sed tamen quoniam hoc totum quicquid est sive artificium
sive studium dicendi: nisi accessit os nullum potest esse
docebo vos discipuli quod ipse non didici quid de
omni genere dicendi sentiam. Hic postea quam arriserunt.
Res michi videtur esse inquit facultate preclara: ar-
te mediocris Ars enim earum rerum est que sciuntur:
oratoris autem omnis actio opinionibus non scientia con-
tinetur: Nam et apud eos dicimus qui nesciunt et ea
dicimus que nescimus ipsi. Itaque et illi alias aliud his-
dem de rebus et sentiunt et iudicant: et nos contra-
rias sepe causas dicimus ~~que nescimus~~ non modo ut cras-
sus contra me dicat aliquando: aut ego contra crassum:
cum alterutri necesse sit falsum dicere: sed etiam ut
uterque nostrum eadem de re alias aliud defensat: cum
plus uno vero esse non possit: Ut igitur in eiusmodi
re que mendacio nixa sit: que ad scientiam: non sepe per-
veniat: que opiniones hominum et sepe errores aucu-
pentur: Ita dicam si causam putatis esse ut audiatis:

Nos vero et valde quidem tatulus inquit putamus atque
eo magis a veritate ut tu putas quam a nescio qua dig-
nitate: Vt igitur de ipso genere sim confessus inquit
antonius artem esse non maxima: sic illud affirmo
precepta posse quedam dari pacata ad pertractandos
hominum animos et ad excipiendas eorum voluntates:
huius rei scientiam si quis volet magna quandam ar-
tem esse dicere non repugnabo: Et enim cum plerique
temere ac nulla ratione causas in foro dicant: nonnulli
autem propter exercitationem aut propter consuetudinem
aliquam callidius id faciant: non est dubium: quin si quis ani-
advertit: quid sit quare alii melius quam alii dicant id possit
notare: Ergo id qui toto in genere fecerit is si non plane
artem: at quasi artem quandam invenerit. Atque uti-
nam ut michi videor illa videre in foro atque in causis:
ita nunc quemadmodum ea reperiuntur possem vobis expo-
nere: sed de me videro: Nunc hoc propono: quod michi
persuasi: quamvis ars non sit: tamen nichil esse perfecto
oratore preclarius nam ut usum dicendi omittam:
qui in omni pacata ac libera civitate dominatur: tanta
oblectatio est in ipsa facultate dicendi ut nichil hominum
aut auribus: aut mentibus iocundius percipi possit.
Qui enim cantus moderata pronunciatione dulcior in-
veniri potest? Quod carmen artificiosa verborum conclu-
sione aptius: Qui actor in imitando: quam orator in sus-
cipienda veritate iocundior? Quid autem subtilius
quam crebre acuteque sententie? Quid autem admirabilius:
quam res splendore illustrata verborum? Quid ple-
nius: quam omni rerum genere cumulata oratio: Neque enim
ulla non propria oratoris est res: que quidem ornate
dici graviterque debeat huius est in dando consilio de
maximis rebus cum dignitate explicata sententia:
eiusdem etiam languentis populi incitatio et effre-
nati moderatio eadem facultate et fraus hominum ad per-
niciem et integritas ad salutem vocatur. Quis coh-or-
tari ad virtutem ardentius: quis a viciis acrius revocare
? quis vituperare improbos asperius ? quis laudare bo-
nos ornatius ? quis cupiditatem vehementius frangere
accusando potest ? quis merore levare mitius consolan-
do ? Historia vero testis temporum: lux veritatis: vi-
ta memorie: magistra vite: nuncia vetustatis: qua

Nichil preclarius oratore

laus historie

Hoc et alia mihi oratoris immortalitate commendat. Na
si qua est ars aliqua: que verborum aut faciendorum
aut deligendorum scientiam profiteatur: aut si quisquam
dicitur nisi orator formare orationem eamque variare
et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque
insignibus: aut si via ulla nisi ab hac una arte
traditur aut argumentorum: aut sententiarum: aut de
nique descriptionis: aut ordinis fateantur: aut hoc quod
hec ars profiteatur alienum esse: aut cum aliqua
arte esse commune: Sed si in hac una est ea ratio atque
doctrina non si qui aliarum artium bene locuti sunt:
eo minus id est huius unius proprium: Sed ut orator de
his rebus que ceterarum artium sunt si modo eas cogno-
vit: ut heri Crassus dicebat optime potest dicere: sic ce
terarum artium homines ornatius illa sua dicunt: si quid
ab hac arte didicerunt. Neque enim si de rebus rusticis
agricola quispiam aut etiam id quod multi medici
de morbis: aut si de pingendo pictor aliquis diserte
dixerit aut scripserit illius artis putanda est eloquen
tia in qua tanta vis magna est in hominum ingeniis: eo multi
etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium
consequuntur: sed quod cuiusque sit proprium: et si ex eo
iudicari potest: cum videris quod quemque doceant: tamen
hoc certius esse nihil potest: quam quod omnes artes alie
sine eloquentia suum munus prestare possunt: ora-
tor sine ea suum nomen obtinere non potest: ut ceteri
si diserti sint aliquid ab hoc habeant hic nisi domesticis
se instruxerit copiis: aliunde dicendi copiam petere
non possit. Tum Catulus etsi inquit Antoni minime
impediendus est interpellatione iste cursus orationis
tue patiere tamen mihique ignosces: Non enim
possum quin exclamem ut ait ille in trinummo: ita
vis oratoris mihi tum exprimere subtiliter visus es
tamen laudare copiosissime: Quod quidem eloque
tem vel optime facere oportet ut eloquentiam laudet:
debet enim ad eam laudandam ipsam illam adhibere:
quam laudat. Sed perge porro: tibi enim assentior
verum esse hoc totum diserte dicere: id quod si quis in
alia re faciat: eum assumpto aliunde uti bono non
proprio: nec suo. Et Crassus nox te inquit nobis Antoni
expolivit hominemque reddidit: Nam hesterno sermone

D(um) in istiusque operis ut aut tetilius temgem alique aut baiulum nobis. oratorem destripseras in opem que dam humanitatis atque in urbanu. Tum antonius. heri enim inquit hoc mihi posueram: ut si te re fellissem hos abste distipulos abducerem: Nunc ta tulo audiente et tesare: videor debere non tam pu gnare pugnare tecu: q(uam) quod ipse sentiam dicere. Sequitur igitur quoniam nobis est hic de quo loqm(ur) in foro atque in otulis tuum constituend(us): ut videamus q(uo)d ei negotii demus: cuique eum muneri velimus esse prepositum: Nam trassus heri tum nos tatule et tesar non ad essetis posuit breviter in artis distri butione idem quod greci plerique posuerunt: neque sa ne quid ipse sentiret: sed quid ab his diceretur ostendit: Duo p(ri)ma genera quorum ee: in quibus eloquentia versaretur unu infinitum alteru (cer)tu(m). Infinitum mihi videtur id dicere: in quo aliquid generatim quereretur hoc mo(do) expetenda ne esset eloquentia: expetendi ne honores: Certum autem in quo quid in personis et constituta re et definita quereretur: cuius modi sunt que in foro atque in ci uium tausis disceptationibusque versantur: Ea mi videntur aut in lite ordinanda: aut in consilio dan do esse posita. Nam illud tertiu quod a trasso tactu est: et ut audio ille ipse aristoteles qui hec maxime illustravit adiunxit etiam si opus est: tu minus est necessariu. Quid nam inquit tatulus: an laudatos: id enim video poni genus tertiu. Ita inquit antonius: et in eo quidem genere scio et me et omnes qui affue runt delectatos esse vehementer: cum abste e popi lia mater vestra laudata tu p(ri)mu mulieri huius ho norem in n(ost)ra civitate tributum puto: Sed non omnia quecumque loquimur mihi videntur ad artem: et precepta esse revocanda: Ex his enim fontibus: unde omnia ornate dicendi precepta sumuntur lite bit etiam laudationem ornare: neque illa elementa de siderare que ut nemo tradat: quis est qui nesciat que sint in homine laudanda: Positis enim his rebus quas trassus in illius orationis sue quam contra col legam censor habuit principio dixit: que natura aut fortuna fortuna darentur hominibus in rebus se vinci

Posse animo equo pati: que ipi[s] homines parare pos-
sent in his rebus se pati vinci non posse: Qui lau-
dabit quempiam: intelliget exponenda sibi esse for-
tune bona: ea sunt generis: pecunie: propinquorum:
opum valitudinis forme virium ingenii: ceterarumque
rerum que sunt aut corporis aut extranee: si habuerit
bene iis vsum: si non habuerit sapienter caruisse: si
amiserit moderate tulisse: Deinde quid sapienter
is quem laudet: quod liberaliter: quod fortiter: quid iuste:
quid magnifice: quid pie: quid grate: quid huma-
ter: quod denique cum aliqua virtute aut fecerit aut
tulerit Hec et que sunt eius generis facile videbit
qui volet laudare quempiam: et vituperare contraria.
Cur igitur dubitas inquit catulus facere hoc tercium
genus: quoniam inest in racione rerum: non enim
si est facilius: eo de numero quoque est excipiendum.
Quid nolo inquit omnia: que cadunt aliquando in
oratorem: quamuis exigua sint ea sic tractare: qui nichil
possit dici sine preceptis suis. Nam et testimonium
sepe dicendum est: ac non numquam etiam accuracius:
vt michi necesse fuit in Sex. titium sediciosum ciuem et
turbulentum: in eo testimonium explicaui dicendo
omnia consilia consulatus mei: quibus illo tribuno ple-
bis pro re. p. restitissem queque ab eo contra rem. p.
facta arbitrarer exposui: diu retentus sum: multa
audiui multa respondi: Num igitur placet: cum de e-
loquentia precipias aliquid etiam de testimoniis
dicendis quasi in arte tradere: Nichil sane inquit
catulus necesse est: Quid si quod sepe summis viris
accidit mandata sunt exponenda aut in senatu ab
imperatore: aut ad regem aut ad populum aliquem
a senatu ~~ab imperatore~~ Num quia genere orationis
huiusmodi causis accuratiore est vtendum: id circo
etiam pars hec causarum numeranda videtur: aut
propriis instruenda preceptis: Minime vero inquit
catulus: non enim deerit homini diserto in ~~huiusmodi~~
eiusmodi rebus facultas ex ceteris rebus et causis
comparata. Ergo item inquit illa que sepe diserte
agenda sunt: et que ego paulo ante cum eloque-
tiam laudarem dixi oratoris esse: neque habent suum
locum vllum in diuisione partium neque certum preceptorum

Genus: et agenda sunt non minus diserte quam que in lite
dicuntur: obiurgatio: consolatio: cohortatio: quorum
nichil est quod non summa dicendi ornamenta desi
deret: sed ex artificio res iste precepta non querunt:
Plane inquit catulus assentior. Age vero inquit anto
nius qualis oratoris et quanti hominis in dicendo pu
tas esse historiam scribere: sicuti greci scripserunt? Sum
mi inquit catulus sicut nostri nichil opus est oratore:
satis est non esse mendacem: Atqui ne nostros contemp
nas inquit antonius greci ipsi sic initio scriptitarunt:
ut noster cato ut pictor ut piso: Erat enim historia
nil aliud nisi annalium confectio: cuius rei memorieque
publice retinende causa ab initio rerum romanarum
usque ad C. P. mutium pontificem maximum res omnes
singulorum annorum mandabat litteris pontifex ma
ximus: efferebatque in album et proponebat tabulam
domi potestas ut esset populo cognoscendi: hi qui
nunc annales maximi nominantur. Haut simili
tudinem scribendi multi secuti sunt: qui sine ullis
ornamentis monimenta solum temporum: hominum: loco
rum: gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis
apud grecos pherecides: hellanicus: acusilas fuit:
aliique permulti. Talis noster cato et pictor et pi
so: qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio: Mo
do enim huc ista sunt importata et dum intelli
gatur quid dicant: unam dicendi laudem putant
esse brevitatem. Paululum se erexit et addidit his
torie maiorem sonum vocis vir optimus crassi fami
liaris antipater. Ceterum non exornatores sed tan
tummodo narratores fuerunt. Est inquit catulus ut di
cis: sed ipse iste ipse celius neque distinxit historiam
varietate colorum: neque verborum collocatione et trac
tu orationis leni et equali perpolivit illud opus: sed
ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicen
dum sicut potuit dolavit: vicit tamen ut dicis su
periores. Minime mirum inquit antonius: si ista res
adhuc nostra lingua illustrata non est: nemo enim stu
det eloquentie nostrorum hominum: nisi ut in causis
atque in foro eluceat. Apud grecos autem eloquentis
simi homines remoti a causis forensibus cum ad cete
ras res illustres: tum ad scribendam historiam maxime

se applicaverunt: Namque et herodotum illum: qui princeps
genus hoc ornavit in causis nichil omnino versatum
esse accepimus: Atqui tanta est eloquentia ut me qui-
dem quantum ego grece scripta intelligere possum
magnopere delectet: et post illum thucidides omnes
dicendi artificio mea sententia facile vincit qui
ita est creber rerum frequentia: ut verborum pro-
pe numerum sententiarum numero sequatur: Ita porro verbis
est aptus et pressus: ut nescias utrum res oratione
an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc
quidem quamquam in re p. versatus ex numero accepimus
eorum qui causas dictitarunt: et hos libros tum scri-
psisse dicitur cum a re p. remotus: atque id quod optimo
cuique atheniis accidere solitum est: in exilium pulsus
esset Hunc consecutus est siracusius philistus: qui
cum dyonisii tyranni familiarissimus esset otium
suum consumpsit scribendo: maximeque thucididem est
sicut michi videtur imitatus. Postea vero quasi
ex clarissima rhetoris officiana duo prestantes
ingenio theopompus et ephorus hysocrate magistro
impulsi se ad historiam contulerunt: causas omnino numquam
attigerunt. Denique etiam a philosophia profectus princeps
exenophon socraticus ille: post ab aristotele calliste-
nes comes alexandri scripsit historiam: Et hic quidem
rhetorico pene more: ille autem superior leniore quo-
dam sono est usus et qui illum impetum oratoris non
habet vehemens fortasse minus: sed aliquanto tamen
est ut michi quidem videtur dulcior: Minimus
natu omnium horum thimeus: quantum autem iudicare
possum longe eruditissimus: et rerum copia: et senten-
tiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione
verborum non impolitus magnam eloquentiam ad scri-
bendum attulit: sed nullum usum forensem. Hec cum
ille dixisset: Quid est inquit catulo cesar: ubi sunt
qui antonium grece negant scire: Quot historicos
nominavit: quam scienter: quam proprie de unoquoque dixit:
id me hercule dixit catulus admirans illud iam mi-
rari desino: quod magis ante mirabar. hunc cum hec
nescire in dicendo posse tantum. Atqui catule inquit
antonius non ego utilitatem aliquam ad dicendum au-
cupans horum libros et nonnullos alios sed delec-
tationis

Causa tum est ocium legere soleo. Quid ergo est: fa-
tebor aliquid tamen cum in sole ambulem: etiam si ego
ob aliam causam ambulem fieri natura tamen ut
colorer: sic cum istos libros ad Misenum nam Rome vix
licet studiosius legerim: sentio illorum tactu orationem me-
am quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere vide-
atur hec duntaxat in grecis: que ipsi qui scripserunt
voluerunt a vulgo intelligi. In philosophos vestros si
quando incidi deceptus indicibus librorum: qui sunt fere
inscripti de rebus notis et illustribus de virtute de iusti-
cia de honestate: de voluptate verbum prorsus nullum
intelligo ita sunt angustis et concisis disputacionibus
illigati: Poetas omnino quasi aliena quadam lin-
gwa loquutos non conor attingere: cum his me ut
dixi oblecto qui res gestas: aut qui orationes scripserunt
suas: aut qui ita loquuntur: ut videantur voluisse nobis
qui non sumus eruditissimi familiares: Sed illuc re-
deo: videtis ne quantum munus sit oratoris historia.
Haud scio an flumine orationis et varietate maximum:
neque tamen eam reperio usque seperatim instructam
rhetorum preceptis: sita sunt enim ante oculos.
Nam quis nescit primam esse historie legem ne quid
falsi dicere audeat: Deinde ne quid vere non audeat:
ne qua suspicio gratie sit in scribendo: neque simultatis.
Hec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem
exedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum racio
ordinem temporum desiderat: regionem descriptione
vult etiam quoniam in rebus magnis memoria dig-
nis consilia primum: deinde acta postea eventus expec-
tantur: et de consiliis significari quid scriptor probet:
et in rebus gestis declarari non solum quid actum aut
dictum sit sed etiam quomodo et de eventu dicatur ut cause
explicentur omnes: vel casus vel sapientie: vel te-
meritatis: hominumque ipsorum non solum res geste: sed
etiam qui fama ac nomine excellat: de cuiusque natura
atque vita. Verborum etiam racio et genus orationis
fusum atque tractum et cum lenitate quadam equabi-
li profluens sine hac iudiciali asperitate: et sine
sententiarum forensibus aculeis prosequendum est. Harum
tot tantarumque rerum videtis ne ulla esse precepta:
que in artibus rhetorum reperiantur. In eodem silentio



Multa alia oratorum officia tetigit: cohortationes con-
solationes: precepta admonita: que tractanda sunt
omnia disertissime: sed locum suum in illis artibus: que
tradite sunt habent nullum. Atque in hoc genere il-
la quoque est infinita silva quod oratori plerique ut etiam
Crassus ostendit duo genera ad dicendum dederunt: Unum de certa
de finitaque causa: quales sunt que in litibus que in deli-
berationibus versantur: Addat si quis volet etiam lauda-
tiones: alterum quod appellant omnes fere scriptores
explicat nemo infinitam generis sine tempore et sine
persona questionem: hoc quid et quantum sit tum dicit
intelligere michi non videntur: Si enim est orato-
ris quecunque res infinita posita sit: de ea posse dicere:
dicendum erit enim ei et quanta sit solis magnitudo: que
forma terre: de mathematicis: de musicis rebus non po-
terit quin dicat hoc genere suscepto recusare: Denique
hii qui profitentur esse suum non solum de hiis controver-
siis que temporibus et personis note sunt: hoc est de
omnibus forensibus: sed etiam de generum infinitis que-
stionibus dicere: nullum potest esse genus orationis: quod
sit exceptum sed si illam quoque partem que questionum
oratori volumus adiungere vagam et liberam et late
patentem: ut de rebus bonis aut malis expetendis aut
fugiendis: honestis: aut turpibus: utilibus aut inuti-
libus: de virtute: de iustitia: de continentia: de pruden-
tia: de magnitudine animi: De liberalitate: De pie-
tate: de amicitia: De fide: De officio: De ceteris
virtutibus contrariisque viciis dicendum oratori putamus.
Itemque de re publica: de imperio: de re militari: De disci-
plina civitatis: De hominum moribus: assumamus eam
quoque partem: Sed ita ut sit circumscripta modicis re-
gionibus: equidem omnia que pertinent ad usum civium
morem hominum: que versantur in consuetudine vite
in ratione rei publice in hac societate civili: in sensu ho-
minum communi: in natura in moribus comprehenden-
da esse oratori puto: si minus ut separatim de hiis re-
bus respondeat philosophorum more. At certe ut in causa
prudenter possit intexere. Histe autem ipsis de rebus
ut ita loquatur: uti ii qui iura: qui leges: qui civi-
tates constituerunt: locuti sunt simpliciter et splendide
sine ulla serie disputationum et sine ieiuna concertatione

Verborum. Hoc loco nequa sit admiratio si tot tantarumque
rerum nulla a me precepta ponentur: sit statuto: ut
in ceteris artibus cum tradita sint cuiusque artis diffi-
cillima: reliqua quia aut faciliora aut similia sunt
cuiusque artis tradi non necesse esse. ut in pictura qui
hominis speciem pingere perdidicerit: posse eum cuius-
cuius uel forme: uel etatis: etiam si non didicerit pin-
gere: neque esse periculum qui leonem aut taurum pin-
gat egregie: ne idem in multis aliis quadrupedibus
facere non possit: neque est omnino ars ulla in qua
omnia que illa arte effici possint a doctore tradan-tur
Sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didi-
cerunt: reliqua persequuntur. Similiter arbitror in hac
siue ratione siue exercitatione dicendi qui illam vim
adeptus sit ut eorum mentes: qui aut de re publica aut de
ipsis rebus aut de iis contra quos aut pro quibus di-
cat: cum aliqua statuendi potestate audiant ad suum arbi-
trium mouere possit. huic de toto illo genere reliquarum
orationum: non plus quesiturum esse quid dicat quam Poli-
cretum illum cum Herculem fingebat quemadmodum
pellem: aut hydram fingeret: etiam si hec numquam se-
paratim facere didicisset. Tum Catulus preclare mihi
videris Antoni posuisse ante oculos quid discere
oporteret eum qui orator esset futurus: quid etiam
si non didicisset ex eo quod didicisset assumeret. Sed redu-
xisti enim totum hominem in duo genera solum causarum:
cetera innumerabilia exercitationi et similitudini re-
liquisti. Sed videto ne in istis duobus generibus hydra
sit et pellis: Hercules et alia opera maiora ne in
illis rebus quas pretermittis relinquatur. Non enim
michi minus operis videtur de uniuersis generibus
rerum quam de singulorum causis ac multo etiam magis
de natura deorum: quam de hominum litibus dicere. Non
est ita inquit Antonius: dicam enim tibi Catule non
tam doctus quam id quod est maius expertus. Omnium ce-
terarum rerum oratio michi crede ludus est homini
non hebeti neque inexercitato: neque communium litterarum
et politioris humanitatis experti in causarum conten-
tionibus: magnum est quoddam opus atque haud
sciam an de humanis operibus longe maximum: in quibus
vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria

Videatur: Ubi adest armatus adversarius qui sit et
feriendus et repellendus. ubi sepe id quod tecum dubium est fu-
turum est alienum atque ratum: quod et amicus adversario et
inimicus tibi est: tum aut docendus is est aut docen-
dus: aut reprimendus: Aut incitandus: Aut omni racione
ad tempus ad causam oratione moderandus: in quo
sepe benivolencia ad odium: odium autem ad benivo-
lenciam deducendum est: qui tanquam machinatione aliqua
tum ad severitatem: tum ad remissionem animi: tum ad tris-
ticiam: tum ad leticiam est contorquendus: omnium sentenciarum
gravitate. omnium verborum ponderibus est utendum
Ac cedat oportet actio varia: vehemens: plena ani-
mi: plena spiritus: plena doloris: plena veritatis.
In his operibus si quis illam artem comprehenderit: ut tan-
quam phidias minerve signum efficere possit: non sane
quemadmodum in clipeo idem ille artifex minora illa opera
facere discat laborabit. Tum catulus quo ista maiora
et mirabiliora fecisti eo me maior expectacio tenet:
quibusnam tandem quibusve preceptis ea tanta vis com-
paretur: non quo mea quidem iam intersit: neque
enim etas id mea desiderat: et aliud quoddam genus
dicendi nos secuti sumus: qui nunquam sentencias de manibus
iudicum vi quadam orationis extorsimus: at potius
placatis eorum animis tantum quantum ipsi paciebantur
accepimus: sed tamen ista tua nullum ad usum meum
tantum cognoscendi studio adductus requiro. Nec
michi opus est greco aliquo doctore qui michi pervul-
gata precepta decantet: cum ipse nunquam forum: nunquam
ullum iudicium aspexerit: ut peripatheticus ille dicitur
phormio cum hanibal carthagine expulsus: ephesum
ad anthiochum venisset exul: proptereaque quod eius nomen
erat magna apud omnes gloria invitatus esset ab hos-
pitibus suis: ut eum quem dixi si vellet audiret: cumque
se non nolle dixisset: locutus esse dicitur homo copiose
aliquot horas de imperatoris officio et de omni re mi-
litari. Tum cum ceteri qui illum audierant vehe-
menter essent delectati: querebant ab hanibale
quidnam ille ipse de illo philosopho iudicaret. Hic penus
non optime grece: sed tamen libere respondisse fertur
multos se deliros senes sepe vidisse sed qui magis
quam phormio deliraret vidisse neminem. Neque me hercule

Insania: quid enim aut arrogantius: aut loquatius
fieri potuit: quam hannibali qui tot annos de imperio
cum populo romano omnium gentium victore certasset: grecum
hominem qui numquam hostem numquam castra vidisset:
numquam denique minimam partem ullius publici mune
ris attigisset: precepta de re militari dare. Hoc mi
facere omnes isti qui de arte dicendi precipiunt viden
tur: quod enim ipsi experti non sunt: id docent ceteros.
Sed hoc minus fortasse errant: quod non te ut ha
nibalem: sed ut pueros aut adolescentulos docere co
nantur. Erras catule inquit antonius: nam ego
met in multos iam phormiones incidi: quis enim est
istorum grecorum qui quemquam nostrum quicquam intelligere arbi
tretur? At michi quidem non ita molesti sunt: facile
omnes perpetior et perfero. Nam aut aliquid afferunt
quod michi non displiceat: aut efficiunt ut me non
didicisse minus peniteat. Dimitto autem eos non
tam contumeliose quam philosophum illum hannibal et eo
fortasse plus habeo etiam negotii: sed tamen est
eorum doctrina: quantum ego iudicare possum per
ridicula. Dividunt enim totam rem in duas par
tes in cause controversiam et in questionis. Causam
appellant rem positam in disputatione reorum et con
troversia: questionem autem rem positam in infinita du
bitatione. De causa precepta dant. De altera parte
dicendi mirum silentium est: deinde quinque faciunt quasi
membra eloquentie: invenire quid dicas: inventa dis
ponere: deinde ornare verbis post memorie mandare:
tum ad extremum agere et pronuntiare rem sane non recon
ditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit nemi
nem posse dicere: nisi et quid diceret et quibus verbis et
quo ordine diceret haberet: et ea meminisset. Atque
hec ego non reprehendo: sed ante oculos posita esse di
co ut eas item quatuor: quinque: sexve partes vel etiam
septem: quoniam aliter ab aliis digeruntur in quas
est ab his omnis oratio distributa. Iubent enim exordiri:
ita ut eum qui audiat benivolum nobis faciamus
et docilem: et attentum: Deinde rem narrare ita ut
verisimilis narratio sit: ut aperta: ut brevis: post autem
dividere causam: aut proponere: nostra confirmare argu
mentis ac rationibus: Deinde contraria refutare.

Cum autem alii conclusionem orationis et quasi perorationem
collocant: alii iubent antequam peroretur ornandi aut augendi causa digredi: deinde concludere ac perorare.
Rehet quidem reprehendo: sunt enim concinne distributa: sed tamen id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis non perite. Que enim precepta principiorum et narrationum esse voluerunt: ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam ego michi benivolum iudicem facilius facere possum in cursu orationis: quam cum omnia sunt inaudita: docilem autem non cum polliceor me demonstraturum: sed tum cum doceo et explano: attentum vero crebro tota actione excitandis mentibus iudicum non prima denunciatione efficere possumus. Iam vero narrationem quod iubent verisimilem esse et apertam et brevem: recte nos admonet: quod hec narrationis magis putant esse propria quam totius orationis: valde michi videntur errare: omninoque in hoc omnis est error quod existimant artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum: cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat: ut genera rerum primum exponerentur: in quo vitium est si genus ullum pretermittatur: deinde singulorum generum partes in quo et ~~deesse~~ deesse aliquam partem: et superare mendosum est: tum verborum omnium diffinitiones: in quibus neque abesse quicquam decet: neque redundare: sed hoc si in iure civili: si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt: non idem sentio tanta hac in re: tamque immensa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur: deducendi sunt ad eos qui hec docent: omnia iam explicata et perpolita assequentur: sunt enim innumerabiles de his rebus libri: neque abditi neque obscuri. Sed videant qui velint ad ludendumne an ad pugnandum arma sunt sumpturi: aliud enim pugna et acies. aliud ludus campusque noster desiderat.
Attamen ars ipsa ludicra armorum et gladiatori et militi prodest aliquid: sed animus acer et presens et acutus idem atque versatus invictos viros efficit non difficilius arte coniuncta. Quare ego tibi oratorem sic iam instituam si potero: ut quid efficere possit: ante perspiciam: si intelligam ad summos posse pervenire: cohortabor non solum ut elaboret: sed etiam si vir quoque bonus

Michi videbitur: obsecrabo: tantum ego in excellente ora
tore et eodem viro bono pono esse ornamenti universe civitati
Sin videbitur cum omnia summa fecerit: tamen et me
diocris orator esse venturus: permittam ipsi quid velit: mo
lestus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit et
erit absurdus: ut se contineat: aut ad aliud studium trans
ferat admonebo: nam neque is qui optime potest dese
rendus est ullo modo a cohortatione nostra: neque is qui
aliquid potest deterrendus: quod alterum divinitatis mi
cuiusdam videtur: alterum vel non facere quod non
optime possis: vel facere quod non pessime facias hu
manitatis tertium vero illud clamare contra quam de
ceat et quam possit hominis est ut tu catule de quodam
clamatore dixisti stulticie sue quam plurimos testes pre
conio domesticos colligentis. De hoc igitur qui erit tal
ut cohortandus adiuvandusque sit ita loquamur: ut ei
tradamus ea duntaxat que nos usus docuit: ut no
bis ducibus veniat eo quo sine duce ipsi pervenimus: quo
niam meliora docere non possumus. Atque ut a fa
miliari nostro exordiar hunc ego catule sulpicium primum
in causa parvula adolescentulum audivi voce et forma
et motu corporis et reliquis rebus aptum ad hoc mu
nus de quo querimus. oratione autem celeri et concitata
quod erat ingenii sed verbis effervescentibus et pau
lo nimium redundantibus quod erat etatis: non sum
aspernatus volo enim se efferat in adolescente fecundi
tas. Nam facilius sicut in vitibus revocantur ea que
se se nimium profuderint quam si nihil valet materies:
nova sarmenta cultura excitantur ita volo esse in
adolescente fecunditas unde aliquid amputem: non
enim potest in eo esse succus diuturnus quod nimis ce
leriter est maturitatem assecutum. Vidi statim indolem
neque dimisi tempus et eum sum cohortatus ut forum
sibi ludum putaret esse ad discendum: magistrum
autem quem vellet eligeret: me quidem non: sed
audiret L. crassum: quod iste arripuit et ita se se
facturum confirmavit. atque etiam addidit gratie scilicet
causa me quoque magistrum sibi futurum. Vix annus inter
cesserat ab hoc sermone cohortationis mee cum iste ac
cusavit. C. norbanum defendente me: non est credi
bile quid interesse michi sit visum inter eum qui tum

Erat et qui anno ante fuerat. omnino in illud genus eum
crassi magnificum atque preclarum natura ipsa ducebat:
sed ea non satis perficere potuisset nisi eodem studio
atque imitationem intendisset: atque ita dicere consuevisset
ut tota mente crassum atque omni animo intueretur. Ergo
hoc sit primum in preceptis meis ut demonstremus quem
imitemur: et atque ita ut que maxime excellant in eo
quem imitabimur ea diligentissime persequatur. Tum
accedat exercitatio: qua illum quem elegerit imita-
ndo effingat. atque ita exprimat: non ut multos imitato-
res sepe ~~[struck]~~ cognovi qui aut ea que facilia sunt
aut etiam illa que insignia ac pene viciosa consec-
tentur imitando. Nichil est facilius quam amictum imitari
alicuius aut statum aut motum: si vero etiam viciose
aliquid est id sumere et in eo viciosum esse non mag-
num est: ut ille qui nunc etiam amissa voce furit in
re publica sinsius nervos in dicendo C. fimbrie quos tamen
habuit ille non assequitur oris pravitate et verborum
latitudinem imitatur. Sed tamen ille nec delegere sciuit
cuius potissimum similis esset: et in eo ipso quem delegerat:
imitari etiam vicia voluit. Qui autem faciet ut opor-
tet primum vigilet necesse est in delegendo: deinde quem
probavit in eo que maxime excellet ea diligentissi-
me persequatur. Quid enim causae censetis esse cur eta-
tes extulerint singule singula prope genera dicen-
di quod non tam facile in nostris oratoribus possumus iu-
dicare quia scripta ex quibus iudicium fieri possit non
multa sane reliquerunt: quam in grecis ex quorum
scriptis cuiusque etatis que dicendi ratio voluntasque
fuerit intelligi potest. Antiquissimi fere sunt
quorum quidem scripta constet pericles atque althibia-
des et eadem etate tuchidides subtiles acuti breves
sententiis magis quam verbis habundantes: non po-
tuisset accidere ut unum genus esset omnium nisi aliquem
sibi proponeret ad imitandum. Consecuti sunt hos thri-
tias theramenes lysias multa lysie scripta sunt: non-
nulla thritie de theramene audivimus omnes etiam
tum retinebant illum pericli sucum: sed erat paulo
uberiore filo. Ecce tibi exortus est isocrates magister isto-
rum omnium cuius e ludo tamquam ex equo troiano meri
principes exierunt: sed eorum partim in acie illustres

in pompa partim

Asse noluerunt. itaque et illi theopompi ephori philisti
naucrate multique alii naturis differunt voluntate
autem similes sunt et inter se se et magistri et ii qui
se ad causas contulerunt ut demosthenes: yperides:
licurgus: Eschines: dinarchus: aliique complures: et
si inter se pares non fuerunt tamen sunt omnes
in eodem veritatis imitando genere versati: quorum
quam diu vixit imitatio: tam diu genus illud dicendi
studiumque vixit. postea quam extinctis hiis omnibus eorum
memoria sensim obscurata est et evanuit: alia
quedam dicendi meliora at remissiora genera vi-
guerunt. Inde demothares que aiunt sororis filium fu-
isse demosthenis: tum phalereus ille demetrius
omnium istorum mea sententia politissimus aliique horum
similes extiterunt. Que si volemus usque ad hoc tempus
persequi intelligemus ut etiam analabadensem
illum menedemum et eius filium hierodem quos ego
audivi tota imitetur asia: Sit semper fuisse aliquem
cuius se similes esse vellent. Hanc igitur similitudi-
nem qui imitatione assequi volet tum exercitationibus
crebris atque magnis cum scribendo maxime persequatur.
quod si noster sulpitius faceret multo eius oratio es-
set pressior in qua nunc interdum ut in herbis rus-
tici solent dicere in summa ubertate inest luxu-
ries quedam que stilo depascenda est. Hic sul-
pitius me quidem inquit recte mones: idque mihi gratum
est: sed ne te quidem antoni multum scriptitasse ar-
bitror. Tum ille quasi vero inquit non ea precipiam
aliis que michi ipsi desunt: sed tamen ne tabulas
quidem conficere estimor. verum et in hoc ex re fami-
liari mea: et in illo ex eo quod dico quantulumque
est quod faciam iudicari potest. Atque esse tamen mul-
tos videmus qui neminem imitentur: et suapte natura
quod velint sine cuiusque similitudine consequantur:
quod in vobis animadverti recte potest Cesar et
cotta: quorum alter inusitatum nostris quidem oratoribus
leporem quendam: et sale alter acutissimum: et sub-
tilissimum dicendi genus est consecutus. Neque vero
inequalis curio pater mea sentencia vel eloquen-
tissimus: temporibus illis: quemque michi magnopere
videtur imitari: qui tamen verborum gravitate

Et elegancia et copia sua quandam expressit quasi formam
figuramque dicendi: quod ego maxime potui iudicare:
in ea causa qua ille contra me apud centum viros pro fra-
tribus cossis dixit. In qua nichil illi defuit quod non modo
copiosus: sed etiam sapiens orator habere deberet. Ve-
rum ut aliquando ad causas deducamus illum quem
constituimus et eas quidem in quibus plusculum negocii est
iudiciorum atque litium riserit aliquis fortasse hoc pre-
ceptum: est enim non tam acutum quam necessarium: ma-
gisque monitoris non fatui quam eruditi magistri: Hoc enim
primum precipiemus: quascumque causas erit acturus: ut
eas diligenter: penitusque cognoscat: Hoc in ludo non
precipietur. Faciles enim cause ad pueros deferuntur. Lex
peregrinum vetat in murum ascendere: ascendit: hos-
tes repulit: accusatur: nichil est negocii huiusmodi
causam cognoscere. Recte igitur nichil de causa
discenda precipiunt. Hec est enim in ludo causarum fere
formula. At vero in foro tabule: testimonia: pacta
conventa: stipulationes: cognationes: affinitates de-
creta: decreta: responsa: vita denique eorum qui in ca
versantur tota cognoscenda est. quarum rerum neglige-
tia plerasque causas et maxime privatas: sunt enim
multo sepe obscuriores: videmus amitti. Ita nonnul-
li dum operam ~~ere~~ suam multam existimari volunt:
ut toto foro volitare et a causa ad causam ire vide-
antur: causas dicunt incognitas in quo est illa quidem
magna offensio vel negligentie susceptis rebus: vel
perfidie receptis: sed etiam illa maior opinione: quod
nemo potest de ea re qua non novit vero turpissime
dicere. Ita dum inertie vituperationem que maior est contem-
nunt assequuntur etiam illam quam magis ipsi fugi-
unt tarditatis. Equidem soleo dare operam ut de
sua quisque re me ipse doceat et ut ne quis alius
assit: quo liberius loquatur et agere adversarii causam
ut ille agat suam: et quicquid de sua re cogitarit in
medium proferat. Itaque cum ille discessit tres per-
sonas unus sustineo: summa animi equitate.
meam: adversarii: iudicis: qui locus est talis ut plus
habeat adiumenti quam incommodi: hunc iudico esse dicen-
dum: ubi plus mali quam boni reperio id totum abiudico
atque reicio ita assequor ut alio tempore cogitem quid

Dictum: et alio dictum: que duo plerique ingenio freti sibi
statuit. Sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent si ad
sumendum sibi tempus ad excogitandum: aliud ad dicendum
putarent. Cum rem penitus causamque cognovi sta-
tim occurrit animo que sit causa ambigendi: nichil est enim
quod inter homines ambigatur: sive ex crimine causa constat
ut facinoris: sive ex controversia: ut hereditatis:
sive ex deliberatione: ut belli sive ex persona: ut laudis:
sive ex disputatione: ut de ratione vivendi: in quo non
aut quid [struck through] factum sit: aut fiat futurumque sit queratur
: aut quale aut quid vocetur. At vero fere cause que
quidem sunt criminum plerumque inficiatione defenduntur:
nam et de pecuniis repetundis: que maxime sunt negan-
da fere sunt omnia et de ambitu raro illud datur ut
possis liberalitatem atque benignitatem de ambitu atque
largitione seiungere. De sicariis: de veneficiis: de pe-
culatu inficiari necesse est. Id est igitur genus primum
causarum in iudiciis et controversia factis in delibera-
tionibus plerumque ex futuri: raro etiam existenti aut facti:
Sepe autem res non sit: nec ne: sed qualis sit queritur:
ut cum L. Opimii causam defendebat apud populum
audiente me. C. Carbo cos: nichil de C. Gracchi
nece negabat: sed id iure pro salute patrie factum
esse dicebat: ut eidem Carboni tribuno ple alia tum mente
rem p. capessenti. P. Africanus de Tiberio Graccho inter-
roganti responderat iure cesum videri. Iure autem
omnia defenduntur que sunt eius generis: ut aut
oportuerit: aut licuerit: aut necesse fuerit aut imprude-
nter: aut casu: facta esse videantur. Iam quid vocetur queritur
cum quo verbo quid appellandum sit contenditur ut
michi ipsi cum hac Sulpitio fuit in Norbani causa summa
contentio: pleraque enim de iis que ab isto obiicieba-
tur cum confiterer: tamen ab illo maiestatem minu-
tam negabam ex quo verbo lege Apuleia tota illa causa
pendebat. Atque in hoc genere causarum non nulli pre-
cipiunt ut verbum illud quod causam facit breviter
uterque diffiniat: quod michi quidem per quam puerile
videri solet. Alia est enim cum inter doctos homines
de iis ipsis rebus que versantur in artibus disputatur verbi
diffinitio: ut cum queritur quid sit ars quid sit lex: quid
sit civitas: in quibus hoc precipit ratio atque doctrina ut

Vis eius rei quam diffinias sic exprimat: ut neque absit quicquam
neque supersit: quod quidam in illa causa neque suscepit
fecit neque ego facere conatus sum: nam quantum verbis eam
potuit omni copia dicendi dilatavit quid esset maiesta-
tem minuere. Et enim diffinitio primum reprehenso verbo
uno aut addito aut dempto sepe extorquetur e manibus:
deinde de genere ipso doctrina redolet exercitationem quam
pene puerilem: tum et in sensum et in mentem iudicis
intrare non potest ante enim preterlabitur quam percepta
est. Sed in eo genere in quo quale sit quid ambigitur
existit etiam ex scripti interpretatione sepe contentio
in quo nulla potest esse nisi ex ambiguo controversia.
Nam illud ipsum cum scriptum a sententia discrepat:
genus quoddam habet ambigui: quod tum explicatur:
cum ea verba que desunt suggesta sunt: quibus
additis defenditur sententia scripti perspicua fuisse.
Ex contrariisque scriptis si quid ambigitur non novum
genus nascitur sed superioris generis causa dupli-
catur idque aut numquam diiudicari poterit: aut ita
diiudicabitur ut referendis preteritis verbis: id scrip-
tum quodcumque defendimus suppleatur. Ita fit ut unum
genus in iis causis que propter scriptum ambiguntur
relinquatur: si est scriptum aliquid ambigue. Ambi-
guorum autem cum plura genera sint que michi
videntur melius nosse qui dialectici appellantur. Hi
autem nostri ignorare quos non minus nosse debeant: tum
illud est frequentissimum in omni consuetudine vel ser-
monis vel scripti: cum idcirco aliquid ambigitur quod
aut verbum aut verba sint pretermissa. Iterum autem
peccant cum genus hoc causarum quod in scripti inter-
pretatione versatur: ab illis causis in quibus qualis
queque res sit disceptatur seiungunt. nusquam enim tam
queritur quale sit genus ipsum rei: quam in scripto quod
totum a facti controversia separatum est. Ita tria sunt
omnino genera que in disceptationem et controversiam
cadere possunt. quid fiat: factum: futurum ne sit: quale
sit aut quomodo nominetur: nam et illud quod quidam
greci adiungunt recte ne sit factum: totum in eo est
quod quale sit queritur. Sed iam ad institutum re-
vertar meum. Cum igitur accepto cause genere: et
cognito: rem tractare cepi: nichil prius constituo quam

Quid sit illud: quo michi referenda sit omnis illa oratio: que sit propria questionis et iudicii. Deinde illa duo diligentissime considero: quorum alterum commendationem habet nostram: aut eorum quos defendimus. alterum est accommodatum ad eorum animos apud quos dicimus ad id quod volumus commovendos. ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse que defendimus: ut conciliemus nobis eos qui audiunt: ut animos eorum ad quemcumque causa postulabit motum vocemus. Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum que non excogitantur ab oratore: sed in re posite ratione tractantur: ut tabule: testimonia: pacta: conventa: questiones: leges: senatus consulta: res iudicate: decreta: responsa: reliqua si que sunt: que non ab oratore pariuntur: sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur. Altera est que tota in disputatione et argumentatione oratoris collocata est: ita in superiore genere de tractandis argumentis in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est. Atque isti quidem qui docent: cum causas in plura genera secuerunt: singulis generibus argumentorum copiam suggerunt: quod etsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est ut simul ac posita sit causa: habeant quo se referant unde statim expedita possint argumenta depromere: tamen et tardi ingenii est rivulos consectari fontes rerum non videre et etatis est ususque nostri a capite quod velimus arcessere et unde omnia manant videre: et primum genus illud earum rerum que ad oratorem deferuntur meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. Nam et pro tabulis: et contra tabulas: et pro testibus et contra testes: pro questionibus et contra questiones: et item de ceteris rebus eiusdem generis: vel separatim dicere solemus: de genere universo: vel definite de singulis temporibus: hominibus: causis: quos quidem locos: vobis hoc Cotta et Sulpici dico: multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. Longum est enim nunc me explicare qua ratione aut confirmare: aut infirmare testes: tabulas: questiones oporteat. Hec sunt omnia ingenii vel mediocris exercitationis autem maxime artem quidem et precepta dumtaxat hactenus

Requirit: ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemque ia
que sunt alterius generis que tota ab oratore pariuntur
excogitationem non habent difficilem. explicationem magis
illustrem perpolitamque desiderant. Itaque cum hec duo no
bis querenda sint in causis primum quid deinde quo mo
dicamus: alterum quod totum arte intinctum videtur:
tam et si artem requirit: tamen prudentie est pene me
diocris: quid dicendum sit videre: alterum est in quo
oratoris vis illa divina virtusque cernitur ea que di
cende sunt ornate copiose varieque dicere. Quare il
lam partem superiorem quoniam semel vobis ita placuit non
recusabo quominus perpoliam atque conficiam: quantum
consequar vos iudicabitis: quibus ex locis ad eas tres
res que ad fidem faciendam sole valent ducatur oratio:
ut et concilientur animi et doceantur et moveantur. Hec
sunt enim tria: ea vero quemadmodum illustrentur:
presto est. qui omnes docere possit: qui hoc primum
in nostros mores induxit: qui maxime hausit qui solus
effecit. Namque ego catule: dicam enim non verens as
sentandi suspitionem neminem esse oratorem paulo illus
triorem arbitror: neque grecum neque latinum que etas nostra
tulerit: quem non et sepe tulerim et diligenter au
dierim. Itaque si quid est in me quod iam sperare videor
quoniam quidem vos his ingeniis homines tanti operis
michi ad audiendum datis: ex eo est quod nichil quisquam
umquam me audiente egit orator: quod non in memoria
mea penitus insederit. Atque ego his qui sum quantus
cumque sum ad iudicandum omnibus auditis oratoribus
sine ulla dubitatione: sic statuo et iudico: neminem
omnium tot et tanta quanta sunt in crasso habuisse orna
menta dicendi. Quamobrem si vos quoque hoc idem exis
timatis: non erit ut opinor iniqua partitio: si cum
ego hunc oratorem quem nunc fingo ut institui crea
ro: aluero: confirmaro: tradam eum crasso et vestien
dum et ornandum. Tum crassus tu vero inquit antoni perge
ut instituisti neque enim boni est neque liberalis parentis
que procrearit et eduxerit: eum non et vestire et or
nare presertim cum te locupletem esse negare non pos
sis. Quod enim ornamentum: que vis: qui animus
que dignitas illi oratori defuit qui in causa per
oranda non dubitavit excitare reum consularem et eius

Disoritare tuitatz et iuditibus tiatatrices aduersas seuis im-
peratoris ostendere qui idem hoc accusante sulpitio:
tum hominem seditiosum furiosumque defenderet: non
dubitauit seditiones ipsas ornare ac demonstrare gra-
uissimis verbis: multos sepe impetus populi non
iniustos esse quos prestare nemo possit. multas etiam
rei p. seditiones sepe esse factas vt cum reges essent
exacti tum tribunitia potestas esset constituta: illam nor-
bani seditionem ex luctu ciuium et cepionis odio qui ex-
ercitum amiserat: neque reprimi potuisse et iure esse con-
flatam. Potuit hic locus tam anceps: tam inaudi-
tus tam lubricus: tam nouus: sine quadam incredibili
vi ac facultate dicendi tractari. Quid ego de. Cn. ma-
manlii: quid de. Q. regis commiseratione dicam: quid
de aliis innumerabilibus in quibus non hoc maxime en-
ituit quod tibi omnes dant acumen quoddam singulare.
sed hec ipsa que nunc ad me delegare vis ea semper
in te eximia et prestantia fuerunt. Tum catulus ego
vero inquit in vobis hoc maxime admirari soleo: quod
cum inter vos dicendo dissimiles sitis: ita tamen vter-
que vestrum dicat ut ei nichil neque a natura denegatum
neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare cras-
se neque tu tua suauitate nos priuabis vt si quid ab an-
tonio aut pretermissum aut relictum sit non expli-
ces: neque te antoni si quid non dixeris existimabimus
non potuisse potius quam a crasso dici maluisse. Hic
crassus qui tu inquit antoni omittis ista que proposuisti
que nemo horum desiderat: quibus e locis
ea que dicenda sunt in causis reperiantur que quam-
quam a te nouo quodam modo pleraque dicuntur sunt tamen
et re faciliora et preceptis peruagata: illa de-
prome nobis vnde afferas que sepissime tractas
semperque diuinitus. Depromam equidem inquit antonius
et quo facilius id a te exigam quod peto: nichil tibi
a me postulanti recusabo. Mee totius in dicendo
orationis et istius ipsius facultatis qua modo crassus
in celum verbis extulit tres sunt rationes ut ante
dixi: vna conciliandorum hominum: altera docendorum:
tertia concitandorum. Harum trium partium: prima leni-
tatem orationis: secunda acumen: tertia vim desiderat.
Nam hoc necesse est ut his qui nobis causam adiudicaturus

Dit: aut inclinatione voluntatis propendeat in nos: aut defensionis argumentis adducatur: aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars in qua rerum inventio et explicatio ac defensio posita est: videtur omnem huius generis quasi doctrinam continere de ea primum loquemur: et pauca dicemus. Pauca enim sunt que usu iam tractata et animo quasi habere notata videamur: at tibi sapienter monenti Crasse libenter assentiemur ut singularum causarum defensiones quas solent magistri pueris tradere relinquamus: aperiamus autem ea capita: unde omnis omnes ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur. Neque enim quotiens verbum aliquod est scribendum: nobis totiens eius verbi littere sunt cogitatione conquirende. nec quotiens causa dicenda est: totiens ad eius ac cause seposita argumenta revolvi nos oportet: sed habere certos locos qui ut littere ad verbum scribendum: sic illi ad causam explicandam statim occurrant. Sed hii loci ei demum oratori prodesse possunt qui est versatus in rebus vel usu quem etas demum affert vel auditione et cogitatione: que studio et diligentia precurrit etatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris: quamvis acrem et acutum in cogitando quamvis ad pronunciandum expeditum: si erit idem in consuetudine civitatis: in exemplis institutis: in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes non multum ei loci proderunt illi ex quibus argumenta promuntur: subacto mihi ingenio opus est ut agro non semel arato sed novato et iterato: quo meliores fetus possit et grandiores edere subactio autem est usus auditio lectio littere. Ac primum naturam cause videat que numquam lateat: factum ne sit queratur an quale sit an quod nomen habeat: quo perfecto statim occurrit naturali quadam prudentia non his subductionibus quas isti docent: quid faciat causam idest quo sublato controversia stare non possit. deinde quid veniat in iudicium quod isti sic iubent querere. Interfecit Opimius Gracchum quid facit causam quod rei publice causa cum ex senatus consulto ad arma vocasset: hoc tolle: causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius Veniet igitur in iudicium: licuerit ne ex senatusconsulto servande rei publice causa. Perspicua sunt hec quidem

Et in vulgari scientia sita. Sed illa quedam que ab accu-
satore et defensore argumenta ad id quod in iudicium ve-
spectantia debeat afferri. Atque hic illud videndum est in quo
summus est error istorum magistrorum ad quos liberos
nostros mittimus: non quo hoc quidem ad dicendum magnopere
pertineat: sed tamen ut videatis quam sit genus hoc eorum
qui se eruditi videntur hebes atque impolitum. Constituunt enim
in partiendis orationum modis duo genera causarum. Unum
appellant in quo sine personis atque temporibus: de universo
genere queratur. alterum quod personis certis et tem-
poribus diffiniatur ignari omnes controversias ad universi
generis vim et naturam referri. Nam in ea ipsa causa
de qua ante dixi. nichil pertinet ad oratoris locos opimii
persona: nichil decii. De ipso enim universo genere
infinita questio est: num pena videatur esse afficiendus
qui civem ex senatusconsulto patrie conservande causa
interemerit: cum id per leges non liceret. Nulla denique est
causa in qua id quod in iudicium venit reorum personis
ac non generum ipsorum universa disputatione queratur.
Quin etiam in iis ipsis ubi de facto ambigitur ceperit
ne contra leges pecunias. p. decius argumenta et criminum
et defensionis revocentur oportet ad genus et ad naturam
universam: quod sumptuosus de luxuria: quod alieni appe-
tens: de avaricia: quod seditiosus de turbulentis et ma-
lis civibus: quod a multis arguitur de genere testium. Contra
que que pro reo dicentur: omnia necessario a tempore
atque homine ad communes rerum et generum summas
revolventur. Atque hec forsitan homini non omnia que sunt
in natura rerum celeriter animo comprehendenti: permulta
videantur que veniat in iudicium: cum quod de facto
queratur: sed tamen criminum est multitudo non defen-
sionum aut locorum infinita. Que vero cum de facto
non ambigitur queruntur: qualia sint ea si ex reis nume-
res et innumerabilia sunt et obscura: si ex rebus valde et
modica et illustria. Nam si mancini causam in uno mancino
ponimus quotienscunque is quem pater patratus dediderit:
receptus non erit: totiens causa nova nascetur: sin illa con-
troversia causam facit: videatur ne ei quem pater patratus
dediderit si is non sit receptus postliminium esse: nichil
ad artem dicendi nec ad argumenta defensionis man-
cini nomen pertinet. At si quid affert preterea hominis

Aut dignitas extra questionem est: et ea tamen ipsa oratio ad vniversi generis disputationem referatur necesse est. Nec ego non eo consilio disputo ut homines eruditos redarguam: quamquam reprehendendi sunt qui in genere diffiniendo istas causas describunt in personis et in temporibus positas esse. Nam et si incidunt tempora et persone: tamen intelligendum est non ex his sed ex genere questionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me. nullum enim nobis certamen cum istis esse debet: tantum satis est intelligi: ne hoc quidem eos consecutos quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt ut genera rerum discernerent eaque paulo subtilius explicarent. Verum hoc ut dixi nihil ad me. illud ad me: at multo etiam magis ad nos Cotta noster et Sulpiti: quo modo nunc se istorum artes habent pertimescenda est multitudo causarum est enim infinita si in personis ponitur: quot homines: tot cause. Sin ad generum vniversas questiones referentur ita modice et pauce sunt ut omnes eas diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope decantatas habere debeant: nisi forte existimatis a Manio Curio causam didicisse L. Crassum: et ea re multum attulisse: propterea quod postumo non nato: Curium tamen heredem Coponi esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum neque ad cause vim et naturam nomen Pomponii aut Curii pertinuit: in genere erat vniuerso rei negotiique non in tempore ac nominibus omnis questio: cum scriptum ita sit. Si mihi filius genitur isque prius moritur et cetera: tum mihi ille sit heres: si natus filius non sit: videaturne is qui filio mortuo institutus heres sit: heres esse perpetui iuris et vniuersi generis: questio non hominum nomina sed rationem dicendi et argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos iurisconsulti impediunt a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et in Bruti libris nominatim fere referri quid alicui de iure viro aut mulieri responderit: credo ut putaremus in hominibus non in re consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse: ut cum homines essent innumerabiles debilitati a iure cognoscendo voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiceremus. Sed hec Crassus aliquando nobis expediet et exponet descripta generatim. Est enim ne forte nescias heri

Nobis ille hoc catule pollicitus se ius civile quod nunc diffu-
sum et dissipatum est in certa genera coacturum: et ad
artem facile redacturum. Et quidem inquit catulus: haud
quaquam id est difficile crasso: qui et quod disci potuit de
iure vel arte describere vel ornate illustrare possit.
Ergo ista inquit antonius tum a crasso discemus: cum se
de turba et a subselliis in otium ut vt cogitat solitudinemque
contulerit. Iam id quidem sepe inquit catulus ex eo audi-
vi cum diceret sibi certum esse a iudiciis causisque discedere.
Sed ut ipsi soleo dicere non licebit: neque enim ipse auxi-
lium suum sepe a viris bonis frustra implorari patietur:
neque id equo animo feret civitas: que si voce .L. crassi ca-
rebit ornamento quodam sese spoliatam putabit. Nam
hercule inquit antonius: he si hec vera a catulo dicta
sunt: tibi mecum in eodem est pristino instituto crasse
vivendum. et istam oscitantem et dormitantem sapientiam sce-
volarum et ceterorum beatorum otio concedamus. Ar-
risit hic crassus leniter et pretexe modo inquit antoni
quod exorsus es: me tamen ista oscitans sapientia sic
atque ad eam confugero in libertatem vindicabit. Huius
quidem loci que modo sum exorsus hic est finis inquit
antonius quoniam intelligitur non in hominum innumerabi-
libus personis neque in infinita temporum varietate sed
in generum causis atque naturis omnia sita esse que
in dubium vocarentur. Genera autem esse definita non
solum numero sed etiam paucitate ut eam materiem ora-
tionis que cuiusque esset generis generis studiosi qui essent
dicendi omnibus locis descriptam instructam ornatamque
comprehenderent: rebus dico et sententiis ea vi
ut sua verba pariat que semper satis ornata michi
quidem videri solent: si eiusmodi sunt: ut ea res ipsa
peperisse videatur. At si verum queritis quod michi
quidem videatur: nichil enim aliud affirmare possum
nisi sententiam et opinionem meam: hoc instrumentum
causarum et generum communium in forum inferre de-
bemus: neque ut quecumque res delata ad nos erit: tum de-
mumque scrutari locos ex quibus argumenta eruamus: que
quidem omnibus qui ea mediocriter modo consideraverunt studio
adhibito et usu pertractata esse possunt. Sed tamen
animus referendus est ad ea capita et ad illos quos sepe iam
appellavi locos: ex quibus omnia ad omnem orationem inventa

Dicuntur. Atque hoc totum est siue artis: siue animad
uersionis: siue consuetudinis: nosse religiones intra
quas venire debeas et perversages quod queras. Ubi
cum locum omnem cogitatione sepseris si modo vsum
rerum percallueris: nichil te effugiet atque omne quod
erit in re occurret atque incidet et sic cum ad inveniē
dum in dicendo tria sint: acume: deinde racio: quam
licet si volumus appellemus artem: tertiu diligentia
non possum equidem non ingenio primas concede: sed
tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate inci
tat: diligentia inquam cum omnibus in rebus tum in causis de
fendendis plurimu valet. Hec precipue colenda est
nobis: hec semper adhibenda: hec nichil est quod
non assequatur: causa penitus quod initio dixi nota
sit. Diligentia est ut adversarium attente audiamus:
atque eius non solum sententias sed etiam verba omnia
excipiamus: vultus denique perspiciamus omnes: qui
sensus animi plerumque indicat: diligentia est id tamen
dissimulanter facere ne sibi ille aliquid proficere
videatur: prudentia est: deinde ut in his locis quos
proponam paulo post revoluatur animus ut penitus
insinuet in causam ut sit cura et cogitatione intentus
Diligentia est ut his rebus adhibeat tamquam lume
aliquod memoriam: ut vocem: ut vires: hec magna
sunt. Inter ingenium quidem et diligentia per
paululum loci reliquum est arti: ars demonstrat tantum
ubi queras: atque ubi sit illud quod studeas invenire.
Reliqua sunt in cura: attentione animi cogitatione:
vigilantia: assiduitate: labore complectar hoc uno
verbo: quo saepe iam usi sumus diligentia: qua una vir
tute virtutes relique continentur. Nam orationis qui
dem copia videmus ut habundant philosophi: qui ut opinor:
sed tu hec catule melius: nulla dant precepta dicen
di: nec idcirco minus quecumque res posita est suscipi
unt: de qua copiose et habundanter loquantur. Tum
catulus est inquit ut dicis antoni: ut plerique philosophi nulla
tradant precepta dicendi et habeat paratum: tamen
quid de quaque re dicant. Sed aristoteles is quem
maxime ego admiror posuit quosdam locos ex qui
bus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputa
tionem: sed etiam ad hanc orationem: qua in causis

Vtimur inveniret: a quo quidem homine iam diudum antoni
non aberrat oratio tua: siue tu similitudine illius divini
ingenii in eadem incurris vestigia: siue etiam illa ipsa le-
gisti atque didicisti: quod quidem michi magis verisimile vi-
detur plus enim te operae grecis dedisse rebus video quam pu-
taremus. Tum ille verum inquit ex me audies catule sed
ego existimam iocundiorem et probabiliorem huic populo
oratorem fore qui primum quam minimam artificii alicuius: de-
inde nullam grecarum rerum significationem daret. Atque
ego idem existimavi pecudis esse non hominis: cum
tantas res greci susciperent: profiterentur: agerent: se-
seque videndi res obscurissimas et bene vivendi et
copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur:
non admovere aurem et si palam audire eos non
auderes: ne minueres apud tuos cives auctoritatem
tuam. subauscultando tamen excipere voces eorum et pro-
cul quid narrarent attendere. Itaque feci catule et
istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.
Valde hercule inquit catulus timide tamquam ad aliquem
libidinis scopulum: sic tuam mentem ad philosophiam ap-
pulisti quam hec civitas aspernata numquam est. Nam
referta quondam italia pythagoreorum fuit tum cum
erat in hac gente magna grecia: ex quo etiam qui-
dam numam pompilium regem nostrum fuisse pythagore-
um ferunt: qui annis permultis ante fuit quam ipse py-
thagoras. quo etiam maior vir habendus est: cum
illam sapientiam constituende civitatis duobus prope
seculis ante cognovit: quia eam greci natam esse sen-
serunt: et certe non tulit ullos hec civitas aut gloria
clariores: aut auctoritate graviores aut humanitate
politiores. P. africano. C. Lelio. L. furio qui secum
eruditissimos homines ex grecia palam semper ha-
buerunt. Atque ego ex hiis sepe audivi cum diceret: per-
gratum atheniensis et sibi fecisse et multis principibus
civitatis quod cum ad senatum legatos de suis ma-
ximis rebus mitterent: tres illius etatis nobilissimos phi-
losophos misissent carneadem et critolaum et dioge-
nem. Ita eos cum rome essent et a se et ab aliis fre-
quenter auditos: quos tu cum haberes auctores anto-
ni miror cur philosophie sicut secius ille pacuvianus prope
bellum indixeris. Minime inquit antonius: ac si

Decrevi philozophari potius: ut ne optolemus apud
ennium paucis nam omnino haud placet. Sed tamen
hec est mea sententia quam videbar exposuisse. Ego
ista studia non improbo moderata modo sint. opinionem
istorum studiorum et suspitionem artificii apud eos qui
res iudicent oratori adversariam esse arbitror: immi-
nuit enim et ~~oratoris~~ oratoris auctoritatem et ora-
fidem. Sed ut eo revocetur unde huc declinavit oratio
ex tribus istis clarissimis philosophis quos romam venisse di-
xisti: vides ne diogenem fuisse qui diceret artem
se tradere bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi
: quam verbo greco dyalecticen appellaret. In hac ar-
te si modo est hec ars: nullum est preceptum quomodo
verum inveniatur: sed tantum est quomodo iudicetur. Nam
et omne quod eloquimur sic ut id aut esse dicamus aut non
esse et si simpliciter dictum sit suscipiunt dyalectici: ut
iudicent verum ne sit an falsum: et si coniuncte sit ela-
tum: et adiuncta sint alia: iudicent recte ne adiuncta
sint: et vera ne summa sit uniuscuiusque rationis: et
ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus et multa
querendo reperiunt: non modo ea que iam non possint
ipsi dissolvere: sed etiam quibus ante exorsa et po-
tius detecta prope retexantur. Hic nos igitur stoicus
iste nichil adiuvat quoniam quemadmodum inveniam
quid dicam non docet atque idem etiam impedit quod
et multa reperit que negat ullo modo posse dissolvi:
et genus sermonis affert non liquidum non fusum
ac profluens: sed exile aridum: concisum ac minu-
tum. Quod si quis probabit ita probabit ut oratori
tamen aptum non esse fateatur. Hec enim nostra oratio
multitudinis est auribus accomodanda ad oblectandos
animos: ad impellendos: ad ea probanda que non arti-
ficis statera: sed quadam populari trutina examinantur.
Quare istam artem totam dimittamus que in excogitan-
dis argumentis muta nimium est: in iudicandis nimium
loquax. Critolaum istum quem simul cum diogene
venisse commemoras: puto plus huic studio nostro pro-
desse potuisse: erat enim ab isto aristotele: a cuius
inventis tibi ego videor non longe aberrare: atque hunc
inter aristotelem cuius et illum legi librum: in quo
exposuit dicendi artem: omnium superiorum et illos in quibus

Ipse sua quedam de eadem arte dixit: et hos tymaros
hoc artis mytos: hoc michi visum est interesse: quod
ille eadem arte ment[illegible] que rem omnium vim naturamque
videat. Hec quoque aspexit que ad dicendi artem qua
ille despiciebat pertinebant: ~~habitauerunt~~ Illi autem qui
hoc solum colendum ducebant: habituerunt in hac
una ratione tractanda non eadem prudentia qua ille
sed usu in hoc uno genere studioque maiore. Carneadi
vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perque
esset optanda nobis: qui nullam umquam in illis suis dis-
putationibus rem defendit: quam non probarit: nullam
oppugnavit quam non everterit. Sed hoc maius est quod-
dam quam ab hiis qui hec tradunt et docent postulandum
sit. Ego autem si quem ~~hec tradunt~~ nunc plane rudem
institui ad dicendum velim: hiis potius tradam assiduis
uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus:
qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima
mansa ut aut nutrices infantibus pueris in os inse-
rant. Sin sit is qui et doctrina michi liberaliter insti-
tutus: et aliquo iam imbutus usu et satis acer ingenio
esse videatur: illuc eum rapiam ubi non seclusa aliqua
~~[illegible]~~ aquula teneatur: sed unde universum flumen
erumpat: qui illi sedes et quasi domicilia omnium argumen-
torum monstret et ea breviter illustret verbisque diffini-
at. Quid enim est in quo hereat: qui viderit omne
quod sumatur in oratione: aut ad probandum aut re-
fellendum aut in sua sumi vi atque natura: aut as-
sumi foris: ex sua vi cum aut res que sit tota queratur
aut pars eius: aut vocabulum quod habeat: aut
quippiam rem illam quod attingat: extrinsecus autem
cum ea que sunt foris neque herent in rei natura col-
liguntur. Si res tota queritur diffinitione universa vis
explicanda est: sic si maiestas est amplitudo ac dig-
nitas civitatis: is eam minuit qui exercitum hostibus
populi ro. tradidit: non qui eum qui id fecisset po-
puli ro. potestati tradidit. Sin pars partitione:
hoc modo aut senatui parendum de salute rei p. fuit
aut aliud consilium instituendum: aut sua sponte facien-
dum aliud consilium superbum sum arrogans: parendum
igitur fuit consilio senatus. Sin ex vocabulo ut carbo:
Si consul est: qui consulit patrie: quid aliud fecit opimius:

Sin ab eo qd rem attingat: plures sunt argumentorum sedes
ac loca. Nam et coniuncta queremus et genera et partes
generibus subiectas: et similitudines: et dissimilitudines:
et contraria et consequentia et consentanea et quasi pre
currentia et repugnantia et causas rerum investi-
gabimus: et ea que ex causis orta sunt: et maiora:
paria: minora queramus. Ex coniunctis sic argumenta
ducuntur: si pietati summa tribuenda laus est: de
betis moveri cum. Q. metellum tam pie lugere videatis.
Ex genere autem si magistratus in populi ro. esse ptate
debent: quid norbanum accusas: cuius tribunatus vo
luntati paruit civitatis. Ex parte autem ea que est
subiecta generi. si omnes qui rei. p. consulunt: cari
nobis esse debent: certe in primis imperatores: quorum
consiliis: virtute: periculis: retinemus et nostram salutem
et imperii dignitatem. Ex similitudine autem: si fere
partus suos diligunt qua nos in liberos nostros indul
gentia esse debemus. At ex dissimilitudine: si barbarorum
in diem vivere nostra consilia sempiternum tempus spec
tare debent. Atque utroque in genere et similitudinibus et
dissimilitudinibus exempla sunt et aliorum factis aut
dictis aut eventis et ficte narrationes sepe ponende.
Iam ex contrario si gracchus nefarie: preclare opimi
us. Ex consequentibus si et ferro interfectus ille et tu
inimicus et cum gladio cruento comprehensus in illo
ipso loco et nemo preter te ibi visus est et causa ne
mini et tu semper audax quid est quod de facinore
dubitare possimus. Ex consentaneis et precurrentibus
et ex repugnantibus ut olim crassus adolescens: non si
opimium defendisti carbo: id circo te isti bonum civem pu
tabant simulasse te et aliud quid quesisse perspicuum
est qd. Ti. gracchi mortem sepe in contionibus deplo
rasti: qd. p. africani necis socius fuisti: qd eam legem
in tribunatu tulisti: quod semper a bonis dissensisti.
Ex causis autem rerum sic avaritia si tollere vultis:
mater eius est tollenda luxuries. Ex iis autem que
sunt orta de causis: si erarii copiis et ad belli adiu
menta et ad ornamenta pacis utimur vectigalibus ser
viamus. Maiora autem et minora et paria sic ex ma
iore si bona existimatio divitiis prestat et pecunia
tantopere expetitur: quanto gloria magis expetenda

Est. Ex minore sic: Si parue consuetudinis causa huius
mortem fert tam familiariter: quid si ipse amasset:
quid hic michi faciet patri. Ex pari: Pari est eiusdem
et eripere contra rem publicam et largiri pecunias. Foris at
assumuntur ea que non sua vi: sed extranea sublevantur:
ut hec hoc verum est. Dixit enim Q. Lutatius: hoc
falsum est: habita enim questio est: hoc sequi necesse
est: recito enim tabulas de quo genere toto paulo ante
dixi. Hec ut brevissime dici potuerunt ita a me dicta
sunt. Ut enim si aurum tibi quod esset multifaria defos-
sum commonstrare vellem: satis esse deberet si signa et
notas ostenderem locorum: quibus cognitis ille ipse sibi
foderet et id quod vellet parvulo labore: nullo errore
inveniret: sic has ergo argumentorum novi notas: que il-
la michi querenti demonstrant ubi sunt: reliqua cura
et cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus
cuique causarum generi maxime conveniat: non est
artis exquisite prescribere: sed est mediocris ingenii
iudicare. Neque enim nunc id agimus ut artem aliquam
dicendi explicemus sed ut doctissimis hominibus usus nostri
quasi quedam monita tradamus. His igitur locis in mente
et cogitatione defixis et in omni re ad dicendum posita ex-
citatis: nichil erit quod oratorem effugere possit: non
modo in forensibus disceptationibus sed omnino in nullo genere
dicendi. Si vero assequitur ut talis videatur qualem
se videri velit: et animos eorum ita afficiat apud quos a-
get: ut eos quocumque velit vel trahere vel rapere pos-
sit nichil profecto preterea ad dicendum requiret. Iam
illud videmus nequaquam satis esse reperire quid dicas nisi
id inventum tractare possis. Tractatio autem varia
esse debet ne aut cognoscat artem qui audiat: aut defa-
tigetur similitudinis satietate. Proponi oportet quid
afferas: et quare id ita sit ostendere: et ex iisdem il-
locis interdum concludere relinquere alias: alioque
transire: sepe non proponere: at ratione ipsa deferenda
quid proponendum fuerit declarare. Si cui quid simile dicas
prius ut simile confirmes: deinde quod agitur adiun-
gas interpuncta argumentorum plerumque ut occulas: ne
quis ea numerare possit: ut re distinguatur: verbis
confusa esse videatur. Hec ut properans et apud doctos
et semidoctos ipse percurro. ut aliquando ad illa maiora

Veniamus. Nichil est enim in dicendo catule maius quam ut
faveat oratori is qui audiet: utique ipse sic moveatur ut
impetu quodam animi et perturbatione magis quam iudicio
aut consilio regatur. Plura enim multo homines iu-
dicant odio aut amore: aut cupiditate: aut iracundia:
aut dolore: aut leticia: aut spe: aut timore: aut errore:
aut aliqua permotione mentis: quam veritate: aut pre-
scripto: aut iuris norma aliqua: aut iudicii formula: aut
legibus: quare nisi quid vobis aliud placet ad illa per-
gamus. Paulum inquit catulus etiam nunc deesse vi-
detur hiis rebus antoni quas exposuisti: quod sit tibi
ante explicandum quam illuc proficiscare quo te dicis
intendere. Quidnam inquit. Qui ordo tibi placeat
inquit catulus et que dispositio argumentorum: in qua
tu michi semper deus videri soles. Vide quam sim inquit
deus in isto genere catule: non hercule nisi michi ad-
monito venisset in mentem: ut possis existimare me in
ea in quibus nonnumquam aliquid efficere videor usu solere
in dicendo vel casu potius incurrere. Ac res quidem
ista quam ego quia non noram: sic tamquam ignoratum
hominem preteribam tantum potest in dicendo: ut ad
vincendum nulla plus possit. Sed tamen michi videris
ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum
rerum requisisse: Nam si ego omnem vim oratoris
in argumentis et in re ipsa per se comprobanda po-
suissem tempus esset iam de ordine argumentorum et de
collocatione aliquid dicere. Sed cum tria sint a me
proposita: de uno dictum: cum de duobus reliquis dixero
tum erit denique de disponenda tota ratione querendum.
Valet igitur multum ad dicendum probari mores et
instituta et facta et vitam eorum qui agent causas
et eorum pro quibus et item probari adversariorum
animosque eorum apud quos agitur conciliari quam ma-
xime ad benivolenciam: tum erga oratorem: tum erga
illum pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi
dignitate hominis: rebus gestis: existimatione vite: que
facilius ornari possunt si modo sunt quam fingi si nulla sunt.
Sed hec adiuvant in oratore: lenitas vocis vultus: pu-
doris significatio: verborum comitas: si quid persequare
acrius ut invitus et coactus facere videare: facilitatis:
liberalitatis: mansuetudinis: pietatis: grati animi no

Appetentis: non avidi: signa proferre perutile est: eaque omnia
que proborum demissorum non acrium: non pertinacium:
non litigiosorum: non acerborum: sunt: valde beni-
volenciam conciliant abalienantque ab iis in quibus hec
sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario con-
ferenda. Sed genus hoc totum orationis in iis causis excel-
let in quibus minus potest inflamari animus iudicis acri
et vehementi quadam incitatione: non enim semper for-
tis oratio queritur: sed sepe placida: summissa: lenis: que
maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo
qui arguuntur sed omnes quorum de re disceptatur: sic enim
olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione:
iustos: integros: religiosos: timidos: perferentes iniuriarum:
mirum quiddam valet: et hoc vel in principiis vel in re
narranda vel in peroranda tantam habet vim si est suaviter
et cum sensu tractatum: ut sepe plus quam causa valeat:
tantum autem efficitur sensu quodam et ratione dicendi:
ut quasi mores oratoris effingat oratio: genere enim quodam
sententiarum et genere verborum: adhibita etiam actio-
ne leni facilitateque significandi efficitur ut probi ut bene
morati et boni viri esse videantur. Huic autem est illa
dispar adiuncta ratio orationis que alio quodam genere mentes
iudicum permovet impellitque: ut aut odiant aut diligant:
aut invideant: aut salvum velint: aut metuant: aut spe-
rent: aut cupiant: aut abhorreant: aut letentur: aut
mereant: aut misereantur: aut punire velint: aut
ad eos motus adducantur: si qui finitimi sunt et propinqui
his ac talibus animi perturbationibus. Atque illud optandum
est oratori ut aliquam permotionem animorum sua sponte
ipsi afferant ad causam iudices: ad id quod utilitas ora-
toris feret accommodatam. Facilius est enim currentem
ut aiunt incitare quam commovere languentem. Sin id aut
non erit: aut erit obscurius: sicut medico diligenti prius-
quam conetur egro adhibere medicinam: non solum morbus
eius cui mederi volet sed etiam consuetudo valentis et
natura corporis cognoscenda est: sic equidem aggre-
dior ancipitem causam et gravem: ad animos iudicum per-
tractandos omni mente in ea cogitatione curaque versor:
ut odorem quam sagacissime possim: quid sentiat quid exi-
stiment: quid expectent: quid velint: quo deduci oratione
facillime posse videantur. Si se dant ita et ut ante
dixi sua sponte quo impellimus inclinant atque propendent:

Accipio quod datur: et ad id unde aliquis flatus ostendi[tur]
vela do. Sin e integer quietusque iudex plus e operis:
sunt enim omnia dicendo excitanda: nichil adiuvante na-
Sed tantam vim habet illa que recte a bono poeta dicta
e flexanima atque omnium regina rerum oratio ut non modo inclina
tem erigere: aut stantem inclinare: sed etiam adver-
santem et repugnantem ut imperator fortis ac bonus
capere possit. Hec sunt enim illa que me ludens
crassus modo flagitabat cum a me divinitus tractari so-
lere diceret: et in causam. M. aquilij. C. que norbani
nonnullisque alijs quasi preclare acta laudaret. que
me hercule ego crasse cum a te tractantur in causis
horrere soleo: tanta vis animi: tantus impetus: tantus
dolor oculis: vultu: gestu: digito denique isto tuo signi-
ficari solet: tantum est flumen gravissimorum optimorum-
que verborum: tam integre sententie tam vere: tam
nove: tam sine pigmentis fucoque puerili: ut michi
non solum tu incendere iudicem sed ipse ardere vide-
aris Neque fieri potest ut doleat is qui audit ut oderit ut
invideat: ut pertimescat aliquid: ut ad fletum misericor-
diamque deducatur: nisi omnes ij motus quos orator
adhibere volet iudici: in ipso oratore impressi esse at-
que inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor susci-
piendus esset et si in eiusmodi genere orationis nichil
esset nisi falsum atque imitatione simulatum: maior ars
aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego quid tibi cras-
se quid ceteris accidat nescio: de me autem causa nulla
est cur apud homines prudentissimos atque amicissimos
mentiar: non me hercule unquam aut dolorem aut
misericordiam: aut invidiam: aut odium dicendo ex-
citare volui: quin ipse in commovendis iudicibus ijs ipsis
sensibus ad quos illos adducere vellem permoverer. Neque
enim facile est perficere ut irascatur cui tu velis iudex.
si tu ipse id lente ferre videare: neque ut oderit eum que
tu velis nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit: neque
ad misericordiam adducetur: nisi ei tu signa doloris tui
verbis: sententijs: voce: vultu: collacrimatione de-
nique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis
ad exardescendum est que nisi admoto igni ignem
concipere possit: sic nulla mens e tam ad comprehen-
dendam vim oratoris parata: que possit incendi: n[isi]

Inflamatur ipse ad eam et ardens accesseris. At ne hoc
forte magnum ac mirabile esse videatur hominem totiens
irasci: totiens dolere: totiens omni motu animi concitari:
presertim in rebus alienis: magna vis est earum sentenciarum
locorumque quos agas tractesque dicendo: nil
ut opus sit simulacione et fallaciis. Ipsa enim natura
orationis eius que suscipitur ad aliorum animos permovendos
oratorem ipsum magis etiam quam quemquam eorum qui audiunt
permovet: et ne hoc in causis: in iudiciis: in amicorum peri-
culis: et in concursu hominum: in civitate: in foro accidere
miremur: cum agitur non solum ingenii nostri existimacio:
nam id esset levius quamquam cum professus sis id posse
facere quod pauci: ne id quidem neclegendum est: sed sunt
maiora multo fides: officium: diligentia: quibus rebus
adducti etiam cum alienissimos defendimus tamen eos
alienos si ipsi viri boni volumus haberi existimare non
possumus: sed ut dixi ne hoc in nobis mirum esse vide-
atur quid potest esse tam fictum quam scena: quam fabule: tamen
in hoc genere sepe ipse vidi cum ex persona michi ar-
dere oculi hominis histrionis viderentur: spondalia illa
dicentis segregare abs te ausus aut sine illo salamina
ingredi: neque paternum aspectum es veritus: nunquam
illum aspectum dicebat quin michi telamon iratus
furere luctu filii videretur: ut idem inflexa ad miserabilem
sonum voce que etate exacta indige liberum
lacerasti: orbasti: extinxisti: neque fratris necis: neque
eius gnati parvi: qui tibi in tutelam est traditus: flens
ac lugens dicere videbatur. Que si ille histrio cottidie
cum ageret: tamen recte agere sine dolore non
poterat: quid paciuum putatis in scribendo levi animo ac
remisso fuisse: fieri nullo modo potuit. Sepe enim
audivi poetam bonum neminem id quod a democrito et
platone in scriptis relictum esse dicunt sine inflam-
macione animorum existere posse: et sine quodam af-
flatu quasi furoris. Quare nolite existimare me ipsum
qui non heroum veteres casus fictosque luctus velim i-
mitari atque adumbrare dicendo neque actor sim aliene
persone: sed auctor mee cum michi . M . aquilius in civitate
retinendus esset que in illa causa peroranda fecerim
sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem
fuisse imperatorem ornatum a senatu ovantem in capitolium

Ascendisse meminisse: huic tum afflictum: debilitatum: merente: in summum discrimine adductum viderem: non prius sum conatus misericordiam aliis commovere quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem tum magnopere moveri iudices: cum excitavi mestum et sordidum senem: et cum ista feci que tu crasse laudas: non arte de qua quid loquar nescio. sed motu magno animi ac dolore: ut discinderem tunicam ut cicatrices ostenderem: cum C. marius merore orationis mee presens ac sedens multum lacrimis suis adiuvaret: cumque ego illum crebro appellans collegam et sibi commendarem: atque ipsum advocatum ad commune imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit hoc sine meis lacrimis: non sine dolore magno miseratio: omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio: quibus omnibus verbis que a me tum sunt habita sunt: si dolor abfuisset meus: non modo non miserabilis sed etiam irridenda fuisset oratio mea. Quapropter hoc vos doceo sulpici bonus ego videlicet atque eruditus magister ut in dicendo irasci ut dolere ut flere possitis. Quamquam te quidem quid hoc doceam qui in accusando sodali meo tantum incendium: non oratione solum: sed multo etiam magis vi et dolore et ardore animi concitaras: ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere: habueras enim tu omnia in causa superiora: vim: fugam: lapidationem: crudelitatem tribuniciam: in cepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas: deinde principem et senatus et civitatis. M. emilium lapide percussum esse constabat: vi pulsum ex templo. L. cottam et T. didium cum intercedere vellent rogationi nemo poterat negare. Accedebat ut hec tu adolescens pro re publica queri summa cum dignitate existimare: ego homo censorius vix satis honeste viderer seditiosum civem et in hominis consularis calamitate crudelem posse defendere. Erant optimi cives iudices virorum bonorum plenum forum: vix ut michi tenuis quedam venia daretur excusationis quod tamen eum defenderem: qui michi questor fuisset. Hic quid ego dicam me artem aliquam adhibuisse: quid fecerim narrabo: si placuerit vos meam defensionem in artis loco reponetis. Omnium seditionum genera vitia pericula: collegi: eamque orationem ex omni rei publice me

Temporum varietate repetiui conclusique ita ut dicerem
et si omnes semper moleste seditiones fuissent: iustas
tamen fuisse nonnullas et prope necessarias: tum illa que
modo crassus commemorabat egi: neque reges ex hac
ciuitate exigi: neque tribunos pl. creari: neque plebis-
citis totiens consularem potestatem minui: neque pro-
uocationem patronam illam ciuitatis ac vindicem liber-
tatis po. ro. dari sine nobilium dissensione potuisse. Ac
si ille seditiones saluti huic ciuitati fuissent: non con-
tinuo si quis motus populi factus esset id. C. norbano
in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum.
Quod si vnquam po. ro. concessum esset: iure concita-
tus videretur id quod docebam sepe esse concessum:
nullam illa causa iustiorem fuisse. Tum omnem ora-
tionem traduxi et conuerti in increpanda cepionis fuga:
in deplorandum interitum exercitus. Sic et eorum dolore
qui lugebant: suos oratione refricabam et animos equitum
ro. apud quos tum iudices causa agebatur ad Q. Ce-
pionis odium: quo erant ipsi propter iudicia abaliena-
ti renouabam atque reuocabam. Quod vbi sensi me
in possessione iudicii ac defensionis mee constitisse;
quod et populi beniuolentiam iam michi conciliarem:
cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam.
et iudicum animos totos vel calamitate ciuitatis vel
luctu ac desiderio propinquorum: vel odio proprio in Ce-
pionem ad causam nostram conuerteram: tunc admis-
cere huic generi orationis vehementi atque atroci genus
illud alterum de quo ante disputaui: lenitatis et
mansuetudinis cepi. me pro meo sodali qui michi in
liberum loco more maiorum esse deberet: et pro mea
omni fama prope fortunisque decernere: nichil michi
ad existimationem turpius nichil ad dolorem acerbius
accidere posse: quam si is qui sepe alienissimis a me sed
meis tamen ciuibus saluti existimarer fuisse sodali
meo auxilium ferre non potuisse. Petebam a iudicibus
vt illud etati mee ut honoribus: ut rebus gestis si
iusto: si pio dolore me esse affectum viderent: conce-
derent presertim si in aliis causis intellexissent
omnia me semper pro amicorum periculis: nichil vnquam
pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione
atque causa quod causa quod esse in arte positum videba

Ut de lege appuleia dicerem: ut quid esset minuere maiestatem
explicarem: per quam breviter perstrinxi atque attigi. His duabus
partibus orationis quarum altera commendationem habet: altera
concitationem: que minime preceptis artis sunt perpolite:
omnis est a me tum illa causa tractata ut et acerrimus in cepio-
nis invidia renovanda et in meis moribus erga meos neces-
sarios declarandis mansuetissimus viderer: ita magis
affectis animis iudicum quam doctis tua sulpici est a nobis tum
accusatio est victa. Hic sulpicius vere hercule inquit ista
commemoras: nam ego nichil umquam vidi quod tam e manibus
elaberetur: quam michi tum est collapsa illa causa. Cum enim
quemadmodum dixisti tibi ego non iudicium sed incendium
tradidissem: quod tuum principium dii immortales fuit? qui
timor? que dubitatio? quanta hesitatio tractusque verborum
? Ut illud initio quod tibi unum ad ignoscendum homines
dabant tenuisti: te pro homine pernecessario questore
dicere tuo: qua tibi primum munisti ad te audiendum viam.
Ecce autem cum te nichil aliud profecisse arbitrarer nisi
ut homines tibi civem improbum defendenti ignoscendum propter
necessitudinem arbitrarentur serpere occulte cepisti: nil
dum aliis suspicantibus: me vero iam pertimescente: ut il-
lam non norbani seditionem: sed illam populi romani iracundiam:
neque eam iniustam sed meritam ac debitam fuisse defen-
deres. Deinde qui locus a te pretermissus est in cepionem:
ut tu illa omnia odio: invidia: misericordia: miscuisti.
Neque hec solum in defensione: sed etiam in scauro ce-
terisque meis testibus: quorum testimonia non refellendo:
sed ad eundem impetum populi confugiendo refutasti
que cum abs te modo commemorarentur: equidem nulla
precepta desiderabam: istam enim ipsam demonstrationem
defensionum tuarum abs te ipso commemoratam doctrinam
esse non mediocrem puto. Atqui si ita placet inquit antonius tra-
demus etiam que nos sequi in dicendo queque maxime
spectare solemus: docuit enim longa iam nos vita
ususque rerum maximarum: ut quibus rebus animi hominum
moverentur teneremus. Equidem primum considerare
soleo postulet ne causa: nam neque parvis in rebus
adhibende sunt he dicendi faces: neque ita animatis
hominibus ut nichil ad eorum mentes oratione flecten-
das proficere possimus: ne aut irrisione aut odio dig-
ni putemur: si aut tragedias agamus in nugis.

Aut concellere adoriamur ea que non possint commoueri.
Nam quoniam hec fere maxime sunt in iudicum ani
mis aut quicunque illi erunt apud quos agemus oratione
mollienda: amor: odium: iracundia: inuidia: misericor-
dia: spes: leticia: timor: molestia: sentimus amorem con-
ciliari: si id iure uideamur quod sit utile ipsis apud quos
agas defendere: si aut pro bonis uiris aut certe pro iis
qui illis boni atque utiles sint laborare. Namque hec
res amorem magis conciliat: illa uirtutis defensio cari-
tatem: plusque proficit si proponitur spes utilitatis future quam
preteriti beneficii commemoratio. Enitendum est ut os-
tendas in ea re quam defendas aut dignitatem inesse
aut utilitatem: eumque cui concilies hunc amorem signi-
fices: nihil ad utilitatem suam retulisse ac nihil
omnino fecisse causa sua. Inuidetur enim commodis
hominum ipsorum: studiis autem ipsorum ceteris commo-
dandi fauetur. Uidendumque hoc loco est ne quos ob
benefacta diligi uolemus eorum laudem atque gloriam
cui maxime inuideri solet nimis efferre uideamur.
Atque hisdem his ex locis et odium in alios struere
discemus et a nobis ac nostris dimouere eademque hec
genera tractanda sunt in iracundia: uel excitanda
uel sedanda. Nam si quod ipsis qui audiunt perniciosum
aut inutile sit id factum augeas: odium creatur: sin
quod aut in bonos uiros aut in eos quos minime quisque
debuerit: aut in rem publicam: tum excitatur: si non tam acer-
bum odium: tamen aut inuidie aut odii non dissimi-
lis offensio. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis
aut ex communibus: interior est ille proprius: sed hic quo-
que communis ad eandem similitudinem est perducendus.
Par atque una ratio est spei: leticie: molestie: sed haud
sciam an acerrimus longe sit omnium motus inuidie nec
minus uirium opus sit in ea comprimenda quam excitanda.
Inuident autem homines maxime paribus aut inferio-
ribus cum se relictos sentiunt: illos autem dolent e-
uolasse: sed etiam superioribus inuidetur: sepe uehe-
menter et eo magis si intolerantius se iactant et equabi-
litatem iuris prestantia dignitatis aut fortune sue
transeunt: que si inflamanda sunt: maxime dicendum
est non esse uirtute parata: deinde etiam uitiis atque
peccatis: tum si erunt hec honestiora atque grauiora:

Tamen non esse tanti illa merita quanta insolentia hominis
quantumque fastidium. Ad sedandum autem magno illa
labore magnis periculis esse parta: nec ad suum commo-
dum sed ad aliorum esse collata: se seque si quam gloriam
peperisse videatur: tamen et si ea non sit iniqua mer-
ces periculi: tamen ea delectari: totamque abicere atque
deponere. Omninoque perficiendum est: quoniam plerique sunt
invidi maximeque est hoc vitium pervagatum. Invi-
detur autem prestanti florentique fortune: ut hec opi-
nio minuatur: et illa excellens opinione fortuna cum
laboribus et miseriis permixta esse videatur. Iam mi-
sericordia movetur si is qui audit adduci potest ut il-
la que de altero deplorentur ad suas res revocet:
quas aut tulerit acerbas: aut timeat: aut intuens:
alium crebro ad se ipsum revertatur ita cum singuli casus
humanarum miseriarum graviter accipiuntur: si di-
cuntur: dolenter: tum afflicta et prostrata virtus ma-
xime luctuosa est. Et ut illa altera pars orationis
que probitatis commendatione boni viri debet speciem
tueri. lenis ut sepe iam dixi atque summissa: sic hec
que suscipitur ab oratore ad commutandos animos homi-
num atque omni ratione flectendos intenta ac vehemens
esse debet. Sed est quedam in his duobus generibus
quorum alterum lene: alterum vehemens esse volumus:
difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex
illa lenitate qua conciliamur: iis qui audiunt ad hanc
vim acerrimamque qua eosdem excitamus: influat oportet
aliquid: et ex hac vi non numquam animi aliquid in-
fluendum est illi lenitati. neque est ulla temperatior
oratio quam illa in qua asperitas contentionis oratoris
ipsius humanitate conditur. Remissio autem leni-
tatis quadam gravitate et contentione firmatur.
In utroque autem genere dicendi et illo in quo vis atque
contentio dicendi queritur et hoc quod ad vitam
et mores accommodatur et principia tarda sunt et exitus
tamen spissi et producti esse debent. Nam neque assi-
liendum statim est ad illud genus orationis: abest
enim totum a causa et homines prius illud ipsum quod
proprium sui iudicii est audire desiderant: nec cum in eam
rationem ingressus sis celeriter discedendum est. Non
enim sicut argumentum simul atque positum est arripitur.

Alterumque et tertium positur: ita misericordiam: aut
invidiam: aut iracundiam simul atque inciderint poss
commovere. Argumentum autem omnis ratio ipsa con-
firmat que simul atque emissa est adheresit. Illud autem
genus orationis non cognitionem iudicis sed magis pertur-
bationem requirit: que consequi nisi multa et varia
et copiosa oratione et simili contentione actionis ne-
mo potest. Quare qui aut breviter aut summisse
dicunt: docere iudicem possunt: commovere non possunt:
in quo sunt omnia. Iam illud perspicuum est omnium rerum
in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari
locis. Sed argumento resistendum est aut iis que
comprobandi eius causa sumuntur reprehendendis: aut
demonstrando id quod concludere illi velint non effici
ex propositis nec esse consequens aut si ita non refellas
afferendum est in contrariam partem quod sit gravius
aut eque grave. Illa autem que aut conciliationis
causa leniter: aut permotionis vehementer aguntur
contrariis commotionibus inferenda sunt: ut odio be-
nivolentia: misericordia invidia tollatur. Suavis autem
est et vehementer sepe utilis iocus et facetie: que
etiam si alia omnia tradi arte possunt: nature sunt
propria certe: neque ullam artem desiderant: in quibus
tu longe aliis mea sententia Cesar excellis: quo ma-
gis michi etiam testis esse potes: aut nullam esse ar-
tem salis aut si qua est eam tu nos potissimum docebis.
Ego vero inquit omni de re facetius puto esse ab homine
non inurbano quam de ipsis facetiis disputari: Itaque cum
quosdam grecos inscriptos libros esse vidissem de
ridiculis: non nullam in spem veneram posse me
aliquid ex istis discere: inveni autem ridicula et salsa
multa grecorum: nam et Siculi in eo genere et Rho-
dii: et Bizantii: et preter ceteros Attici excellunt:
sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque
tradere sic insulsi extiterunt ut nichil aliud eorum
nisi ipsa insulsitas rideatur. Quare michi nullo vi-
detur modo doctrina ista res posse tradi. Etenim
cum duo genera sint facetiarum: alterum equabi-
liter in omni sermone fusum: alterum peracutum
et breve: illa a veteribus superior cavillatio: hec altera
dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque

Res ipsa leue enim est totum hoc risum mouere:
Verumtamen ut dicis antoni multum in causis per-
sepe lepore et facetiis profici vidi. Sed cum in illo
genere perpetue festiuitatis ars non desideretur: natura
enim fingit homines: et creat imitatores et narrato-
res facetos: et vultu adiuuante et voce et ipso genere
sermonis. Tum vero in hoc altero dicacitatis: quid habet
ars loci cum ante illud facetum dictum emissum he-
rere debeat: quam cogitari potuisse videatur. Quid enim
hic meus frater ab arte adiuuari potuit cum a phi-
lippo interrogatus: quid latraret furem se videre res-
pondit. Quid in omni oratione crassus vel apud cen-
tum viros contra sceuolam: uel contra accusatorem
brutum: cum pro. CH. plancio diceret. Nam id quod
tu michi tribuis antoni: crasso est omnium sententia
concedendum. Non enim fere quisque reperiet preter
hunc in utroque genere leporis excellens: et illo quod
in perpetuitate sermonis et hoc quod in celeritate atque
dicto est. Nam hec perpetua contra sceuolam curiana
defensio tota redundat: hilaritate quadam et ioco:
dicta illa breuia non habuit. parcebat enim aduersarii
dignitati: in quo ipso seruabat suam: quod est hominibus
facetis et dicacibus difficillimum habere hominum rationem
et temporum: et ea que occurrant cum salsissime di-
ci possunt tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc
ipsum non insulse interpretantur: dicere enim aiunt
ennium flammam a sapiente facilius ore in ardenti
opprimi quam bona dicta teneat hec scilicet bona dicta
que salsa sint. nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.
Sed ut in sceuolam continuit ea crassus atque in illo alto
genere in quo nulli aculei contumeliarum inerant: causam
illam disputationemque lusit: sic in bruto quem oderat et quem
dignum contumelia iudicabat: utroque genere repug-
nabat quam multa de balneis: quas nuper ille vendiderat:
quam multa de amisso patrimonio dixit. Atque illa breuia cum
ille diceret se sine causa sudare: minime mirum: inquit modo
enim exiisti de balneis. Innumerabilia fuerunt eiusmo-
di: sed non minus iocunda illa perpetua. Cum enim bru-
tus duos lectores excitasset et alteri de colonia narbo-
nensi crassi orationem legendam dedisset: alteri de
lege seruilia: et cum contra inter se se de re p. capita

Contulissent: noster hic facetissime tres patris bruti de iure
civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo forte
evenit ut in privernati essemus brute testificatur pater se
tibi privernatum fundum reliquisse. Deinde ex libro secun-
do: in albano eramus ego et M. filius sapiens videlicet
homo cum primis nostre civitatis: norat hunc gurgitem me-
tuebat ne cum his nichil haberet: nichil esse ei relictum
putaretur: Tum ex libro tertio in quo finem scribendi fe-
cit: tot enim ut audivi scevolam dicere sunt veri bruti
libri in tiburti forte assedimus ego et M. filius ubi sunt
hi fundi brute: quos tibi pater publicis commentariis con-
signatos reliquit quod nisi puberem te inquit iam haberet:
quartum librum composuisset et se etiam in balneis
lotum cum filio scriptum reliquisset. Quis est igitur qui non
fateatur hoc lepore atque his facetiis non minus refu-
tandum esse brutum quam illis tragediis quas egit idem: c
mam in casu in eadem causa cum funere ferretur anus
iunia pro di immortales que fuit illa quanta vis quam
inexpectata: quam repentina cum coniectis oculis gestu
omni et imminenti summa gravitate et celeritate verborum
brute quid sedes quid illam anum patri nuntiare vis tuo:
quid illis omnibus quorum ymagines duci vides? quid
maioribus tuis quid L. bruto? qui hunc populum do-
minatu regio liberavit? quid facere cui rei: cui glorie:
cui virtuti studere? Patrimonio ne augendo? ad id
non est nobilitatis: sed fac esse: Nichil superest: libi-
dines totum dissipaverunt an in iure civili est pater-
num. Sed dices te cum edes venderes ne in ruptis qui-
dem et cesis solium tibi paternum recepisse: an rei mi-
litaris qui numquam castra videris? an eloquentie que nul-
la est vite? et quicquid est vocis et lingwe omne in istum
turpissimum calumnie questum contulisti: tu lucem aspicere
audes? tu hos intueri: tu in civium esse conspectu tu
in foro: tu in urbe: tu illam mortuam: tu ymagines
ipsas non perorrescis: quibus non modo imitandis sed nec
collocandis tibi ullum locum reliquisti? Sed hec tragi-
ta atque divina faceta autem et urbana innumerabilia
ex contentione meministis: nec enim maior contio fuit:
nec apud populum gravior oratio quam huius contra
collegam in censura nuper. neque lepore et festivi-
tate conditior. Quare tibi antoni utrumque assentior

Et multum facetias in dicendo prodesse sepe et eas ar-
te nulla posse tradi : et illud quidem admiror te nobis
in eo genere tribuisse tantum et non huius rei quoque
palmam et ceterarum crasso detulisse. Tum antonius
ego vero ita fecissem inquit nisi interdum in hoc cras-
so paululum inviderem : Nam esse quemvis facetum atque
salsum non nimis est per se ipsum invidendum. Sed
quod omnium sit venustissimus et urbanissimus omnium gra-
vissimum et severissimum et etiam videri quod isti contigit
uni : michi vix reddendum videbatur. Hic cum arrisis-
set ipse crassus : attamen inquit antonius cum artem
esse facetiarum ullam negares aperuisti quiddam quod
precipiendum videretur haberi enim dixisti rationem
oportere hominum : rei : temporis : ne quid iocus de gravita-
te decerperet. quod quidem in primis a crasso obser-
vari solet. Sed hoc preceptum pretermittendarum
est facetiarum quod his nichil opus sit. Nos autem
quo modo utamur cum opus sit querimus ut in adversa-
rium et maxime si eius stultitia poterit agitari in testem
stultum. cupidum levem si facile homines audituri vi-
debuntur omnino probabiliora sunt que lacessiti dicimus
quam que priores. Nam et ingenii celeritas maior est que
apparet in respondendo et humanitatis est responsio.
Videremur enim quieturi fuisse nisi essemus lacessiti
ut in ista ipsa contione nichil fere dictum est ab hoc quod
quidem facetius dictum videretur : quod non provocatus
responderit. Erat enim tanta gravitas in domitio : tan-
ta auctoritas : ut quod esset ab eo adiectum lepore
magis elevandum quam contione frangendum videretur. Tum
sulpicius quid igitur inquit patiemur cesarem : qui quamquam
crasso facetias concedit. tamen multo in eo studio ma-
gis elaborat non explicare nobis totum genus hoc io-
candi quale sit et unde ducatur presertim cum ta-
tam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fatea-
mur. Quid si inquit iulius assentior antonio dicenti
nullam artem esse salis. Hic cum sulpicius reticuisset
quasi vero inquit crassus horum ipsorum de quibus antonius
tam diu loquitur ars ulla sit : observatio que ista est
ut ipse dixit earum rerum que in dicendo valent que si
eloquentes facere posset quis esset non eloquens. Quis
enim hoc vel non facile vel certe aliquo modo posset

Ad dissere · Sed ego in his preceptis hanc vim et hanc uti-
litatem esse arbitror non ut ad reperiendum quod dicamus
arte ducamur : sed ut ea que natura · que studio · que
exercitatione consequimur : aut recta esse confidamus aut
parua intelligamus cum quo referenda sunt didice-
rimus · Quare cesar ego quoque hoc a te peto ut si tibi
videtur disputes de hoc toto iocandi genere quid sen-
tias ne qua forte dicendi pars quoniam ita voluisti in
hoc tali cetu atque in tam accurato sermone preterita
esse videatur · Ego vero inquit ille quoniam collectam
ad conviva crasse exigis non committam · ut si defugeri
tibi causam recusandi aliquam dem ; quamquam soleo sepe mi-
rari eorum impudentiam qui agunt in scena gestum
spectante roscio · Quis enim sese commovere potest : cuius
ille vitia non videat : sic ego nunc crasso audiente pri-
mum loquar de facetiis et docebo sus ut aiunt oratorem
eum quem cum catulus nuper audisset foenum alios
esse aiebat esse oportere · Tum ille iocabatur inquit
catulus presertim cum ita dicat ipse · ut ambrosia alen-
dus esse videatur · Verum te cesar audiamus : ut ad
antonii reliqua redeamus · Et antonius perpauca
mihi quidem restant inquit : Sed tamen defessus
iam labore atque itinere disputationis requiescam in
cesaris sermone quasi in aliquo peropportuno diversorio ·
Atqui inquit iulius non nimium liberale hospitium
meum dices : nam te in viam simul ac perpaulum
gustaris extrudam et eiciam · Ac ne diutius vos demo-
rer de omni isto genere quod sentiam perbreviter expo-
nam · De risu quinque sunt que querantur : Unum quid
sit · Alterum unde sit · Tertium sit ne oratoris risum
velle movere · Quartum quatenus · Quintum que sint
genera ridiculi · Atque illud primum quid sit ipse risus · quo
pacto concitetur · ubi sit · quomodo existat · atque ita re-
pente erumpat ut eum cupientes tenere nequeamus ·
et quo simul latera : os venas : oculos vultum occu-
pet viderit democritus · Neque enim ad hunc sermonem
hoc pertinet · et si pertineret nescire me tamen id
non puderet : quod ne ipsi quidem illi scirent qui polli-
cerentur · Locus autem et regio quasi ridiculi nam
id proxime queritur turpitudine et deformitate quadam
continetur · Hec enim ridentur vel sola vel maxime

Que notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.
Est autem ut ad istum tertium veniam est plane oratoris
movere risum: vel quod ipsa hilaritas benivolentiam
conciliat ei per quem excitata est: vel quod admirantur
omnes acumen uno sepe in verbo positum maxime res-
pondentis non numquam etiam lacessentis vel etiam fran-
git adversarium quod impedit quod levat: quod deterret:
quod refutat vel quod ipsum oratorem politum esse
hominem significat: quod eruditum: quod urbanum
maximeque quod tristiciam atque severitatem mitigat
et relaxat. Odiosasque res sepe quas argumentis di-
lui non facile est ioco risuque dissolvit. Quatenus
hec sint ridicula tractanda oratori quam diligenter
videndum est ad quod in quarto loco querendi posue-
ramus. Nam nec insignis improbitas et scelere vic-
ta nec risus miseria insignis agitata ridetur. facino-
rosos maiore quadam vi quam ridiculi vulnerari
volunt miseros illudi volunt nisi se forte iactant
Parcendum autem est maxime caritati hominum ne te-
mere in eos dicas qui diliguntur. Hec igitur ad-
hibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea
facilime luduntur que neque odio magno neque miseri-
cordia maxima digna sunt. Quamobrem materi-
es omnium ridiculorum est in istis vitiis que sunt in vita
hominum neque clarorum neque calamitosorum neque eorum qui
ob facinus ad suplicium rapiendi videntur: eaque belle
agitata ridentur. Est etiam deformitatis et corporis
vitiorum satis bella materies ad iocandum. Sed queri-
mus idem quod in ceteris rebus maxime querendum
est quatenus in quo non modo illud precipitur ne quid
insulse sed etiam si quid perridicule possis vitandum
est oratori utrumque ne aut scurrilis iocus sit aut mi-
micus. Que cuiusmodi sint facilius iam intelligi-
mus cum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.
Duo enim sunt genera facetiarum quorum alterum
re tractatur alterum dicto. re si quando id tamquam aliqua
fabella narratur ut olim tu crasse in memmium com-
modisse eum lacertum largii cum esset cum eo
terracine de amicula rixatus salsa tota: ac tamen a
te ipso ficta narratio addidisti clausulam. Tota ter-
racina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas

Tria. LLL. duo. MM. Cum quereres id quod esset
senem tibi quendam oppidanum dixisse lacerat lacer-
tum largii mordax memmius. Perspicitis hoc genus
quam sit facetum quam elegans quam oratorium sive habeas vere
quod narrare possis quod tamen est mendaciunculis asper-
gendum sive fingas. Est enim huius generis virtus
ut ita facta demonstres ut mores eius de quo narres
ut sermo ut vultus omnes exprimantur: ut his qui audi-
unt tum geri illa fieri que videantur. In re est item ridicu-
lum quod ex quadam depravata imitatione sumi solet.
ut idem Crassus per tuam nobilitatem per vestram fami-
liam. Quid aliud fuit in quo contio rideret nisi illa
vultus et vocis imitatio. Per tuas statuas vero cum dixit
et extento brachio paululum etiam de gestu addidit: ve-
hementius risimus. Ex hoc genere est Rosciana imitatio
senis: tibi ego antipho assero inquit senium est cum au-
dio. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum ut
cautissime tractandum sit. Mimorum est enim et etho-
logorum si nimia est imitatio sicut obscenitas. orator sur-
ripiat oportet imitationem ut is qui audiet cogitet plura
quam videat: prestet idem ingenuitatem et ruborem suum
verborum turpitudine et rerum obscenitate. Vitanda ergo
hec duo genera sunt eius ridiculi quod in re positum
est: que sunt propria perpetuarum facetiarum in quibus de-
scribuntur hominum mores et ita effinguntur ut aut
re narrata aliqua quales sint intelligantur aut imi-
tatione brevi iniecta in aliquo insigni ad irridendum
vitio reperiantur. In dicto autem ridiculum est id quod
verbi aut sententie quodam acumine movetur. Sed
ut in illo superiore genere vel narrationis vel imitationis
vitanda est et mimorum et ethologorum similitudo: sic in
hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est.
Quid igitur distinguemus a Crasso a Catulo et a
ceteris familiarem nostrum Granium aut Vargu-
lam amicum meum: non me hercule in mentem qui-
dem mihi venit. Sunt enim dicaces: Granio quidem
nemo dicacior. Hoc opinor primum ne quotienscumque
potuerit dictum dici necesse habeamus dicere. Pusillus
testis processit. Licet inquit rogare Philippum? Tum que-
sitor properans modo breviter. Hic ille non accusabis per-
pusillum. Rogabo ridicule est. Sed sedebat iudex L.

Nam si fieri brevior etiam quam testis ipse omnibus est risus in iudicem conversus visum est totum scurrile ridiculum. Ergo hec que cadere possunt in quos nolumus eciam sint bella: sunt tamen ipso genere scurrilia ut iste qui se vult dicacem et me hercule est appius. Sed non minus in hoc vicium scurrile delabitur. Cenabo inquit apud te lusco familiari meo. C. sextio. Vni enim locum esse video. Est hoc scurrile quidem et quod sine causa lacessivit: et tamen id dixit quod in omnes luscos conveniret ea quia meditata putantur esse: minus ridentur. Illud egregium sexti et ex tempore manus lava inquit et cena. Temporis igitur racio et ipsius dicacitatis moderacio et temperancia et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra: et quod nos cum causa dicimus non ut ridiculi videamur: sed ut proficiamus aliquid ut illi totum diem et sine causa. Quid enim est vargula assecutus cum eum candidatus A. sempronius cum M. suo fratre complexus esset puer abige muscas. risum quesivit. qui est mea sententia vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi prudencia et gravitate moderabimur. quarum utinam artem aliquam haberemus: sed domina natura est. Nunc exponamus genera ipsa summatim: que risum maxime moveant: Hec igitur sit prima particio quod facete dicitur. id alias in re habere. alias in verbo. facetiis maxime autem homines delectari si quando risus coniuncte re verboque moveatur. Sed hoc mementote quoscumque locos attingam unde ridicula ducantur ex hisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. tantum interest quod gravitas honestis in rebus severe iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur velut in hisdem verbis et laudare frugi servum possimus: et si nequam iocari. Ridiculum est illud neronianum vetus in furace servo solum esse cui domi nichil sit: nec obsignatum nec occlusum quod idem in bono servo dici solet: Sed hec hijsdem verbis ex hijsdem autem locis omnia nascuntur. nam quod. Sp. carvilio graviter claudicanti ex vulnere obrem p. accepto et ob eam causam verecundanti in publicum prodire. mater dixit quin prodis mi spuri ut quotienscumque gradum facies. totiens tibi tuarum virtutum veniat in mente. Preclarum et grave e quod calvino glaucia claudicanti ubi est vetus velut num

claudicat. At hic clodicat: hoc ridiculum est. et utrumque ex eo quod in claudicatione animaduerti potuit est dictum quod hoc nemo ignauius: seuere scipio. At in male olentem video me a te circumueniri subrutule philippus. At utrumque genus continet verbi ad litteram immutata similitudo ex ambiguo dicta uel argutissima putantur sed non semper in ioco. Sepe etiam grauitate versantur Africano illi maiori coronam sibi in conuiuio ad caput accomodanti cum ea sepius rumperetur. P. licinius uarus noli mirari inquit si non conuenit. caput enim magnum est. et laudabilem et honestam. At ex eodem genere est calui satis est quod dicit parum ne multa: Nullum genus est ioci quo non ex eodem seuera et grauia sumantur. Atque hoc etiam animaduertendum est non esse omnia ridicula facetia. Quid enim potest tam ridiculum quam sannio est. sed ore uultu imitandis moribus uoce denique ipso corpore ridetur salsum hunc posse dicere: atque ita ut non eiusmodi oratorem esse velim sed ut minimum. Quare primum genus hoc quod risum uel maxime mouet non est nostrum morosum superstitiosum gloriosum stultum nature ridentur ipse quas personas agitare solemus non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum. Sed nobis tantum licet furtim si quando et cursim. Alterum minime est liberale: Tertium oris deprauatio non digna nobis. Quartum obscenitatis non solum non foro digna sed vix conuiuio liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco facetie relique sunt que aut in re aut ut an diuise posite videntur esse: aut in verbo. nam quod quibuscumque verbis salem amittit in verbis habet leporem omnem. Ambigua sunt in primis acuta atque in verbo posita non in re. sed non sepe magnum risum mouent magis ut belle et litterate dicta laudantur: ut in illum titium: qui cum studiose pila luderet et idem signa sacra noctu frangere putaretur gregalesque cum in campum non venisset requirerent excusauit vespera terentius quod cum brachium dicitur ut illud affricani quod est apud lucilium quod decius nuculam an confixum: uis facere inquit ut tuus amicus cerasse quarum non esse sextantis. et si queritis is qui appellatur dicax hoc genere maxime excellet sed rursus mouet alia maiores ambiguum per seipsum probatur id quidem ut an dici uel maxime. Ingeniosi enim videtur vim verbi in aliud

At ceteri accipiant posse dicere admiracionem magis quam risum
movent, nisi si quando incidit in aliud genus: cum aliud
expectamus: aliud dicitur. Hic nobismetipsis noster error
risum movet: quod si admixtum est etiam ambiguum fit
salsius. ut apud nevium videtur esse misericors: ille qui
iudicatum duci videt percunctantur ita quanti addictus mille
nummum si addidisset tantummodo ducas: licet esset illud
genus ridiculi preter expectacionem: sed quia addidit nil
addo ducas licet addito altero genere ridiculi fuit ut
michi quidem videtur salsissimum: hoc tamen est venus-
tissimum cum in altercatione arripitur ab adversario verbum.
et ex eo ut a catulo in philippum in eum ipsum aliquid qui
lacessivit infligitur. Sed cum plura sint ambigui genera
de quibus est doctrina quedam subtilior attendere et au-
cupari verba oportebit in quibus ut ea que sint frigidio-
ra vitemus. Etenim cavendum ne arcessitum dictum
putetur per multa tamen acuta dicemus. Alterum genus
est quod habet parvam verbi inmutacionem quod in littera po-
situm greci notant. ut nobiliorem mobiliorem. Cato ut
videlicet cum quidam dixisset eamus de ambulatum et
ille quid opus fuit de immo vero quid opus fuit te. est
autem eiusdem responsio illa si tu et adversus et impudi-
cus es. et tamen interpretatio nominis habet acuminis
cum ad ridiculum convertas. Quamobrem ita quis vo-
cetur ut ego nuper numium divisorem ut neoptolemum
ad troiam, sic illum in campo martio nomen invenisse:
atque hec omnia verbo continentur: Sepe enim versus
facete interponitur: velud est vel paululum immutatus
aut aliqua pars versus. ut statius stauro stomacanti.
ex quo sunt nonnulli qui tuam legem de civitate natam
crasse dicant. st tacete quid hoc clamoris quibus nec
nec pater sit. tanta confidencia estis auferte istam
superbiam. nam in celio sane etiam ad causam utile
fuit tuum illum antoni cum ille a se pecuniam profectam
diceret testis et haberet filium delicatiorem: abeunte
iam ilo sentin senem esse tactum. xxx. minis. In hoc
genus coniciuntur proverbia ut illud scipionis cum asel-
lus omnes provincias stipendia merentem peragrasse
gloriaretur, agas asellum et cetera. Quare ea quoque
quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem
venustatem, non in re sed in verbis posita ducantur,

Est autem in verbo positum non insulsum genus ex eo cum ad verbum non ad sententiam rem accipere videare. Ex quo uno genere totus est tutor mimus vetus oppido ridiculus. Sed ab eo a mimis tantum generis huius ridiculi insignia aliqua et nota renotari volo. Est autem ex hoc genere illud quod tu crasse nuper ei qui rogasset: num tibi molestus esset futurus si ad te bene ante lucem venisset: tu vero inquis isti molestus non eris. In diebus igitur te inquit suscitari et tu certe negaras te molestum futurum. Ex eodem hoc vetus illud negarat quod est quod aiunt: malugmensem illum M. scipionem. quom ex centuria sua renuntiaret acidinum consulem: preconi dixisset dic de L. manlio virum bonum inquit egregiumque civem esse arbitror. Ridicule etiam illud. L. porcius nassica censori catoni cum ille ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule inquit ex mei sententia. Hec aut frigida sunt aut tum salsa cum aliud est expectatum: Natura enim ut ante dixi noster delectat error: ex quo cum quasi decepti sumus expectatione ridemus. In verbis illa etiam sunt que aut immutata oratione ducuntur aut ex unius verbi translatione: aut ex inversione verborum. Ex immutatione ut olim crassus cum legem ferret analem dissuasor M. servilius dic michi inquit. M. pinnari: num si contra te dixero michi maledicturus ut ceteris fecisti ut semetes feceris: ita metes inquit. Ex translatione autem ut cum scipio ille maior corinthiis statuam pollicentibus eo loco ubi aliorum esset imperatorum: turmales dixit displicere. Invertuntur autem verba ut crassus apud M. perpennam iudicem pro aculeone: cum diceret adesset contra aculeonem in gratidiano L. helvius lamia deformis ut nostis: qui cum interpellaret odiose audiamus inquit pulchellum puerum crassus cum esset ad risum. non potui michi inquit lamia formam ipse fingere: ingenium potui: Tum hic audiamus inquit disertum multo etiam ad risum est vehementius. Sunt etiam illa venusta ut in gravibus sententiis sic in facetiis. Dixi enim dudum materiem aliam esse ioci aliam severitatis. Generum autem et iocorum unam esse rationem. Ornant igitur in primis orationem verba relata contrarie quod idem genus est sepe etiam facetum. ut servius ille galba

Cum. L. scribonio medites. tr. p. ferret familiares suos
et dixisset libo quando tandem galba de tridinio suo exi-
bis: cum tu inquit de cubiculo alieno. A quo genere ne
illud quidem plurimum distat glaucia metello villam in
tiburte habes: cohortem in palatio: At verborum
quidem genera que essent faceta dixisse me puto rerum
plura sunt eaque magis ut dixi ante ridentur in quibus
est narratio res sane difficilis. Exprimenda enim sunt
et ponenda ante oculos ea que videantur et verisi-
milia: quod est proprium narrationis: et que sint quod
ridiculi proprium est subturpia: cuius exemplum ut
brevissimum sit sane illud quod ante posui crassi de
memmio. et ad hoc genus ascribamus etiam narra-
tiones apologorum: trahitur etiam aliquid ex historia ut
cum. Sex. titius se cassandram esse diceret multos inquit
antonius possum tuos aiaces oileos notare. Est etiam
ex similitudine. que aut conciliationem habet aut tan-
quam imaginem collationis ut ille gallus olim testis
in pisonem: cum innumerabilem magio prefecto pecu-
niam dixisset datam: idque scaurus tenuitatem magii re-
dargueret. Erras inquit scaure. ego enim non magium
conservasse dico sed tanquam nudus nuces legeret in ventre
abstulisse ut illud. M. cicero senex huius viri optimi nostri
familiaris pater: nostros homines syrorum venalium
similes esse ut quisque optime grece sciret ita esse nequis-
simum. Valde autem ridentur etiam imagines que
fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis
ducuntur: cum similitudine turpioris ut meum illud in
helvium manciam iam ostendam cuiusmodi sis. Cum
ille ostende queso demonstravi digito pictum gallum in
mariano scuto cimbrico sub novis distortis eiecta lin-
gua buccis fluentibus. Risus est commotus nihil tam
mancie simile visum est ut cum tito pinario mentum
in dicendo intorquenti tum ut diceret si quid vellet si
nucem fregisset. Etiam illa que minuendi aut auge-
ndi causa incredibilem admirationem efferuntur. velud
tu crasse in contione ita sibi ipsum magnum videri me-
mini ut in forum descendens caput ad fornicem fa-
bii demitteret. Ex quo genere etiam est illud idem
quod scipio apud numantiam cum stomacharetur cum.
C. metello dixisse dicitur si quintum pareret mater eius

Asinum fuisse parituram. Arguta etiam significatio est
tum parua re et sepe verbo res obscura et latens illus-
tratur ut tum C. fabricio P. cornelius homo ut existimaretur
auarus et furax: sed egregie fortis et bonus imperator
gratias ageret: quod se inimicus consulem fecisset bello preser-
tim magno et graui: nichil est quod michi gratias agas
inquit si malui compilari quam venire. Ut asello affricanus
obicienti lustrum illud infelix noli inquit mirari enim
qui te ex erariis exemit. Lustrum condidit et thaurum
imolauit: tanta suspicio est ut religione ciuitatem ob-
strinxisse videatur mumius quod asellum ignominia
lauarit. Urbana etiam dissimulatio est tum alia dicun-
tur ac sentias: non illo genere de quo ante dixi gratia
dicas ut lamie crasso: sed tum toto genere orationis
seuere laudas cum aliter sentias ac loquere ut noster
sceuola septumulcio illi anagnino cum P. C. gracchi
capute erat aurum repensum: roganti ut se in asiam
prefectum duceret. quod tibi uis inquit insane tanta ma-
lorum est multitudo ciuium ut tibi ego hoc confirmem
si rome manseris te paucis annis ad maximas pecu-
nias esse venturum. In hoc genere fannius in anna-
libus suis affricanum hunc emilianum dicit fuisse et
eum greco verbo appellat ironia. Sed uti ferunt qui
melius hoc norunt socratem opinor in hac hyronia dis-
simulantiaque longe lepore et humanitate omnibus prestitis-
se. Genus est pelegans et cum grauitate salsum cumque
oratoriis dictionibus tum urbanis sermonibus accomoda-
tum et hercule omnia hec que a me de facetiis dispu-
tantur: non maiora forensium actionum quam sermonum
condimenta sunt. Itam quod ante catonem de multa
retulit ex quibus a me exempli causa multa ponuntur
per michi scitum videtur. C. publicium solitum dice-
re P. mummium quod uis tempori hominem esse. Sic profecto res
se habet nullum ut sit uite tempus in quo non deceat
leporem humanitatemque versari. Sed redeo ad cetera.
Est huic finitimum dissimulationi cum honesto verbo vi-
tiosa res appellatur ut cum affricanus censor tribu mo-
uebat eum centurionem qui in pauli pugna non affuerat:
cum ille se custodie causa diceret in castris remansisse:
quereretque cur ab eo notaretur non amo inquit nimium
diligentes. Acutum etiam illud est cum ex alterius oratione

Aliud excipias atque ille volt ut salinatori maximus tum
tarento amisso arce tum livius retinuisset: multaque
ex ea: prelia preclara fecisset cum aliquot post annos
maximus: id oppidum recepisset: rogaretque eum salina-
tor ut meminisset opera sua se tarentum recepisse: quidni
inquid meminerim numquam ego recepissem nisi tu amisisses.
Sunt etiam illa subabsurda sed eo ipso nomine sepe ri-
dicula non solum nimis per apposita sed etiam quodam-
modo nobis homo factus postquam rem habere cepit est
mortuus quid est tibi ista mulier: uxor similis medius
fidius. quam diu ad aquas fuit numquam est mortuus. Genus
hoc levius ut dixi mimicum: sed habet non numquam aliquid
etiam apud nos loci ut vel non stultus qui stulte cum sale
dicat aliquid ut tibi antonii mancia cum audisset te censorem:
a M. duronio de ambitu postulatum aliquando inquit tibi
tuum negotium agere licebit. Valde hec ridentur et
hercule omnia que a prudentibus quasi per dissimulationem
non intelligendi sub absurde salseque dicuntur. Ex quo
genere est etiam non videri intelligere quod intelligas
ut pontidius qualem existimas qui in ~~alt~~ adulterio repre-
henditur tardum existimo. Ut ego qui in delectu me-
tello cum excusationem oculorum a me non acciperet et
dixisset tu igitur nichil vides. Ego vero inquam a por-
ta esquilina video villam tuam: ut illud nasice qui cum
ad poetam ennium venisset eique ab hostio querenti en-
nium ancilla dixisset domi non esse: nasica sensit illam
domini iussu dixisse et illum intus esse. paucis post diebus
cum ad nassicam venisset ennius et eum a ianua quereret:
exclamat nassica se domi non esse. tum ennius quid ego non
cognosco vocem inquit tuam? hic nassica homo es im-
pudens: ego cum te quererem ancille tue credidi te do-
mi non esse. tu michi non credis ipsi? Est bellum illud
quoque ex quo is qui dixit irridetur in eo ipso genere
quo dixit ut cum quintus opimius consularis qui adoles-
centulus male audisset festivo homini egillo qui videretur
mollior nec esse dixisset. quid tu egilia mea quando ad
me venis cum tua colu et lana. Non pol inquit au-
deo. nam me ad famosas vetuit mater accedere: salsa
sunt etiam que habent suspitionem ridiculi abscondita
quo in genere est illud siculi cui cum familiaris quidam
quereretur quod diceret uxorem suam suspendisse

De de situ: amabo te inquit da michi de ista arbore quos se-
ram surculos. Ita in eodem genere est quod catulus dixit
cuidam oratori malo. qui cum in epilogo misericordiam se
movisse putaret postquam assedit rogavit hunc videretur ne
misericordiam movisse. At magnam quidem inquit ne-
minem enim puto esse tam durum cui non oratio tua mi-
visa seranda sit: Me quidem hercule valde illa movent stoma-
chosa et quasi submorosa ridicula: non cum a moroso dicuntur.
tum enim non sal sed natura ridetur. In quo ut michi
videtur persalsum illud est apud nevium: quid ploras pater
mirum ni cantem condempnatus sum: Huic generi
quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti
ut cum cato percussus esset ab eo qui arcam ferebat:
cum ille diceret cave. rogavit num quid aliud ferret preter
arcam etiam stulticie salsa reprehensio ut ille siculus
cui pretor scipio patronum cause dabat hospitem suum
hominem nobilem sed admodum stultum. Queso inquit pre-
tor adversario meo da istum patronum deinde michi ne-
minem dederis: Movent illa etiam que coniectura expla-
nantur longe aliter atque sunt sed acute atque concinne ut
cum scaurus accusaret rutilium ambitus cum ipse esset
consul factus ille repulsam tulisset et in eius tabulis
ostenderet litteras. A.F.P.R. idque diceret esse actum fi-
de .P. rutilii. Rutilius autem ante factum post relatum.
C. cannius eques ro. cum rufo adesset exclamat neutrum
illis litteris declarari. Quid ergo inquit emilius fecit plecti-
tur rutilius. Ridentur et discrepancia quid huic abest
nisi res et virtus. Bella etiam est familiaris reprehensio
quasi errantis ut cum obiurgavit albius granius quod
cum eius tabulis quiddam ab albucio probatum videretur
et valde absoluto scevola gauderet neque intelligeret contra
suas tabulas esse iudicatum. Huic similis est etiam ad-
monitio in consilio dando familiaris ut cum patrono
malo cum vocem in dicendo obtudisset suadebat granius
ut mulsum frigidum biberet: simul ac domum redisset:
Perdam inquit vocem si id fecero melius est inquit
quam reum. Bellum etiam est cum quid cuique sit consenta-
neum dicitur ut cum scaurus non nullam haberet invi-
diam ex eo quod frigionis pompei locupletis hominis bona
sine testamento possederat sederetque advocatus reo bes-
tie cum funus quoddam duceretur. accusator. C. Memmius

Vide inquit · Scaure mortuus rapitur si potes esse pos-
sessor · Sed ex hiis omnibus nichil magis videtur quam quod e
preter expectationem cuius innumerabilia sunt exempla
vel appii maioris illius qui in senatu cum ageretur de
agris publicis et de lege thoria et premeretur Lucili-
us ab hiis qui a pectore eius depasci agros publicos et
de lege diceret : non est inquit Lucili pecus illud erratis :
defendere Lucillium videbatur · Ego liberum puto esse quod
libet pascitur · Placet etiam michi illud Scipionis illius
qui · T · Gracchum perculit cum ei · M · Flaccus multis probris
obiectis · P · Mucium iudicem tulisset eiero inquit iniquus
est cum esset admurmuratum · A inquit patres conscripti
non ego michi illum iniquum eiero verum omnibus · Ab hoc
vero Crasso nichil facetius cum lesisset testis Silus pi-
sonem quod se in eum audisse dixisset · Potest fieri inquit
Sile ut hic unde te audisse dicis iratus dixerit · Annuit
Silus potest esse ut tu non recte intellexeris id quoque toto ca-
pite annuit · ut se Crasso daret · potest etiam fieri inquit
ut omnino quod te audisse dicis nunquam audieris · Hoc ita
preter expectationem accidit ut testem omnium risus ob-
rueret huius generis plenus Novius est : locus est fa-
miliaris sapiens si algebis tremens et alia permul-
ta · Sepe etiam facete concedas adversario id ipsum quod
tibi ille detrahit ut · C · Lelius cum ei quidam malo genere
natus diceret indignum esse suis maioribus · At hercule
inquit tu tuis dignus : Sepe etiam sententiose sed ridi-
cula dicuntur ut · M · Cincius quo die legem de donis et mu-
neribus tulit cum · C · Cento prodiisset : ut emas inquit
Gai si uti velis · Sepe etiam salse que fieri non possunt
optantur · ut · M · Lepidus cum ceteris in campo exercenti-
bus in herba ipse recubuisset · Vellem hoc esset inquit labo-
rare · Salsum est etiam querentibus et quasi percontantibus
lente respondere quod nolunt ut censor Lepidus cum · M ·
Antistio Pirgensi equum ademisset amicique cum vociferaren-
tur et quererent quid ille patri suo responderet cur ademptum
sibi equum diceret cum optimus colonus parcissimus mo-
destissimus frugalissimus esset · me istorum inquit nichil
credere : Colliguntur a grecis alia non nulla : execra-
tiones admirationes minationes · Sed hec ipsa nimis
michi videor multa in genere descripsisse · Nam illa que
verbi ratione et in continentur certa fere ac definita sunt

Que plerumque ut ante dixi laudari magis quam rideri solent:
Hec autem que sunt in re et ipsa sententia partibus innu-
merabilia generibus pauca. Expectationibus autem enim
decipiendis et naturis aliorum irridendis ipsorum ridi-
cule iudicandis et similitudine turpioris et dissimula-
tione et subabsurda dicendo stulta reprehendendo risus
monentur. Itaque imbuendus est is qui iocose volt dicere
quasi natura quadam apta ad hec genera et moribus
ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommode-
tur. Qui quidem quo severior est et tristior ut in te crasse.
Hec illa que dicuntur salsiora videri solent: Sed iam tu
antoni qui hoc diversorio sermonis tu libenter acquieturum
te esse dixisti tamquam in pontinum diverteris neque amenum
neque salubrem locum censeo ut satis diu te putes requies-
se. Et iter reliquum conficere pergas. Ego vero atque hi-
lare quidem a te acceptus inquit et cum doctior per te tum etiam
audatior factus sum ad iocandum. Non enim vereor ne
quis me in isto genere leviorem iam putet quoniam quidem
tu fabricios michi adductores et affricanos maximos:
catones: lepidos protulisti. Sed habetis ea que voluistis
audire et me de quibus quidem accuratius dicendum et
cogitandum fuit. Nam cetera faciliora sunt atque ex his
que iam dicta sunt reliqua nascuntur omnia. Ego enim
cum ad causam sum aggressus atque omnia cogitando quoad
facere potui persequutus. cum ad argumenta cause et eos
locos quibus iam iudicum conciliantur: et illos quibus permo-
ventur vidi atque cognovi: tum constituto quid habeat quaeque
causa boni: quid mali: nulla enim fere potest res in dicendi
disceptationem aut controversiam vocari que non habe-
at utrumque sed quantum habeat id refert: mea autem
ratio in dicendo hec esse solet ut boni quod habeat id am-
plectar: exornem: exaggerem: ibi commorer: ibi habitem:
ibi heream: a malo autem vitioque cause ita recedam: non
ut id me diffugere appareat. sed totum bono illo or-
nando et augendo dissimulatum obruatur. et si causa est
in argumentis firmissima queque maxima tueor sive plu-
ra sunt sive aliquod unum. Sin autem in conciliatione aut in
permotione causa est ad eam que potissimum partem que
maxime commovere animos hominum potest confero. Summa
denique huius generis oratio hec est aut si in refellendo
adversario firmior esse oratio quam in confirmandis nostris rebus

Potest omnia in illum conferam tela. Cum nostra probari
facilius quam illa redargui possint abducere animos a
contraria defensione et ad nostram conor traducere.
Denique illa que facillima videntur quoniam que diffi-
ciliora sunt non possum mihi pro meo iure sumo. V-
num ut molesto aut difficili argumento aut loco non
nunquam omnino nihil respondeam quod forsitan aliquis iure
inriserit. Quis enim quid id facere non possit. Sed tamen
ego de mea nunc de aliorum facultate disputo. Confiteor
quod me si qua premat res vehementius ita concedere so-
lere ut non modo non abiecto sed ne reiecto quidem scuto
fugere videar. Sed adhibere quandam in dicendo speciem
atque pompam ut pugne similem fugam consistere
vero in meo presidio sicut non fugientis hostis sed ca-
piendi loci causa cessisse videar. Alterum est illud quod
est ergo oratori maxime cavendum et providendum puto. quodque
me sollicitare summe solet non tam ut prosim causis ela-
borare soleo quam ut ne quid obsim. non quod enitendum sit in
utroque sed multo est turpius oratori nocuisse videri
cause quam non profuisse. Sed quid hoc loco vos inter
vos Catule? an hec ut sunt contemnenda contempnitis.
Minime inquit ille sed Cesar de isto ipso quiddam velle di-
cere videbatur. Me vero libente inquit Antonius dixerit
sive refellendi causa sive querendi. Tum Iulius ego me her-
cule inquit Antoni semper is fui qui de te oratore sic pre-
dicarem unum te in dicendo mihi videri tectissimum propriumque
hoc esse laudis tue nihil a te umquam esse dictum quod
obesset ei pro quo diceres. idque memoria teneo cum mihi
sermo cum hoc ipso Crasso multis audientibus esset in-
stitutus Crassusque pluribus verbis eloquentiam laudaret tuam
dixisse me cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam
quod non solum quod opus esset diceres sed etiam quod
non opus esset non diceres. Tum illum mihi respon-
disse memini cetera in te esse laudanda. Illud vero im-
probi esse hominis et perfidiosi dicere quare non sibi eum
non faceret videri: sed improbum quid faceret. Nunc
si tibi videtur Anthoni demonstres velim: quare tu hoc
ita magnum putes nihil in causa mali facere ut nihil
tibi in oratore maius esse videatur. Dicam equidem Ce-
sar inquit quid intelligam. Sed et tu et vos omnes hoc
inquit mementote non me de perfecti oratoris divinitate

Quadam loqui sed de exercitationis et consuetudinis mee
mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cuiusdam
est ingenii ac singularis mihi quidem portenti simile esse
visum est posse aliquem inveniri oratorem qui aliquid
male faceret dicendo et obesset ei quem defenderet: Facit
enim de se coniecturam cuius tanta vis ingenii est ut
neminem nisi consulto putet quod contra se ipsum sit dicere.
Sed ego non de prestanti quadam et eximia sed prope de vul-
gari et communi prudentia lingwa disputo. Ut apud gre-
cos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque
ingenii atheniensis ille fuisse themistocles ad quem
quidam doctus homo atque imprimis eruditus accessisse
dicitur ei artem memorie que tum primum proferebatur
pollicitum esse se traditurum: cum ille quesisset quid na
illa ars efficere posset dixisset illum doctorem ut
omnia meminisset et ei themistoclem respondisse: gratius
sibi dixisse illum esse facturum si se oblivisci que vellet quam
si meminisse docuisset. Videsne que vis in homine acer-
rimi ingenii quam potens et quanta mens fuerit: que ita
responderit ut intelligere possemus. nihil ex illius animo
quod semel esset infusum numquam effluere potuisse cum quidem
ei fuerit optabilius oblivisci posse potius quod meminisse
nollet quam quod semel audisset vidisset meminisset. Sed
neque propter hoc themistoclis responsum memorie nobis
opera danda non est neque illa mea cautio et timiditas
in causis propter prestantem prudentiam crassi negligenda
est. Uterque enim istorum non michi attulit aliqua sed
suam significavit facultatem: et enim per multa sunt
in causis in omni parte orationis circumspicienda: ne quid offen-
das: ne quo irruas: sepe aliquis testis aut non ledit aut
minus ledit: nisi lacessatur. Orat reus: urgent advo-
cati: ut invehamur: ut maledicamus: denique ut inter-
rogemus: Non moveor: non obtempero: non satisfa-
cio neque tamen ullam assequor laudem: homines enim
imperiti facilius quod stulte dixeris reprehendere: quam quod
sapienter tacueris laudare possunt. Hic quanti fit
mali si iratum: si non stultum, si non levem testem
leseris: habet enim voluntatem nocendi in iracundia
et vim in ingenio: et pondus in vita: nec si hoc cras-
sus non committit: ideo non multi et sepe committunt: quo
quidem michi videri turpius nichil solet: quam cum ex oratore

Dicto aliquo aut responso aut rogatu sermo ille sequitur:
occidit adversarium ne? Immo vero aiunt se et eum qui
defendit: Hoc crassus non putat nisi perfidia accidere
posse. Ego autem sepissime video in causis aliquid ma-
li facere homines minime malos: Quid illud quod sup-
ra dixi solere me concedere: ut et planius dicam: fugere
ea: que valde causam meam premerent cum id non
faciunt alii: versenturque in hostium castris ac sua pre-
sidia dimittunt: mediocriter ne causis nocent cum ad-
versariorum adiumenta confirmant: aut ea que sanare
nequeunt exulcerant? Quid cum personarum quas de-
fendunt rationem non habent? si que sunt in his invi-
diosa non mitigant extenuando: sed laudando et effe-
rendo invidiosiora faciunt? quantum est in eo tandem
mali? Quid si in homines caros iudicibusque iocundos
sine ulla premunitione orationis acerbius et contumelio-
sius invehare: nonne abs te iudices abalienes? Quid
si que vitia aut incommoda sunt in aliquo iudice uno
aut pluribus: ea tu in adversariis exprobrando non in-
telligas te in iudices invehi mediocre peccatum est? Quid
si cum pro altero dicas litem tuam facias: aut lesus ef-
ferare iracundia: causam relinquas: nihil ne noceas
? In quo ego non libententer male audiam: sed quia
ego causam non libenter relinquo nimium patiens
et lentus existimor: Ut tu te ipsum sulpici obiurgabam:
quod ministratorem peteres: non adversarium: Ex
quo etiam illud assequor: ut si quis michi male di-
cat petulans aut plane insanus esse videatur. In ip-
sis autem argumentis si quid posueris aut a parte falsum:
aut ei quod dixeris dicturusve sis contrarium: aut genere
ipso remotum ab usu iudiciorum ac foro: nihil ne no-
ceas? Quid multa? Omnis cura mea solet in hoc
versari semper: dicam enim sepius si possim: ut boni
efficiam aliquid dicendo: sin id minus: ut certe ne quid ma-
li. Itaque nunc illuc redeo catule in quo tu me paulo
ante laudabas: ad ordinem collocationemque rerum ac lo-
corum cuius ratio est duplex. Altera quam affert natura
causarum. Altera que oratorum iudicio et prudentia
comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus. deinde
ut rem exponamus: post ut eam probemus nostris pre-
sidiis confirmandis contrariis confutandis: deinde

Ut concludamus atque ita peroremus. Hoc dicendi genus
natura ipsa perscribit. Ut vero statuamus ea: que pro-
bandi: docendi: persuadendi causa dicenda sunt quemad-
modum componamus: id est vel maxime proprium orato-
ris prudentie. Multa enim occurrunt argumenta: multa
que in dicendo profutura videantur: sed eorum partim
ita levia sunt ut contempnenda sint: partim etiam si
quid habent adiumenti: neque tanti sit illud quod pro-
desse videatur. ut cum aliquo malo coniungatur: Que
autem sunt utilia atque firma: si ea tamen ut sepe fit
valde multa sint ea que ex his aut levissima sunt
aut aliis gravioribus consimilia: secerni arbitror opor-
tere atque ex oratione removeri. Equidem cum colligo ar-
gumenta causarum non tam ea numerare soleo quam ex-
pendere et quoniam quod sepe iam dixi tribus rebus
homines ad nostram sententiam perducimus: aut docendo:
aut conciliando: aut permovendo. Una ex omnibus his
rebus res pre nobis est ferenda: ut nihil aliud nisi
docere velle videamur: reliquae due sicuti sanguis
in corporibus: sic ille in perpetuis orationibus fuse esse debe-
bunt: Nam et principia et cetere partes orationis: de
quibus paulo post pauca dicemus: habere hanc vim
magnopere debent: ut ad eorum mentes apud quos a-
getur movendas permanere possint. Sed his partibus
orationis: que et si nihil docent argumentando: per-
suadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum.
quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo et in per-
orando. Digredi tamen ab eo quod posueris atque agas
permovendorum animorum causa sepe utile est. Itaque vel
narratione exposita sepe datur ad commovendos animos
digrediendi locus: vel argumentis confirmatis vel
contrariis refutatis: vel utroque: vel omnibus: si habet
eam causa dignitatem atque copiam: recte id fieri
potest. heque cause sunt ad agendum et ad ornandum
gravissime atque plenissime: que plurimos exitus dat
ad eiusmodi digressionem: ut his locis utiliceat: quibus
animorum impetus eorum qui audiunt aut impellantur
aut reflectantur: atque etiam in illo reprehendo eos
qui que minime firme sunt ea prima collocant. In
quo illos quoque errare arbitror: qui si quando id
quod michi numquam placuit plures adhibent patronos:

Ut in quoque eorum minimum putant esse ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat ut eorum expectationi qui audiunt quam celerrime occurratur: cui si initio satisfactum non sit: multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet que non statim ut dici cepta est: melior fieri videtur. Ergo ut in oratore optimus quisque est: sic in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur ut ea que excellunt serventur etiam ad perorandum si que erunt mediocria: Nam viciosis nusquam esse oportet locum: in mediam turbam atque in gregem coniciuntur. Hisce omnibus rebus consideratis: tum denique id quod primum est dicendum: postremo soleo cogitare quo utar exordio: Nam si quando id primum invenire volui nullum michi occurrit nisi aut exile aut nugatorium: aut vulgare: aut commune. Principia autem dicendi semper cum accurata acuta et instructa sententiis apta verbis: tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio oratoris in principio. queque continuo eum qui audit permulcere atque allicere debet: in qua admirari soleo non equidem istos qui nullam huic rei operam dederunt: sed hominem in primis disertum atque eruditum Philippum: qui ita solet ad dicendum surgere: ut quod primum verbum habiturus sit nesciat: et ait idem cum brachium concalefecerit: tunc se solere pugnare: Neque attendit eos ipsos. unde hoc simile ducat: illas primas iactare hastas ita leniter ut et venustati vel maxime serviant et reliquis viribus suis consulant: nec est dubium quin exordium dicendi vehemens et pugnax non sepe esse debeat. Sed in ipso illo gladiatorio vite certamine: quo ferro decernitur: tamen ante congressum multa fiunt: que non ad vulnus: sed ad speciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione spectandum: in qua non vis potius: sed delectatio postulatur: Nichil est denique in natura rerum omnium quod se universum profundat et quod totum repente evolet: Sic omnia: que fiunt queque aguntur acerrime lenioribus principiis natura ipsa pretexuit: Hec autem in dicendo non extrinsecus alicunde querenda: sed ex ipsis visceribus cause sumenda. Idcirco tota causa pertemptata ac perspecta: locis omnibus inventis atque instructis. considerandum est quo principio sit utendum

Sic et facile reperitur: sumetur enim ex his rebus que sunt uber-
rime vel in argumentis vel in his partibus ad quas dixi
sepe digredi oportere: ita et momenti aliquid afferent
tum erunt pene ex intima defensione deprompte: et apparebit
eas non modo esse communis: nec in alias causas posse trans-
ferri: sed penitus ex ea causa: que tum agatur effluxisse.
Omne autem principium aut rei totius que agetur signifi-
cationem habere debebit: aut aditum ad causam et mu-
nitionem: aut quoddam ornamentum et dignitatem. Sed
oportet ut edibus ac templis vestibula et aditus: sic causis
principia proportione rerum ponere. Itaque in parvis atque
frequentibus causis ab ipsa re est exordiri sepe commodius.
Sed cum erit utendum principio: quod plerumque erit aut ex
reo aut ex adversario: aut ex re: aut ex eis: apud quos
agitur sententias duci licebit. Ex reo: reos autem appel-
lo quorum res est: que significent virum bonum: que libe-
ralem: que calamitosum: que misericordia dignum: que
valeant contra falsam criminationem. Ex adversario eis-
dem ex his locis fere contraria. Ex re si crudelis: si nefan-
da: si preter opinionem: si immerito: si misera si ingrata:
si indigna: si nova si que restitui sanarique non possit.
Ex his autem apud quos agetur ut benivolos bene existi-
mantis efficiamus quod agendo melius efficitur quam ro-
gando: est id quidem in totam orationem confundendum:
nec minime in extrema sed tamen multa principia ex
eo genere gignuntur. Nam et attentum monent Greci
ut principio faciamus iudicem et docilem: que sunt uti-
lia: sed non principii magis propria quam reliquorum partium:
faciliora etiam in principiis quod et attenti tum maxime
sunt: cum omnia expectant et dociles magis initiis esse
possint. Illustriora enim sunt que in principiis quam que
in mediis causis dicuntur aut arguendo aut refellen-
do. Maxima autem copia principiorum ad iudicem et
alliciendum aut incitandum: ex his locis trahitur: qui
ad motus animorum conficiendos inerunt in causa: quos
tamen totos explicare in principio non oportebit: sed
tamen impelli iudicem primo leviter ut iam inclinato
reliqua incumbat oratio. Connexum autem ita sit
principium consequenti orationi ut non tamquam cithare-
di prohemium affictum aliquid: sed coherens
cum omni corpore membrum esse videatur. Nam

Non nulli tamen illud meditati ediderunt: si ad reliqua tran-
seunt: ut audientiam sibi fieri velle videantur. Atque eius-
modi illa prelusio debet esse: non ut samnitium qui vi-
brant hastas ante pugnas: quibus in pugnando nil
utuntur: sed ut ipsis sententiis quibus preluserint uel
pugnare possint. Narrare vero rem quod breviter
iubent: si brevitas appellanda est cum verbum nullum
redundet brevis est lucii crassi oratio. Si tum est brevi-
tas cum tantum verborum est quantum necesse est ali-
quando id opus est: sed sepe obest uel maxime in nar-
rando non solum quod obscuritatem affert: sed etiam
quod eam virtutem que narrationis est maxime et iocun-
da et ad persuadendum accomodata sit tollere videtur
illa. Nam is postquam excessit ex ephebis: quam longa est nar-
ratio. mores adolescentis ipsius et servilis percontatio:
mors crisidis: vultus et forma et lamentatio sororis:
reliqua per varie iocundeque narrantur. Quod si hanc
brevitatem quesisset: effertur: funus ad sepulchrum
venimus in ignem posita est: in his fere decem versi-
culis totum conficere potuisset: quamquam hoc ipsum effertur
et imus concisum est. ita. ut non brevitati servitum
sit: sed magis venustati. Quod si nihil fuisset nisi in
ignem posita est: tamen res tota cognosci facile po-
tuisset: sed et festivitatem habet narratio distincta
personis et interpuncta sermonibus: et est probabilius
quod gestum esse dicas cum quemadmodum actum sit
exponas: et multo apertius ad intelligendum fit si
constituitur aliquando at non ista brevitate percur-
ritur. Apertam enim narrationem tam esse opor-
tet quam ceteras sed hoc magis in hoc elaborandum quod
et difficilius est non esse obscurum in re narranda:
quam aut in principio aut in argumento aut in perorando
aut perorando. Et maiore periculo hec pars orationis
obscura est quam cetere: uel quia si quo alio in loco est dictum
obscurius tamen id periit: quod ita dictum est narratio
obscura tota obcecat orationem: uel quod alia possis semel
si obscurius dixeris dicere alio loco planius narratio-
nis unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio si
verbis usitatis: si ordine temporum conservato: si
non interrupte narrabitur. Sed quando utendum sit
aut non sit narratione: id est consilii: neque enim si nota

Res est: Nec si non dubium sit quid gestum sit narrari
oportet, Nec si adversarius narravit: nisi si refellemus.
Et si quando erit narrandum: nec illa que suspitionem
et crimen efficient contraque nos erunt acriter persequemur:
et quicquid poterit detrahamus: ne illud quod crassus si
quando fiat perfidia non stulticia fieri putat ut cause no-
ceamus accidat. Nam ad summam totius cause pertinet:
caute an contra demonstrata res sit: quod omnis orationis re-
lique fons est narratio. Sequitur ut causa ponatur in quo
videndum est quid in controversiam veniat. Tunc sug-
gerenda sunt firmamenta cause coniuncte: et infirman-
dis contrariis et tuis confirmandis. Namque una in causis
ratio quedam est eius orationis que ad probandam argu-
mentationem valet: ea autem et confirmationem et repre-
hensionem querit. Sed quia neque reprehendi que contra
dicuntur possunt nisi tua confirmes: neque hec confirmari
nisi illa reprehendendas ideo hec et natura et utilitate
et tractatione coniuncta sunt. Omnia autem concludenda
plerumque rebus augendis vel inflammando iudice vel
mitigando omnia que cum superioribus orationis plerumque
locis tum maxime extremo ad mentes iudicum quam maxime
permovendas et ad utilitatem nostram vocandas conferenda
sunt. Neque sane iam causa videtur esse: cur secernamus
ea precepta que de suasionibus tradenda sunt: aut
laudationibus: sunt enim pleraque communia: sed tamen
suadere aliquid dissuadere: gravissime mihi persone
videntur esse: Nam et sapientis est consilium explicare
suum de maximis rebus: et honesti et diserti: ut mente pro-
videre: autoritate probare: oratione persuadere pos-
sit: atque hec in senatu minore apparatu agenda sunt.
Sapiens enim est consilium multisque aliis dicendi relinquendus
locus: Vitanda etiam ingenii ostentationis suspitio. Con-
tio capit omnem vim orationis: et gravitatem varietate
que desiderat. Ergo in suadendo nichil est optabilius quam
dignitas: Nam qui utilitatem putat: non quod maxime
velit suasor: sed quod interdum magis sequatur videt.
Nemo est enim presertim in tam clara civitate: quin
putet expetendam maxime dignitatem sed vincit uti-
litas plerumque cum subest ille timor: ea neglecta: ne
dignitatem quidem posse retineri. Controversia autem
inter hominum sententias aut in illo est utrum sit utilius

Aut etiam cum id convenit. certatur utilitati potius an ho-
nestati consulendum sit. Que quia pugnare inter se
sepe videntur qui utilitatem defendit enumerabit commoda
pacis: opum: potentie: pecunie: vectigalium: pre-
sidii: militum: utilitates ceterarum rerum quarum fruc-
tum utilitate metimur. Itemque incommoda contrariorum:
qui ad dignitatem impellet maiorum exempla: que erat
vel cum periculo gloriosa colliget. posteritatis immorta-
lem gloriam: augebit utilitatem ex laude nasci defen-
det: semperque eam cum dignitate esse coniunctam. Sed
quid fieri possit an non possit quidque etiam sit necesse: aut
non sit in utraque re maxime est querendum. Inciditur
enim omnis deliberatio si intelligitur non posse fieri aut
si necessitas affertur et qui id docuit non videntibus
aliis: is plurimum vidit. Ad consilium autem de re p. dan-
dum caput est esse nosse rem p. Ad dicendum vero pro-
babiliter nosse mores civitatis qui quia crebro mutantur:
genus quoque orationis est sepe mutandum et quamquam una fere
vis est sepe eloquentie: tamen quia summa dignitas
est populi: gravissima causa rei p. maximi motus multi-
tudinis: genus quoque dicendi grandius quoddam et
illustrius esse adhibendum videtur: maximaque pars
orationis admovenda est ad animorum motus: non numquam
aut cohortatione aut commemoratione aliqua aut in spem
aut in metum aut ad cupiditatem aut ad gloriam conci-
tandos. Sepe etiam a temeritate: iracundia: spe: i-
niuria, invidia crudelitate revocandos. Fit autem ut quia
maxime quasi oratoris scena videatur contionis natura
ipsa adornatione dicendi genus excitetur. Habet enim
multitudo vim quandam talem ut quemadmodum tibicen
sine tibiis canere sic orator sine multitudine audiente
eloquens esse non possit: Et cum sint populares multi
varii que lapsus: vitanda est acclamatio adversa populi:
que aut orationis peccato aliquo excitatur: si aspere
si arroganter: si turpiter: si sordide: si quoquo animi
vitio dictum esse aliquid videatur aut hominum offen-
sione vel invidia: que aut iusta est: aut ex crimina-
tione atque fama: aut res si displicet aut si est in aliquo
motu sue cupiditatis aut motus multitudo. his his quatuor
causis totidem medicine opponuntur. Tum obiurgatio:
si est auctoritas: tum admonitio: quasi lenior obiurgatio:

Cum promissio si audierint probaturos: tu deprecatio: quod
est infirmum. Sed non minus utile non nullo loco plus
facetie prosunt et celeritas: et breve aliquod dictum:
nec sine dignitate et cum lepore: Nihil enim tam
facile: quam multitudo a tristitia et sepe ab acerbitate com
mode ac breviter et acute et hilare dicto deducitur.
Exposui fere ut potui vobis in utroque genere causarum
que sequi solerem que fugere que spectare: quaque omnino
in causis ratione versari: Nec illud tertium laudationis
genus est difficile quod ego initio quasi a preceptis nos
tris secreveram. Sed et quia multa sunt orationum ge
nera et maiores copie. de quibus nemo fere precipit:
et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus:
totum hunc segregabam locum. Ipsi enim greci magis
legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi: quam
utilitatis huius forensis causa: laudationes scriptitaverunt:
quorum sunt libri quibus themistocles: aristides: agesi
laus: epaminundas: philippus: alexander: alii laudantur:
Nostre laudationes quibus in foro utimur aut testimo
nii brevitatem habent nudam atque inornatam: aut
scribuntur ad funebre contionem: que ad orationis
laudem minime accomodata est. Sed tamen quoniam
est utendum aliquando: non nunquam etiam scribendum:
velut P. tuberoni africanum avunculum laudantis
scripsit C. lelius. Velut nosmet ipsi ornandi causa
grecorum more si quos velimus laudare possimus:
sit a nobis quoque tractatus is locus. Perspicuum est
igitur alia esse in homine optanda: alia laudanda
genus: forma: vires: opes: divitie: ceteraque que
fortuna det: aut extrinsecus aut corpori non habent
in se veram laudem: que deberi virtuti uni putatur.
Sed tamen quod ipsa virtus in earum rerum usu ac
moderatione maxime cernitur tractanda in lauda
tionibus etiam hec sunt nature et fortune bona in quibus
est summa laus non extulisse se in potestate non fuisse
insolentem in pecunia: non se pretulisse aliis propter
habundantiam fortune: ut opes et copie non super
bie videantur ac libidini: sed bonitati ac moderationi
facultatem et materiam dedisse. Virtus autem que est
per se ipsa laudabilis et sine qua nihil laudari potest:
tamen habet plures partes: quarum alia est ad laudationem

Aptior. Sunt enim alie virtutes: que videntur in moribus
hominum et quadam comunitate ac beneficentia posite.
Alie que ingenii aliqua facultate: aut animi magnitu-
dine: ac robore: Nam clementia: iustitia: benignitas:
fides: fortitudo in periculis comunibus iocunda est auditu
in laudationibus. Omnes enim he virtutes non tam ip-
sis qui ea in se habent: quam generi hominum fructuose puta-
tur. Sapientia et magnitudo animi qua omnes res
humane geruntur tenues et pro nichilo putant et
in excogitando vis quedam ingenii: et ipsa eloquentia
admirationis habet non minus: iocunditatis minus
ipsos enim magis videtur quos laudamus quam illos apud
quos laudamus ornare ac tueri. Sed tamen laudando
iungenda sunt etiam hec genera virtutum: ferunt enim
aures hominum: cum illa: que iocunda et grata: tum etiam
illa que mirabilia sunt in virtute laudari: et quoniam
singularum virtutum sunt certa quedam officia ac munera
et sua cuique virtutis laus propria debetur erit explicandum
in laude iustitie: quid cum fide: quid cum equalitate: quid
cum eiusmodi aliquo officio is qui laudabitur fecerit.
Itemque in ceteris res geste ad cuiusque virtutis genus et
vim et genus accomodabuntur: Gratissima autem
laus eorum factorum habetur: que suscepta videntur a
viris fortibus sine emolumento ac premio que vero
etiam cum labore et periculo ipsorum hec habent uber-
rimam copiam ad laudandum: quod et dici ornatissime
possunt et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse
videtur prestantis viri: que est fructuosa aliis. ipsi aut
laboriosa: aut periculosa: aut certe gratuita. Magna
etiam illa laus et admirabilis videri solet: tulisse
casus sapienter adversos: non fractum esse fortuna:
retinuisse in rebus asperis dignitatem. Neque tamen
illa non ornant habiti honores: decreta virtutis pre-
mia res gesta iudiciis hominum comprobate: in quibus
etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio
tribui. laudationis est. Sumende autem res erunt aut
magnitudine prestabiles: aut novitate prime: aut
genere ipso singulares: neque enim parue neque usitate
neque vulgares admiratione aut omnino laude digne
videri solent. Est etiam cum ceteris prestantibus
viris comparatio in laudatione preclara. De quo genere

Libitum michi est paulo plura quam ostenderam dicere: non
tam propter usum forensem: qui est a me in omni hoc
sermone tractatus: quam ut hoc videretis. si laudationes
essent in oratoris officio: quod nemo negat: oratori vir-
tutum omnium cognitionem: sine qua laudatio effici non
possit: esse necessariam. Iam vituperandi precepta con-
trariis ex vitiis sumenda esse perspicuum est. Simul est
illud ante oculos: nec bonum virum proprie et copiose
laudari sine virtutum nec improbum notari ac vituperari
sine vitiorum cognitione satis insigne atque aspere posse.
Atque his locis et laudandi et vituperandi sepe nobis est
utendum in omni genere causarum habetis de inven-
iendis rebus disponendisque quid sentiam: adiungam etiam
de memoria ut laborem Crassum levem: neque ei quic-
quam aliud de quo disserat relinquam nisi ea: quibus rebus
hec adornentur. Perge vero inquit Crassus: libenter enim
te cognitum iam artificem: aliquando evolutum illis
integumentis dissimulationis tue nudatumque perspicio.
Et quod michi nichil. aut quod non multum relinquis
percommode facis: estque michi gratum. Iam istuc quantum tibi
ego reliquerim inquit Antonius erit in tua potestate.
Si enim vere agere volueris: omnia tibi relinquo: si
dissimulare: tu quemadmodum his satisfacias videris.
Sed ut ad rem redeam non sum tanto ingenio quanto ego inquit
Themistocles fuit: ut oblivionis artem: quam memorie
malim: gratiamque habeo Symonidi illi Cio quem primum
ferunt artem memorie protulisse. Dicunt enim cum
cenaret Cranone: in Thessalia Symonides apud Sco-
pam fortunatum hominem et nobilem cecinissetque id
carmen quod in eum scripsisset: in quo multa ornandi
causa poetarum more in ~~c~~ Castorem scripta et Pol-
lucem fuissent: nimis illum sordide Symonidi dixisse
se dimidium eius ei quod pactus esset pro illo carmine
daturum: reliquum a suis Tyndaridis quos eque lau-
dasset peteret si ei videretur: paulo post esse ferunt nun-
tiatum Symonidi ut prodiret: iuvenes stare ad ianu-
am duos quosdam: qui eum magnopere vocarent:
surrexisse illum ipsum: prodisse: vidisse neminem: hoc
interim spatio conclave illud ubi epularetur Scopas
concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interis-
se: quos cum humare vellent sui nec possent obtritos

Internoscere nullo modo: Symonides dicitur ex eo quod
meminisset quo eorum loco quisque cubuisset demonstra-
torem uniuscuiusque fuisse. Hac tum re admonitus in-
venisse fertur ordinem esse maxime qui memorie
lumen afferret. Itaque iis qui hanc partem ingenii ex-
cerent locos esse capiendos et ea que maxime memoria
tenere vellent effingenda animo: atque in hiis locis col-
locanda: sic fore: ut ordinem rerum locorum ordo ser-
varet: res autem ipsas rerum effigies notaret. Atque
ut locis pro cera: simulacris pro literis uteremur. Qui
sit autem oratori memorie fructus: quanta utilitas:
quanta vis quid me attinet dicere? tenere que dedicieris
in accipienda causa que ipse cogitaris omnes fixas
esse in animo sententias: omnem descriptum verborum
apparatum: ita audire vel eum unde dicas: vel cui
tibi respondendum sit: ut illi non infundere in aures
tuas orationem: sed in animo videantur scribere. Ita-
que soli qui memoria vigent: quid et quatenus et quomodo
dicturi sint: cui responderint: quid supersit: idemque
multa ex aliis causis aliquando a se acta: multa
ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem
huius boni naturam esse principem sicut earum rerum
de quibus ante locutus sum omnium. Sed hec ars to-
ta dicendi sive artis imago quedam et similitudo est,
habet hanc vim: non ut totum aliquid: cuius in ingeniis
nostris pars nulla sit pariet et procreet: verum ut ea
que sunt orta iam in nobis et procreata educet atque
confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere
quisquam est ut non dispositis notatisque rebus ordinem
verborum atque sententiarum complectatur neque vero
tam hebeti ut nihil a consuetudine et exercitatione
adiuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simoni-
des: sive alius quis invenit: ea maxime animis ef-
fingi nostris que essent a sensu tradita atque impressa.
Acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sen-
sum videndi: quare facillime animo teneri posse
si ea que perciperentur auribus aut cogitatione etiam
oculorum commendatione animis traderentur: ut
res caecas et aspectus iudicio remotas confirmatio
quedam et imago et figura ita notaret ut ea que
cogitando complecti vix possemus: intuendo quasi

Teneremus. His autem formis atque corporibus: sic omnibus
que sub aspectum veniunt: sede opus est: et corpus intel-
ligi sine hoc loco non pot: quare ne in re nota et per
uulgata multus et insolens sim: locis est utendum multis
illustribus explicatis modicis intervallis. Imaginibus
aut in gentibus acriter insignitis que occurrere celeriterque
percutere animum possint. Quam facultatem et ex-
citatio dabit: ex qua consuetudo gignitur similium vocum
conservata et immutata casibus: aut traducta ex parte
ad genus notatio et unius verbi imagine totius sen-
tentie informatio pictoris cuiusdam summi ratione
et modo formarum varietate locos distinguentis: Sed
verborum memoria que minus est nobis necessaria ma-
iore imaginum varietate distinguitur. Multa enim sunt
verba que quasi articuli conectunt membra orationis: que
firmari similitudine nulla possunt: eorum fingende
sunt nobis imagines quibus semper utantur: rerum
memoria propria est oratoris: eam singulis personis
bene positis notare possimus ut sententias imagi-
nibus: ordinem locis comprehendamus. Neque verum
est quod ab inertibus dicitur opprimi memoriam imagi-
num pondere: et obscurari etiam id: quod per se na-
tura tenere potuisset. Vidi enim ego summos ho-
mines: et prope memoria athenis carneadem in
asia quem vivere hodie aiunt: sceptium metro-
dorum: quorum uterque tamquam litteris in cera sic se
aiebat imaginibus in his locis quos haberet que
meminisse vellet prescribere. Quare hac exerci-
tatione non eruenda memoria est: si est ulla na-
turalis sed certe si latet evocanda est. Habetis ser-
monem bene longum utinam non impudentis:
Illud quidem certe non nimis verecundi: qui quidem
tu te catule: tu etiam L. crasso audiente de dicen-
di ratione tam multa dixerim. Nam istorum etas
minus me fortasse movere debuit sed michi ignos-
cetis profecto: si modo queque causa me ad hanc inso-
litam michi loquacitatem impulerit acceperitis.
Nos vero inquit catulus: et enim pro me hoc et pro
meo fratre spondeo: non modo tibi ignoscimus: sed te
diligimus: magnamque habemus gratiam: et tu huma-
nitatem et facilitatem agnoscimus tua: tu admiram-

Istam scientiam et copiam. Equidem hoc me assequu-
tum puto: quod magno sum levatus errore et illa ad-
miratione liberatus: quod multis tu aliis semper admirari
solebam: unde esset illa tanta tua in causis divinitas:
nec enim te ista attigisse arbitrabar: que diligentissime
cognosse et undique collegisse: usuque doctumque partim cor-
rexisse video partim comprobasse: Neque eo minus
eloquentiam tuam: et multo magis virtutem et dili-
gentiam admiror et simul gaudeo iudicium animi mei
comprobari quod semper statui neminem sapientie laudem et
eloquentie sine summo studio et labore et doctrina
consequi posse. Sed tamen quidnam est id quod dixis-
ti fore ut tibi ignosceremus si cognosceremus que te
tum in sermone intulisset? Que est enim alia causa
nisi quod nobis horum adolescentum studio qui te at-
tentissime audierunt morem gerere voluisti: Tu
enim ille adimere inquit omnem recusationem cras-
so volui quem ego paulo sciebam vel pudentius
vel invitius: nolo enim dicere de tam suavi homine
fastidiosius ad hoc genus sermonis accedere: quid
enim poterit dicere? consularem se hominem et
censorium? eadem nostra causa est. An etatem affe-
ret? quadriennio minor est. An se nescire? que ego
sero que ego cursim arripui que subsicivis operis ut
aiunt: iste a puero summo studio: summis doctoribus:
nihil dicam de ingenio: cui par nemo fuit: et enim
me dicentem qui audierit nemo unquam tam sui despi-
ciens fuit: quin speraret aut melius aut eodem mo-
se posse dicere: Crasso dicente: nemo tam arrogans:
qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quam-
obrem ne frustra hi tales viri venerint: te aliquid
crasse audiamus. Tum ille ut ita ista esse concedam
inquit antoni que sunt longe secus: quid mihi tu
tandem hodie aut cuique homini: quod dici posset
reliquisti? Dicam enim vere amicissimi homines:
quod sentio: sepe ego doctos homines: quid dico sepe?
immo non nunquam: sepe enim qui potui: qui puer in
forum venerim: neque inde unquam diutius: quam questor
abfuerim: Sed tamen audivi: ut heri dicebam et
athenis cum essem doctissimos viros et in asia istum
ipsum sceptium metrodorum cum de his rebus disputaret:

Neque vero michi quisque copiosius umquam visus est neque subtilius in hoc genere dicendi: quam iste hodie esse versatus: quod si esset aliter et aliquid intelligerem ab antonio pretermissum: non essem tam inurbanus et pene inhumanus: uti eo graviter: quod cupere vos sentirem. Tum sulpicius: an ergo inquit oblitus es crasse antonium ita partitum esse tecum: ut ipse instrumentum oratoris exponeret: tibi eius distinctionem atque ornamentum relinqueret. Hic ille primum quis antonio permisit inquit: ut partes faceret: et utram vellet prior esse sumeret: deinde si ego recte intellexi: cum valde libenter audirem: michi coniuncte est nisus de utraque re dicere. Ille vero inquit cotta ornamenta orationis non attigit: neque eam laudem ex qua eloquentia nomen ipsum invenit. Verba igitur inquit crassus michi reliquit antonius: rem ipse sumpsit. Tum cesar si quid difficilius est id tibi reliquit: est nobis inquit causa cur te audire cupiamus: sin quod facilius: tibi causa non est: cur recuses. Et catulus: quid quod dixisti inquit crasse si hic hodie apud te maneremus te morem nobis esse gesturum: nichil ut ad fidem tuam putas pertinere. Tum cotta ridens possem tibi inquit crasse concedere sed vide ne quid catulus attulerit religionis: hoc censorum opus est: id autem committere vide quam sit homini turpe censorio inquit. Agite vero ille inquit ut vultis: sed nunc quidem: quoniam id temporis est surgendum censeo et requiescendum post meridie si ita vobis est commodum: loquemur aliquid: nisi forte in crastinum differre mavultis. Omnes se vel statim: vel si ipse post meridiem mallet quam primum tamen audire velle dixerunt. Et sic est finis 2i

Sequitur. Tercius: Liber

INSTITVENTI · MICHI · Q · FRATER · EVM · SERMONEM · REFERRE
et mandare huic tertio libro quem post
anthonii disputatonem crassus habuisset:
acerba sane recordatio: veterem animi
curam molestiamque renouauit. Nam
illud imortalitate dignum ingenium: illa
humanitas: illa virtus. L. crassi morte
extincta subito est: vixit diebus decem
post eum diem qui hoc et superiore libro
continetur. Ut enim romam rediit ex-
tremo scenicorum ludorum die vehementer
commotus: ea oratione que ferebatur habita esse in
contione a philippo quem dixisse constabat videndum
sibi esse aliud consilium: illo senatu se rem publicam regere
non posse: mane idibus septembribus. et ille et sena-
tus frequens uocatu drusi in curiam venit. Ibi cum
drusus multa de philippo questus esset: retulit ad se-
natum de illo ipso quod in eum ordinem consul tam
grauiter in contione esset inuectus. Hic ut sepe inter
homines sapientissimos constare uidi quamquam hoc crasso
cum aliquid accuratius dixisset semper fere contigis-
set: ut nunquam dixisse melius putaretur: tamen om-
nium consensu sic esse tum iudicatum ceteros a crasso
semper omnes illo autem die etiam ipsum a se se supera-
tum. Deplorauit enim casum atque orbitatem senatus
cuius ordinis a consule qui quasi parens bonus aut
tutor fidelis esse deberet: tamquam ab aliquo nefario pre-
done diriperetur patrimonium dignitatis. Neque vero
mirum esse mirandum si cum suis consiliis rem publicam profli-
gasset. consilium senatus rei publice repudiaret. Hic cum
homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resis-
tendum philippo quasi quasdam verborum faces admo-
uisset: non tulit ille: et grauiter exarsit pignoribusque ab-
latis crassum instituit cohercere. Quo quidem ipso in lo-
co multa a crasso diuinitus dicta efferebantur cum sibi
illum consulem esse negaret cui etiam senator ipse non
esset. An tu cum omnem auctoritatem vniuersi ordinis
propignore putares: eamque in conspectu populi romani conci-
deris me his existimas pignoribus posse terreri? non tu
illa sunt concedenda si L. crassum vis cohercere. Haec tibi

Est excidenda lingua qua vel evulsa spiritu ipso libidinem
tuam: libertas mea refutabit. Per multa tum vehemen
tissima contentione animi ingenii virium ab eo dicta esse
constabat: sententiamque eam quam senatus frequens
secutus est ornatissimis verbis ut populo romano satisfieret:
numquam senatus neque consilium rei publicae neque fidem defuisse
ab eo dictam: et eundem id quod in auctoritatibus prescriptis
extat: scribendo affuisse. Illa tamquam cignea fuit divini hominis
vox et oratio: quam quasi expectantes post eius inter
itum veniebamus in curiam ut vestigium illud ipsum in
quo ipse postremo institisset contueremur. Namque dum
latus eius doluisset sudoremque multum consecutum esse
audiebamus ex quo cum cohorruisset cum febri domum rediit
dieque septimo lateris dolore consumptus est. O falla
cem hominum spem fragilemque fortunam et inanes nostras
contentiones que in medio spatio sepe franguntur et
corruunt aut ante in ipso cursu obruuntur quam portum
conspicere potuerunt. Nam quamdiu Crassi fuit ambitio
nis labore vita distracta: tamdiu privatis magis of
ficiis et ingenii laude floruit: quam fructu amplitudinis
aut rei publicae dignitate. Qui autem annus ei primus ab
honorum perfunctione aditum omnium consensu ad sum
mam auctoritatem dabat: et eius omnem spem atque
omnia vite consilia morte pervertit. Fuit hoc luctuo
sum suis: acerbum patrie grave bonis omnibus. Sed ii
tamen rem publicam casus secuti sunt: ut michi non erepta
L. Crasso a diis immortalibus vita: sed donata mors esse
videatur. Non vidit flagrantem italiam bello: non
ardentem invidia senatum: non sceleris nefarii principes
civitatis reos non luctum filie: non exilium generi: non
acerbissimam C. marii fugam: non illam post reditum
eius cedem omnium crudelissimam: non denique in omni genere
deformatam eam civitatem: in qua ipse florentissima
multum omnibus gloria prestitisset. Et quoniam attigi co
gitatione vim varietatemque fortune non vagabitur
oratio mea longius atque eis ipsis definietur fere viris:
qui hoc sermone quem referre cepimus continentur. Quis
enim non iure beatam L. crassi mortem illam que
est a multis sepe defleta dixerit: cum horum ipsorum
sit: qui tum cum illo postremo fere collocuti sunt eventum
recordatus? Tenemus enim memoria Q. catulum

Virum omni laude prestantem cum sibi non incolumem
fortunam sed exilium et fugam deprecaretur esse coactum ut
vita se ipse privaret. Iam. M. antonii in eis ipsis rostris
in quibus ille rem p. constantissime consul defenderat
queque censor imperatoriis manubiis ornarat: positum
caput illud fuit a quo erant multorum civium capita
servata. Neque vero non longe ab eo. C. iulii caput
hospitis etrusci scelere proditum: cum. L. iulii fratris ca-
pite iacuit: ut ille qui hec non vidit et vixisse cum re
p. pariter et cum illa extinctus esse videatur. Neque
enim propinquum suum maximi animi virum. P. crassum
suapte interfectum manu: neque collegae sui pontificis
maximi sanguine simulachro veste respersum esse
vidit: quo merore: qua mente: ille in patria fuit. etiam
C. carbonis inimicissimi hominis eodem illo die mors
nefaria fuisset. Non vidit eorum ipsorum qui tum ado-
lescentes crasso se dicarat: horribiles miserosque ca-
sus: ex quibus. C. cotta quem ille florentem reliquerat
paucis diebus post mortem crassi depulsus per in-
vidiam tribunatu non multis ab eo tempore mensibus
eiectus est e civitate. Sulpitius autem qui in eadem in-
vidie flamma fuisset: quibuscum privatis coniunctissime
vixerat hos in tribunatu spoliare instituit omni dig-
nitate: cui quidem ad summam gloriam eloquentie flo-
rescenti: ferro erepta vita est: et pena temeritatis
non sine magno rei p. malo constituta. Ego vero te
crasse cum vite flore cum mortis oportunitate divi-
no consilio et ornatum et extinctum esse arbitror. Nam
tibi aut pro virtute animi constantiaque tua: civilis
ferri fuit subeunda crudelitas: aut si qua te fortuna
ab atrocitate mortis vendicasset: eadem esse te funerum
patrie spectatorem. neque solum tibi improborum dominatus
sed etiam propter admixtam civium cedem: bonorum vic-
toria merori fuisset. Michi quidem. Q. frater et eorum
casus de quibus ante dixi et ea que nosmetipsi ob a-
morem in rem. p. incredibilem et singularem pertulimus
ac sensimus cogitanti: sententia sepe tua vera ac
sapiens videri solet: qui propter tot tantosque casus
clarissimorum hominum atque optimorum virorum me
semper ab omni contentione ac dimicatione re-
vocasti. Sed quoniam hec iam neque in integro nobis

Esse possint et summi labores nostri magna compen
sati gloria mitigantur: pergamus ad ea solatia que
non modo sedatis molestiis iocunda: sed etiam heren
tibus salutaria nobis esse possint: sermonemque L. cras
si reliquum ac pene postremum memorie prodamus
atque ei et si nequaquam parem illius ingenio at pro nostro
tamen studio meritam gratiam debitamque referamus.
Neque enim est quisquam nostrum qui cum libros platonis
mirabiliter scriptos legit: in quibus omnibus fere socrates
exprimitur: quamquam illa scripta sunt divinitus: tamen
maius quiddam de illo de quo scripta sunt non suspicatur:
quod item nos postulamus non a te quidem qui nobis
omnia summa tribuis: sed a ceteris qui hec in manus
sumpserint: ut maius quiddam de L. crasso quam quantum
a nobis exprimetur suspicentur. Nos enim qui ipsi ser
moni non interfuissemus et quibus C. cotta tantummodo
locos ac sententias huius disputationis tradidisset: quo
in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus:
id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati.
Quod si quis erit qui ductus opinione vulgi aut antonium
ieiuniorem aut crassum pleniorem fuisse putet: quam
quomodo a nobis uterque inductus esset: is erit ex iis qui
aut illos non audierit aut iudicare non potuit. Nam
fuit uterque ut exposui antea cum studio atque ingenio
et doctrina prestans omnibus: tum in suo genere
perfectus ut neque in antonio deesset hic ornatus
orationis; neque in crasso redundaret. Ut igitur ante me
ridiem discessérunt paulumque requierunt in primis
hoc a se cotta animadversum esse dicebat: omne illud
tempus meridianum: crassum in acerrima atque attentis
sima cogitatione posuisse: seseque qui vultum eius
cum ei dicendum esset obtutumque oculorum in cogita
do probe nosset atque in maximis causis sepe vidis
set: tum dedita opera quiescentibus aliis in cum exe
dram venisse: in qua crassus lectulo posito recubuisset:
cumque eum in cogitatione defixum esse sensisset: sta
tim recessisse: atque in eo silentio duas horas fere
esse consumptas. Deinde cum omnes inclinato iam
in postmeridianum tempus die venissent ad cras
sum. Quid est crasse inquit iulius imus ne sessum
et si admonitum venimus te non flagitatum.

Tum crassus an me tam impudentem esse existimatis:
ut vobis hoc presertim munus putem diutius posse
debere? Quidnam igitur inquit ille: locus an in me
dia silva placet? est enim is maxime et opacus et
frigidus. Sane inquit crassus etenim est in eo
loco sedes: huic nostro non inoportuna sermoni.
Cum placuisset idem ceteris in silva venit et ibi
magna cum audiendi expectatione consedit. Tu
crassus: cum auctoritas atque amicitia vestra: tum
antonii facilitas eripuit inquit michi inoptima mea
causa libertatem recusandi: quamquam in partiendi
disputatione nostra cum sibi de iis que dici ab oratore
oporteret sumeret: michi autem relinqueret: ut
explicarem quemadmodum illa ornari oporteret: ea
divisit que seiuncta esse non possunt. Nam cum
omnis ex re atque verbis constet oratio: neque verba
sedem habere possunt si rem subtraxeris: neque res
verba sumo verbis. At michi quidem veteres illi
maius quiddam animo complexi: plus multo etiam vidis
se videntur: quam quantum nostrorum ingeniorum acies
intueri potest: qui omnia hec que supra et subter unum
esse et una vi atque consensione nature constricta esse
dixerunt. Nullum est enim genus rerum quod aut a
vulsum a ceteris per se ipsum constare: aut quo cetera
si careant vim suam atque eternitatem conservare pos
sint. Sed hec maior esse ratio videtur: quam ut hominum
possit sensu aut cogitatione comprehendi. Est etiam
illa platonis vera et tibi catule certe non inaudita
vox omnem doctrinam harum ingenuarum et huma
narum artium uno quodam societatis vinculo con
tineri. Ubi enim perspecta vis est orationis eius qua cause
rerum atque exitus cognoscuntur: mirus quidam om
nium quasi consensus doctrinarum concentusque re
peritur. Sed si hoc quoque videtur esse altius quam ut id nos
humi strati suspicere possimus: illud certe tamen
quod amplexi sumus: quod profitemur: quod susce
pimus: nosse et tenere debemus. Una est enim quod
ego hesterna die dixi: et aliquot locis antemeridia
no sermone significavit antonius: eloquentia quas
cumque in oras: disputationes: regione sive delata
est: nam sive de celi natura loquitur: sive de terre

Siue de diuina re siue de humana: siue ex inferiore
loco: siue ex equo: siue ex superiore: siue ut impellat
homines: siue ut doceat: siue ut deterreat: siue ut
concitet: siue ut reflectat: siue ut incendat: siue
ut leniat: siue ad paucos: siue ad multos: siue inter
alienos: siue cum suis: siue secum riuis est deducta o
ratio non fontibus: et quocunque ingreditur eodem est
instructu ornatuque comitata. Sed quoniam oppressi
iam sumus opinionibus: non modo volgi: verum etiam
hominum leuiter eruditorum: qui que complecti tota ne
queunt hec facilius diuulsa et quasi discerpta: et qui
tanquam ab animo corpus sic a sententiis verba seiungunt:
quorum sine interitu fieri neutrum potest: non suscipiam
oratione mea plus quam michi imponitur. tantum signifi
cabo breui: neque verborum ornatum inueniri posse non
partis expressisque sententiis: neque esse ullam sententiam
illustrem sine luce verborum. Sed priusquam illa conorer at
tingere: quibus orationem ornari atque illuminari putem:
proponam breuiter quid sentiam de uniuerso genere dicendi.
Natura nulla est ut michi videtur que non habeat in
suo genere res complures dissimiles inter se: que tamen
consimili laude dignentur. Nam et auribus multa per
cipimus: que et si nos vocibus delectant: tamen ita sunt
varia sepe: ut id quod proximum audias iocundissimum
esse videatur et oculis colliguntur pene innumerabiles
voluptates: que nos ita capiunt ut unum sensum dissimi
li genere delectent et reliquos sensus voluptates ob
lectant dispares: ut sit difficile iudicium excellentis ma
xime suauitatis. At hoc idem quod est in naturis rerum
transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars
in qua prestantes fuerunt miro policretus lysippus qui
omnes inter se dissimiles fuerunt: sed ita tamen ut
neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque
picture dissimillimique: tamen inter se Zeusis aglaophon
appelles: neque eorum quisque est cui quicquam in arte sua de
esse videatur. et si hoc in his quasi mutis artibus est mi
randum: et tamen verum: quanto admirabilius in oratione
atque in lingwa: que cum in hisdem sententiis verbisque ver
setur: summas habet dissimilitudines: non sic ut alii vi
tuperandi sint: sed ut ii quos constet esse laudandos in
dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis

Ceterum litterae: quibus est proxima cognatio cum oratoribus:
quam sint inter se se Ennius: Pacuvius: Acciusque dissimiles:
quam apud grecos: eschylus sophocles: euripides: quamquam
omnibus par pene laus in dissimili scribendi genere tribu-
atur. Aspicite nunc eos homines atque intuemini quorum de fa-
cultate querimus quid inter sit inter oratorum studia atque
naturas. Suavitatem ysocrates: subtilitatem lysias: a-
cumen hyperides: sonitum eschines: vim demosthenes
habuit. quis eorum non egregius: tamen quis cuiusque
nisi similis. Gravitatem afrycanus: levitatem lelius:
asperitatem galba: profluens quiddam habuit tarbo
et canorum: quis horum non princeps temporibus illis
fuit: et suo tamen quisque genere princeps. Sed quid ego
vetera conquiram: cum michi liceat uti presentibus exemplis
atque vivis. Quid iocundius auribus nostris umquam accidit
huius oratione catuli: que est pura sit ut latine loqui
pene solus videatur: sit autem gravis ut in singulari
dignitate omnis tamen assit humanitas ac lepos:
Quid multa: istum audiens equidem sic iudicare soleo: quicquid
aut addideris aut mutaveris aut detraxeris vicio-
sius et deterius futurum: Quid noster hic cesar: nonne
novam quandam rationem attulit orationis et dicendi
genus induxit prope singulare. Quis umquam res preter
hunc tragicas pene comice tristes remisse: severas hi-
lare: forenses scenica prope venustate tractavit: atque
ita ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur: nec
gravitas facetiis minueretur. Ecce presentes duo prope
equales sulpicius et cotta: quid tam inter se dissimi-
le: quid tam in suo genere prestans. limatus alter et
subtilis rem explicans propriis aptisque verbis: heret in
causa semper et quid iudici probandum sit: cum acutissime
vidit: omissis ceteris argumentis in eo mentem orationem-
que defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi
impetu: plenissima et maxima voce summa contentione
corporis et dignitate motus: verborum quoque ea gra-
vitate et copia est: ut unus ad dicendum instructissimus
a natura esse videatur. Ad nosmetipsos iam revertor quo-
niam sic fuimus semper comparati: ut hominum sermonibus
quasi in aliquod contentionis iudicium vocaremur. Quid
tam dissimile quam ego in dicendo et antonius: cum ille
is sit orator ut nichil eo possit esse prestantius: ego

Autem quanquam me mea et mei penitet tamen hoc maxime
tamen in comparatione coniungat. Videtis ne genus hoc
quod sit antonii: forte vehemens commotum in agendo
premunitum et ex omni parte cause septum: acre acutum:
enucleatum: in unaquaque re commorans: honeste cedens:
acriter insequens: terrens supplicans: summa orationis
varietate: nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem
quicumque in dicendo sumus quoniam esse aliquo in numero
vobis videmur: certe tamen ab huius multum genere dista-
mus. quod quale sit non est meum dicere propterea quod mi-
nime sibi quisque notus est: et difficillime de se quisque sen-
tit: sed tamen dissimilitudo intelligi potest: et ex motus
mei mediocritate: et ex eo quod quibus vestigiis primum
institi in his fere soleo perorare: et quod aliquanto me
maior in verbis et in sententiis eligendis quam labor et cura
torquet: verentem ne si paulo obsoletior fuerit oratio:
non digna silentio et expectatione fuisse videatur. Quod
si in nobis qui adsumus tante dissimilitudines: tu certe
res cuiusque proprie et in ea varietate fere melius a deterio-
re facultate magis quam genere distinguitur: atque omne
laudatur quod in suo genere perfectum est. quid censetis si
omnes hi qui ubique sunt aut fuerunt oratores totidem pene
reperiantur genera dicendi: ex qua mea disputatione forsitan
occurrat illud: si pene innumerabiles sint: quasi forme
figureque dicendi specie dispares genere laudabiles: non
posse ea que inter se discrepant iisdem preceptis atque in
una disputatione formari. Quod non est ita: diligen-
tissimeque: hoc est eis qui instituunt aliquos atque erudiunt
videndum: quo sua quemque natura maxime ferre vide-
atur. Etenim videmus ex eodem quasi ludo summorum
in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exisse dis-
cipulos dissimiles inter se: attamen laudandos: cum
ad cuiusque naturam institutio doctoris accomodaretur. Eo
est vel maxime insigne illud exemplum: ut ceteras artes
omittamus quod dicebat isocrates doctor singularis: se
calcaribus in ephoro contra autem in theopompo frenis
uti solere: alterum enim exultantem verborum audaci-
tia reprimebat: alterum cunctantem et quasi vere-
cundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se:
sed tantum alteri affinxit: de altero limavit: ut id confir-
maret in utroque quod utriusque natura pateretur. Hec

Eo michi predicanda fuerint: ut si non omnia que proponentur
a me ad omnium vestrum studium et ad genus id quod quisque
vestrum in dicendo probaret adhererescerent: id a me genus
exprimi sentiretis quod maxime michi ipsi probaretur.
Ergo hec et agenda sunt ab oratore que explicavit anto-
nius: et dicenda quodammodo. Qui nam igitur dicendi
est modus melior? nam de actione post videro: quam
ut latine: ut plane: ut ornate: ut ad id quodcumque age-
tur: apte congruenterque dicamus. Atque eorum quidem
que duo prima dixi rationem non arbitror expectari a
me puri dilucidique sermonis: neque enim conamur do-
cere eum dicere qui loqui nesciat: nec sperare qui latine
non possit: hunc ornate esse dicturum: neque vero qui
non dicat quod intelligamus hunc posse quod admi-
remur dicere. Linquamus igitur hec que cognitionem
habent facilem: usum necessarium: nam alterum tra-
ditur litteris doctrinaque puerili: alterum adhibetur
ob eam causam ut intelligatur quid quisque dicat: quod
videmus ita esse necessarium ut tamen eo minus
nichil esse possit. Sed omnis loquendi elegantia quamquam
expolitur scientia litterarum: tamen augetur
legendis oratoribus et poetis. Sunt enim illi veteres
qui ornare nondum poterant ea que dicebant:
omnes prope preclare locuti sunt: quorum sermone
assuefacti qui erunt: non cupientes quidem poterunt
loqui nisi latine: neque tamen erit utendum verbis
iis quibus iam consuetudo nostra non utitur: nisi quando
ornandi causa parce quod ostendam: sed usitatis po-
terit uti lectissimis: ut utatur iis qui in veteribus erit
scriptis studiose et multum volutatus: atque ut latine lo-
quamur: non solum videndum est: ut et verba effe-
ramus ea que nemo iure reprehendat et ea sic et
casibus: et temporibus: et genere: et numero conser-
vemus: ut ne quid perturbatum ac discrepans: aut
preposterum sit: sed etiam lingua et spiritus et vocis
sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi litteras pu-
tidius: nolo obscurari negligentius: nolo verba exiliter
exanimata exire: nolo inflata et anhelata gravius.
nam de voce nondum ea dico que sunt actionis: sed hoc
quod michi cum sermone quasi coniunctum videtur.
Sunt enim certa vitia que nemo est qui effugere cupiat:

Mollis uox: aut muliebris: aut quasi extra modum absona atque
absurda. Est autem vitium quod nonnulli de industria con
sectantur, Rustica uox et agrestis quosdam delectat:
quo magis antiquitatem si ita sonet eorum sermo retinere
videatur. ut tuus catule sodalis L. cotta gaudere mi
chi videtur gravitate lingue sonoque uocis agresti: et il
lud quod loquitur pristinum visum iri putat: sed plane
fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus et subtilitas ista
delectat omitto verborum quamquam est caput: verum id af
fert ratio docent littere confirmat consuetudo: et le
gendi et loquendi: sed hanc dico suavitatem que exit
ex ore: que quidem ut apud grecos atticorum: sic in latino
sermone huius est urbis maxime propria. athenis iam
diu doctrina ipsorum atheniensium interiit domicilium
tantum in illa urbe remanet studiorum quibus vacant
cives peregrini fruuntur capti quodammodo nomine urbis
et auctoritate: tamen eruditissimos homines asiaticos quiuis
atheniensis indoctus non verbis sed sono uocis: nec
tam bene quam suauiter loquendo facile superabit. Nostri
minus student litteris quam latine: tamen ex istis quos nos
tis urbanis in quibus minimum est litterarum. nemo est quin
litteratissimum togatorum omnium. Q. ualerium soranum
lenitate uocis atque ipso oris pressu pressu et sono fa
cile uincat. Quare cum sit quedam certa vox roma
ni generis urbisque propria: in qua nichil offendi: nichil
displicere: nichil animaduerti possit: nichil sonare aut
olere peregrinum: hanc sequamur neque solum rusticam
asperitatem sed etiam peregrina insolenciam fugere
discamus. Equidem cum audio socrum meam leliam: fa
cilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conser
uant quod multorum sermonis expertes ea tenent
semper que prima didicerunt: sed eam sic audio ut
plautum michi: aut nevium videar audire. sono ipso
uocis ita recto et simplici est ut nichil ostentationis aut
imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum esse eius
patrem iudico sic maiores non aspere ut ille quem dixi
non vaste: non rustice: non hiulce sed presse et equa
liter et leniter. Quare cotta noster cuius tu illa la
ta sulpici nonnunquam imitaris ut iotam litteram tollas
et plenissimum dicas. non michi oratores antiquos sed
messores videris imitari. Hic tu arrisisset ipse sulpicius

Sit actam vobiscum inquit crassus: ut quoniam me loqui
voluistis aliquid de veterum vitijs audiatis. Utinam
quidem inquit ille id enim ipsum volumus: idque si feceris
multa ut arbitror sint hodie vitia ponemus. At enim
non sine meo periculo crassus inquit possum sulpici
te reprehendere: quoniam antonius michi te simil-
limum dixit sibi videri. Tum ille tum quod monuit
idem ut ea que in quoque maxima essent imitaremur
ex quo vereor ne nichil sim tui nisi supplosionem pedis
imitatus: et pauca quedam verba et aliquem si forte
motum. Ergo ista inquit crassus que habes a me
non reprehendo: ne meipsum irrideam: sunt autem
mea multo et ~~multo~~ plura et ꝙ̃ dicis maiora: que
autem sunt aut tua plane aut imitatione ex aliquo ex-
pressa de hiis te si quibus me forte locus admonuerit ad-
monebo. Pretereamus igitur precepta latine loquendi
que puerilis doctrina tradit: et subtilior cognitio ac
ratio litterarum alit: aut consuetudo sermonis quoti-
diani ac domestici libri confirmant: et lectio veterum
oratorum et poetarum. Neque vero in illo altero diutius
commoremur: ut disputemus quibus verbis assequi possi-
mus ut ea que dicamus intelligantur latine scilicet di-
cendo verbis usitatis: ac proprie demonstrantibus ea que
significari ac declarari volemus: sine ambiguo verbo
aut sermone non nimis longa continuatione verborum:
non valde productis iis que similitudinis causa ex ali-
is rebus transferuntur: non discerptis sententiis: non
ꝑposteris temporibus non confusis personis: non ꝑturba-
to ordine. Quid multa tam facilis est tota res ut michi
permirum sepe videatur cum difficilius intelligatur
quid patronus velit dicere: ꝙ̃ si ipse ille qui patronum
adhibet de re sua diceret. Isti enim qui ad nos causas
deferunt ita nos plerumque ipsi docent: ut non desideres
planius dici: easdem res autem simul ac fusius aut vel
equalis pomponius agere cepit: non eque quid dicat
nisi admodum attendi intelligo ita confusa est oratio:
ita perturbata: nichil ut sit primum: nichil ut sit secundum:
tantaque insolentia ac turba verborum: ut oratio que lu-
men adhibere rebus debet ea obscuritatem et tenebras
afferat atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere
videantur. Verum si placet quoniam equidem satis spero

Nobis quidem certe maioribus molesta et putida uideri. ad
reliqua aliquanto odiosiora pergamus. Atqui vides in-
quit anthonius cum alias res agamus quod te in uitia
qui adduci possimus: de me enim conicio relictis vt
omnibus rebus te sectemur: te audiamus: ita de horri-
dis rebus nitida de ieiunis plena: de peruulgatis noua
quedam est oratio tua. Faciles enim inquit antoni partes
ee fuerunt due quas modo percucurri uel potius pene
preterii: latine loquendi planeque dicendi: relique sunt
magne implicate: varie: graues: quibus omnis admira-
tio ingenii omnis laus eloquentie continetur. Nemo enim
unquam est oratorem: quod latine loqueretur admiratus.
si est aliter irrident: neque enim oratorem tantummodo sed
hominem non putant: nemo extulit eum verbis qui ita
dixisset vt qui adessent intelligerent quid diceret: sed
contempsit eum qui minus id facere potuisset. In quo
igitur homines exhorrescunt: quem stupefacti dicente
intuentur: in quo exclamant: quem deum vt ita dicam
inter homines putant qui distincte: qui explicate: qui
abundanter: qui illuminate et rebus et verbis dicunt:
et in ipsa oratione quasi quendam numerum versum-
que conficiunt. id est quod dico ornate qui idem ita mo-
derantur vt rerum: et personarum: dignitates ferunt.
Hi sunt in eo genere laudandi laudis: quod ego aptum
esse et congruens nomine qui ita dicerent eos nega-
uit adhuc se vidisse antonius et his hoc nomen dicit
eloquentie solis esse tribuendum. Quare omnes istos
me autore deridete atque contemnite: qui se horum qui
nunc ita appellantur: rhetorum preceptis omnem ora-
torum vim complexos esse arbitrantur: neque adhuc
quam personam teneant: aut quid profiteantur intelli-
gere potuerunt. Verum enim oratori que sunt in ho-
minum vita quando quidem in ea versatur orator atque
ea est ei subiecta materies omnia quesita audita lecta:
disputata: tractata: agitata esse debent. Est enim elo-
quentia vna quedam de summis virtutibus quod quamquam sunt
omnes virtutes equales et pares: sed tamen est species
alia magis: alia formosa et illustris: sicut hec vis
que scientiam complexa rerum sensa mentis et consi-
lia sic verbis explicat ut eos qui audiant quocumque
incubuerit possit impellere. que quo maior est vis:

Hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus non eos quidem oratores effecerimus sed furentibus quedam arma dederimus. Hanc inquam cogitandi pronunciandique rationem vimque dicendi veteres greci sapientiam nominabant. Hinc illi ligurgi: hinc pittaci: hinc solones: atque ab hac similitudine coruncam nostri fabricii: catones: scipiones: fuerunt non tamen fortasse docti sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia sed consilio ad vite studia dispari: quietem atque otium secuti ut pythagoras democritus: anaxagoras: a regendis civitatibus: totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: que vita propter tranquillitatem et propter ipsius sciencie suavitatem qua nil est hominibus iocundius: pluris quam utile fuit rebus publicis delectavit. Itaque ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dederunt ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis multo plura quam erat necesse doctissimi homines otio nimio et ingeniis uberrimus affluentes curanda sibi esse ac querenda et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra: neque disiuncti doctores: sed iidem erant vivendi preceptores atque dicendi: ut ille apud homerum fenix qui se a peleo patre achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum: ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum. Sed ut homines labore assiduo et quotidiano assueti: cum tempestate ibi causa: opere: prohibentur ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt: aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum. Sic illi a negotiis publicis tamquam ab opere aut temporibus exclusi: aut voluntate sua feriati: totos se alii ad poetas: alii ad geometras: alii ad musicos contulerunt: alii etiam ut dialectici novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt. Atque in iis artibus que reperte sunt ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur: atque virtutem: omne tempus atque etates suas consumpserunt. Sed quod erant quidam iique multi: qui aut in re publica propter ancipitem que non potest esse seiuncta faciendi dicendique sapientiam florerent ut themistocles et pericles ut theramenes aut qui minus ipsi in re publica versarentur. Sed ut huius tamen eiusdem sapientie doctores essent: ut gorgias:

Trasimathus: ysocrates: inventi sunt qui cum ipsi doctrina
et ingeniis abundarent: a re autem civili a negotiis
animi quodam iudicio abhorrerent. Hanc dicendi
exercitationem exagitarent atque contemnerent. quorum
princeps socrates fuit: is qui omnium eruditorum testimonio
totiusque iudicio grecie: cum prudentia et acumine
et venustate et subtilitate: cum vero eloquentia: va-
rietate copia quam se cumque in partem dedisset: omnium
fuisset fuit facile princeps: is qui hec que nunc nos
querimus tractarent: agerent: docerent: cum nomine
appellarentur uno: quod omnis rerum optimarum cog-
nitio atque in his exercitatio philosophia nominaretur:
hoc commune nomen eripuit: sapienterque sentiendi
et ornate dicendi scientiam re coherentes in dispu-
tationibus suis separavit: cuius ingenium variosque ser-
mones immortalitati: scriptis suis plato tradidit:
cum ipse litteram socrates nullam reliquisset. Hinc
discidium illud extitit quasi lingue atque cordis ab-
surdum sane et inutile et reprehendendum ut
alii nos sapere alii dicere docerent. Nam cum
essent plures orti fere a socrate quod ex illius va-
riis et diversis et in omnem partem diffusis dispu-
tationibus alius aliud apprehenderat: proseminate
sunt quasi familie dissentientes inter se et multum
diiuncte et dispares: cum tamen omnes se philosophi
socraticos et dici vellent et esse arbitrarentur. Ac pri-
mum ab ipso platone aristoteles et xenocrates quorum
alter peripatheticum: alter achademicorum nomen
obtinuit. deinde ab antisthene qui patientiam et du-
ritiam in socratico sermone maxime adamarat: ci-
nici primum deinde stoici: tum ab aristippo quem ille ma-
xime magis voluptarie disputationes delectarant:
cirenaica philosophia manavit: quam ille et eius posteri
simpliciter defenderet: hi qui nunc voluptate omnia
metiuntur: dum verecundius id agunt nec dignitati
satisfaciunt: quam non aspernantur nec voluptatem
tuentur quam amplexati volunt. Fuerunt etiam
alia genera philosophorum: qui se omnes fere socraticos
esse dicebant eretricorum: erillorum: megaricorum:
pirroneorum: sed ea horum vi et disputationibus
sunt iam diu fracta et extincta. Ex illis autem

Que remanet ea philosophia que suscepit patrocinium voluptatis:
et si cui vera videtur procul abest tamen ab eo viro quem
querimus: et quem auctorem publici consilii et regende civi-
tatis ducem et sententie atque eloquentie principem in senatu
in populo in causis publicis esse volumus: nec ulla tamen ei phi-
losophie fiet iniuria a nobis: non enim repelletur inde quo
aggredi cupiet sed in ortulis quiescet suis: ubi vult ubi et
recumbens molliter et delicate nos avocat a rostris: a iu-
diciis: a curia: fortasse sapienter ac etiam a re p. Verum
ergo non quero nunc que sit philosophia verissima sed que ora-
tori coniunctissima maxime. Quare istos sine controversia di-
mittamus. Sunt enim et boni viri et quoniam sibi ita vi-
dentur beati tantumque eos admoneamus ut illud etiam
si est verissimum: tacitum tamen tamquam misterium teneat
quod negant: versari in re p. esse sapientis. Nam si hoc
nobis atque optimo cuique persuaserit non poterit ipsi esse
id quod maxime cupiunt otiosi. Stoicos autem quos mi-
nime improbo: dimitto tamen nec eos iratos vereor quo-
niam omnino irasci nesciunt atque hanc ab his habeo graciam
quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem et sapientiam
esse dixerint. sed utrumque est in his quod ab hoc quem
instituimus oratore valde abhorreat: vel quod omnes qui
sapientes non sint servos: latrones: hostes insanos esse
dicunt: neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem
est absurdum ei contionem: aut senatum: aut ullum
cetum hominum committere: cui nemo illorum qui adsint sa-
nus: nemo civis: nemo liber esse videatur. Accedit quod
orationis etiam genus habent fortasse subtile: et certe
acutum sed ut in oratore exile inusitatum: abhorrens
ab auribus vulgi obscurum: inane: ieiunum attamen eiusmo-
di quo uti ad vulgus nullo modo possit. Alia enim et bo-
na et mala videntur stoicis: et ceteris civibus vel potius
gentibus: alia vis honoris ignominie premii supplicii: vere
videant an secus nichil ad hoc tempus: sed ea si sequa-
mur nullam umquam rem dicendo expedire possimus. Reliqui
sunt peripathetici et achademici quamquam achademicorum
nomen est unum: sententie due. Nam crisippus sororis
platonis filius et xenocrates qui platonem audierat: et
qui xenocratem polemo et crantor: nichil ab aristotele qui
una audierat platonem magnopere dissensit: copia for-
tasse et varietate dicendi pares non fuerunt. Archesilas

Primum qui polemonem audierat : ex varijs platonis libris
sermonibusque socraticis hoc maxime arripuit : nihil esse
certi quod aut sensibus aut animo percipi possit : quem ferunt
eximio quodam usu lepore dicendi : aspernatum esse om-
ne animi sensusque iudicium : primumque instituisse quamquam id fuit
socraticum maxime : non quid ipse sentiret ostendere sed quod
id quod quisque se sentire dixisset disputare. Hinc hec recen-
tior academia emanavit in qua extitit divina quadam
celeritate ingenii dicendique copia : carneades : cuius ego et
si multos auditores cognovi athenis : tamen auctores
certissimos laudare possim et socerum meum scevolam
qui eum rome audivit adolescentes et . Q. metellum .
L. f. familiarem meum clarissimum virum qui illum a se
adolescente athenis iam affectum senectute : multos di-
es auditum esse dicebat. Hec autem ut ex apennino flu-
minum : sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta
divortia : ut philosophi tamquam in superum mare ionium deflueret
grecum quoddam et portuosum . oratores autem in inferum
hoc tuscum et barbarum scopulosum atque infestum laberentur
in quo etiam ipse ulixes errasset . Quare si hac eloquen-
tia atque hoc oratore contenti sumus : qui sciat aut negare
oportere quod arguare : aut si id non possis : tamen ostendere
quod is fecerit : qui insimuletur aut recte factum aut alterius
culpa aut iniuria : aut ex lege aut non contra legem :
aut imprudentia : aut necessario : aut non eo nomine usur-
pandum quo arguatur : aut non ita agi ut debuerit
ac licuerit . Et si satis esse putatis ea que isti scriptores
artis docent discere : que multo ornatius quam ab illis di-
cuntur et uberius explicavit antonius . sed si istis con-
tenti estis atque iis etiam que dici voluistis a me ex
ingenti quodam oratore immensoque campo in exiguum
sane gyrum compellitis . Sin veterem illum periclem :
aut hunc etiam qui familiarior nobis propter scriptorum
multitudinem est : demosthenem sequi vultis : et si illam
preclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulcri-
tudinem adamastis : aut vobis hec carneadea : aut illa
aristotelia vis comprehendenda est . Namque ut ante di-
xi veteres illi usque ad socratem : omnem omnium rerum que
ad mores hominum : que ad vitam : que ad virtutem : que
ad rem publicam pertinebant cognitionem et scientiam cum dicen-
di ratione iungebant . Postea dissociati ut exposui

A socrate: diserti a doctis et deinceps a socraticis item omnes
philosophi eloquentiam despexerunt: oratores sapientiam: neque
quicquam ex alterius parte tetigere: nisi quod illi ab his aut
ab illis hi mutuarentur: ex quo promiscue haurirent:
si manere in pristina communione voluissent: Sed ut
pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres
viros epulones esse voluerunt: cum essent ipsi a numa
ut etiam illud ludorum epulare sacrificium: facerent insti-
tuti: sic socratici a se causarum actores a communi philosophie no-
mine separaverunt: cum veteres dicendi et intelligendi
mirificam societatem esse voluissent: Que cum ita sint:
paululum equidem de me deprecabor et petam a vobis
ut ea que dicam non de me ipso sed de oratore dicere
putetis. Ego enim sum is qui cum summo studio patris
in puericia doctus essem: et in forum ingenii tantum quan-
tum ipse sentio: non tantum quantum ipse forsitan vobis
videar detulissem: non possim dicere me hec que nunc
complector: per inde ut dicam discenda esse didicisse:
quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesse-
rim: annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem
et eloquentissimum in iudicium vocarim cui disciplina fuerit
forum: magister: usus et leges et instituta populi romani mosque
maiorum: paulum sitiens istarum artium de quibus loquor
gustavi questor in asia cum essem: equalem fere meum
ex academia rhetorem nactus methrodorum illum de cuius
memoria commemoravit antonius: et inde decedens athe-
nis ubi ego diutius essem moratus: nisi atheniensibus
quod misteria non referrent ad que biduo serius vene-
ram succensuisse. Quare hoc quod complector tantam
scienciam vimque doctrine: non modo non pro me: sed
contra me est potius: non enim qui ego: sed quid orator
possit disputo atque hos omnes qui artes rhetoricas expo-
nunt perridiculos: scribunt enim de litium genere et de prin-
cipiis: et de narrationibus: illa vis autem eloquentie tanta
est ut omnium rerum: virtutum: officiorum: omnisque nature que
mores hominum: que animos que vitam continet: originem: vim
mutationesque teneat. eadem mores: leges: iura: descri-
bat rem publicam regat: omniaque ad quamcumque rem pertineant.
ornate copioseque dicat. In quo genere nos quidem ver-
samur tantum quantum ingenio mediocri usu valemus. neque
tamen istis qui in una philosophia quasi tabernaculum vite sue

Collocarit: multum sane in disputatione concedimus. Quid
enim meus familiaris gallus vel lelius afferre possit quam ob
rem voluptas sit summum bonum: quod ego non copiose
possim vel tutari si velim vel refellere ex illis locis quos
exposuit anthonius: hac dicendi exercitatione in qua vel-
leius est rudis unusquisque nostrum versatus. Quid est quod aut
Sex. pompeius: aut duo balbi: aut meus amicus qui cum
panetio vixit, M. vigellius de virtute hominum stoici possit
dicere: qua in disputatione ego his debeam aut vestrum
quisquam concedere. Non est enim philosophia similis artium reliqua-
rum nam quid faciet in geometria qui non didicerit:
quid in musicis: aut taceat oportebit aut ne sanus
quidem iudicetur. Hec vero que sunt in philosophia ingeniis
eruuntur: ad id quod in quoque verisimile est eliciendum
acutis atque acribus ea que exercitata oratione poliuntur.
Hic hic noster vulgaris vulgaris orator si minus erit doctus:
attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione
communi istos quidem nostros verberabit: neque se ab iis
contemni despicique sinet. Sin aliquis extiterit aliquando
qui aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem
sententie possit dicere et in omni causa duas contrarias
orationes preceptis illius cognitis explicare: aut hoc
arcesile modo et carneadi contra omne quod propositum
sit disserat quique ad eam rationem exercitationemque ad-
iungat: hunc rhetoricum usum moremque exercitationem-
que dicendi: hic is sit verus is perfectus is solus orator.
Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens
et gravis: nec sine varietate doctrine satis politus
et sapiens esse orator potest. Quare coracem istum
vestrum patiamur: nos quidem pullos suos excludere
in nido qui evolent clamatores odiosi ac molesti: pa-
philumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem tamquam
pueriles delitias aliquas depingere nosque ipsi hac
tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum
oratoris munus explicemus: dummodo illa res tanta
sit ut omnibus philosophorum libris quod nemo oratorum istorum
umquam attigit comprehensa esse videatur. Tum catulus
haud mehercule inquit crasse mirandum est in
te tantam dicendi vel vim vel suavitatem vel copiam
quem quidem antea natura rebar ita dicere ut michi
non solum orator summus sed etiam sapientissimus homo

Videre: inquit intelligo illa te semper potiora duxisse
que ad sapientiam spectarent atque ex his hanc dicen-
di copiam fluxisse. Sed tamen cum omnes gradus etatis
recordor tue: cumque vitam tuam ac studia considero
neque quo tempore ista didiceris video nec magnopere
te istis studiis: hominibus: libris: intelligo deditum: neque
tamen possum statuere utrum magis mirer te illa que
mihi persuades maxima esse adiumenta potuisse
in tuis tantis occupationibus perdiscere an si non potueris
posse isto modo dicere. Hic inquit crassus hoc tibi inquit catu-
le primum persuadeas velim: me non multo secus facere
cum de oratore disputo: ac facerem si esset mihi de
histrione dicendum: negarem enim posse eum satisfa-
cere in gestu nisi palestram: nisi saltare didicisset: ne-
que ea cum dicerem me esse histrionem necesse esset: sed
fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Simi-
liter de oratore vero impulsu loquor: summo scilicet.
Semper enim quotienscumque de arte aut facultate qualis queritur
de absoluta et perfecta queri solet. Quare si iam me
vultis esse oratorem si etiam satis bonum: si bonum deni-
que non repugnabo: quid enim nunc sim ineptus: ita
me existimari scio quod si ita est summus tamen certe non
sum: neque enim apud homines res est ulla difficilior: ne-
que maior neque que plura adiumenta doctrine desideret.
Attamen quoniam de oratore nobis disputandum est: de
summo oratore dicam necesse est. Vis enim et natura rei
nisi perfecta ante oculos ponitur qualis et quanta sit
intelligi non potest. Me autem catule fateor neque hodie
in istis libris et cum istis hominibus vivere, nec vero id
quod tu recte commeministi ullum umquam habuisse sepositum
tempus ad discendum ac tantum tantum tribuisse
doctrine temporis: quantum mihi puerilis etas fore-
sis ferie concesserunt. At si queris catule de doctrina
ista quid ego sentiam: non tantum ingenioso homini
et ei qui forum qui curiam: qui causas: qui rem publicam spec-
tet opus esse arbitror temporis quantum sibi ii sump-
serunt: quos discentes vita defecit. Omnes enim ar-
tes aliter ab iis tractantur qui eas ad usum transfe-
runt aliter ab iis qui ipsarum artium tractatu delecta-
ti: nihil aliud in vita sunt acturi. Magister hic
samnitum summa iam senectute est et cotidie com-

No: comparatio oratoris ad histrionem

mentatur: nichil enim curat aliud atque velotius puer
addidicerat: sed quod erat aptus ad illud totumque cog-
norat: ffuit ut est apud lucilium quamvis bonus ipse sam-
nis in ludo ac rudibus cuius satis asper sed plus ope
foro tribuebat amicis vel familiari. Valerius quoti-
die cantabat: erat enim stenicus quid faceret aliud. At
numerius furius noster familiaris cum est commodum cantat: est
enim paterfamilias est equestro: puer didicit quod discend-
Eadem ratio est harum artium maximarum dies et noctes:
quotidie enim virum summa virtute et prudentia videba-
mus philosopho cum operam daret. Q. tuberone at cuius
auunculum vix intelligeres id agere cum ageret tamen
africani. Ista discuntur facile si et tantum sumas quantum
opus sit et habeas qui docere fideliter possit: et scias
etiam ipse discere. Sed si tota vita nichil velis aliud
agere ipsa tractatio et questio quotidie ex se gignit
aliquid: quod cum desidiosa delectatione vestiges. ita
fit in agitatione rerum sit infinita cognitio: facilis vsus
doctrinam confirmet mediocris opera tribuatur: memoria
studiumque permaneat. Libet autem semper discere ut
si velim ego talis optime ludere aut pile studio te-
near etiam fortasse si assequi non possim. At alii que
preclare faciunt vehementius quam causa postulat de-
lectantur ut titius pila: brulla: talis. Quare nichil
est quod quisque magnitudine artium ex eo quod senes di-
scunt pertimescat: namque aut senes ad eas accesserunt: aut
vsque ad senectutem in studiis detinentur: aut sunt tar-
dissimi. res quidem se sic mea sententia habet: ut nisi quod
quisque cito potuerit numquam omnino possit perdiscere. Iam
iam inquit catulus intelligo crasse quid dicas et hercule
assentior: satis video tibi hominum ad perdiscendum acerrimo
ad ea cognoscenda que dicis fuisse temporis. Pergis ne
inquit crassus me que dicam de me non de re putare di-
cere: sed iam si placet ad instituta redeamus. Michi
vero catulus inquit placet. Tum crassus quorsum igitur
hec spectat inquit tam longa et tam alte repetita oratio.
He due partes que michi supersunt illustrande orationis
ac totius eloquentie cumulande: quarum altera ornate
dici postulat: altera apte: hanc habet vim: ut sit quam
maxime iocunda quam maxime in sensus eorum qui audiunt
influat et quam plurimis sit rebus instructa. Instrumentum

Autem hoc forense litigiosum : acre : tractatu ex vulgi
opinionibus exceptum sane et mendicum est. Illud rursus
ipsum quod tradunt, isti qui profitentur se dicendi magistros
non multum est maius quam illud vulgare ac forense. Ap-
paratu nobis opus est et rebus exquisitis undique collec-
tis arcessitis comportatis ut tibi Cesar faciendum est
ad annum ut ego in edilitate laboravi : quod quotidianis
et vernaculis rebus exquisitis undique collectis satis-
facere me posse huic populo non putabam. Verborum
eligendorum et collocandorum et concludendorum facilis
est vel ratio vel sine ratione ipsa exercitatio. Rerum
est silva magna qua cum greci iam non tenerent ob
eamque causam iuventus nostra dedisceret : pene discen-
do etiam latini : si displacet hoc biennio magistri dicendi
extiterunt : quos ego censor edicto meo sustuleram : non
quo ut nescio quos dicere aiebant acui ingenia adoles-
centium nollem : sed contra ingenia obtundi nolui, corro-
borari impudentiam. Nam apud grecos qui eiusmodi
essent videbam tamen esse preter exercitationem lingue
doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia. Hos vero
novos magistros nihil intelligebam posse docere nisi
ut auderent, quod etiam cum bonis rebus coniunctum
per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum tra-
deretur et cum impudentie ludus esset putavi esse cen-
soris ne longius id serperet providere : quamquam non
hec ita statuo atque decerno ut desperem latine ea de
quibus disputavimus tradi ac perpoliri. Patitur enim lingua
nostra et natura rerum veterem illam excellentemque
prudentiam grecorum ad nostrum usum moremque
transferri : sed hominibus opus est eruditis qui adhuc in
hoc quidem genere nostri nulli fuerunt : sin quando exti-
terint etiam grecis erunt anteponendi. Ornatur igitur
oratio genere primum et quasi colore quodam et suco
suo nam ut gravis ut suavis : ut erudita sit : ut libera-
lis : ut admirabilis : ut polita : ut sensus ut dolores
habeat : quantum opus sit : non est singulorum articulo-
rum in toto spectantur hec corpore : ut porro conspersa
sit quasi verborum sententiarumque floribus. Id non debet
esse fusum equabiliter per omnem orationem sed ita dis-
tinctum : ut sint quasi in ornatu disposita quedam in-
signia et lumina. Genus igitur dicendi est eligendum quod

Maxime teneat eos qui audiant et quod non solum de-
lectet sed etiam sine satietate delectet. Non enim
iam a me expectari puto vt moneam vt caueatis ne
exilis ne inculta sit vestra oratio: ne vulgaris ne in ob-
soleta. Aliud quiddam magis et ingenia me hortantur
vestra et etates. Difficile enim dictu est que nam cau-
sa sit cur ea que maxime sensus nostros impellunt volup-
tate et specie prima acerrime commouent ab his celeber-
rime fastidio quodam et satietate abalienemur: quanto
colorum pulcritudine et varietate floridiora sunt in pic-
turis nouis pleraque quam in veteribus: que tamen etiam si primo
aspectu nos ceperunt diutius non delectant cum idem
nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque tene-
amur quanto molliores sunt et delicatiores in cantu fle-
xiones ac false uocule quam certe et seuere: quibus tamen
non modo austeri sed si sepius fiunt multitudo ipsa re-
clamat. Licet hoc videre in reliquis sensibus: vnguentis
minus diu nos delectari summa et acerrima suauitate
conditis quam hiis moderatis: et magis laudari quod ter-
ram: quam quod crocum olere videatur in ipso tactu esse mo-
dum et mollitudinis et leuitatis. Quin etiam gustatus
qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius: quique dul-
cedine preter ceteros sensus commouetur quam cito id quod
valde dulce est aspernatur at respuit: quis pocione vti
aut cibo dulci diutius potest cum vtroque in genere ea que
leuiter sensum voluptate moueant facillime fugiant
satietatem. Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis
fastidium finitimum est quo hoc minus in oratione miremur
in qua uel ex poetis uel ex oratoribus possumus iudicare:
concinnam: distinctam: ornatam festiuam sine intermis-
sione: sine reprehensione: sine varietate quamuis claris
sit coloribus picta: uel poesis uel oratio non posse in
delectatione esse diuturna: atque eo citius in oratoris aut
in poete cincinnis ac fuco offenditur quod sensus in ni-
mia voluptate natura non mente saciantur: in scriptis
et in dictis: non aurium solum: sed animi iudicio etiam
magis infucata vicia noscuntur. Quare bene et pre-
clare quamuis nobis sepe dicatur: belle et festiue nimium
sepe nolo quamquam illa ipsa exclamatio non potest melius
sit velim crebra sed habeat tamen illa in dicendo ad-
miratio ac summa laus vmbram aliqua et recessum

Quo magis id quod erit illuminatum extare atque eminere
videatur. Neque agit hunc versum Roscius eo gestu
quo potest: nam sapiens virtuti honorem: premium:
haud predam petit. sed abiicit prorsus ut in proximos:
et quid video: ferro septus possidet sedes sacras: incidat:
aspiciat admiretur: stupescat: Quid ille alter: quid pe-
tam presidii: quam leniter: quam remisse: quam non actuose: in-
stat enim. o pater: o patria: o Priami domus in quo
tanta commoveri actio non posset: sed esset consumpta
superiore motu et exhausta: neque id actores prius viderunt
quam ipsi poete quam denique illi etiam qui fecerunt mo-
dos: a quibus utrisque summittitur aliquid deinde augetur:
extenuatur: inflatur: variatur: distinguitur. Ita sit no-
bis igitur ornatus et suavis orator nec tamen potest aliter
esse ut suavitatem habeat austeram et solidam non
dulcem aut decoctam. Nam ipsa ad ornandum
precepta que dantur: eiusmodi sunt: ut ea quivis vitio-
sissimus orator explicare possit. Quare ut ante di-
xi primum silva rerum ac sententiarum comparanda est:
qua de parte dixit Antonius hec formanda filo ipso
et genere orationis: illuminanda verbis: varianda sen-
tentiis. Summa autem laus eloquentie est amplificare
rem ornando: quod valet non solum ad augendum
aliquid et tollendum altius dicendo sed etiam ad ex-
tenuandum atque abiiciendum. Id desideratur omnibus
iis in locis quos ad fidem orationis faciendam adhiberi
dixit Antonius: vel cum explanamus aliquid vel cum
conciliamus animos vel cum concitamus. Sed in hoc quod
postremum dixi amplificatio potest plurimum eaque una
laus oratoris est et propria maxime etiam maior est illa
exercitatio qua extremo sermone instruxit Antonius.
primo reiciebat laudandi et vituperandi: nihil est enim
ad exaggerandam et amplificandam orationem accommo-
datius: quam utrumque horum cumulatissime facere posse.
Consequentur etiam illi loci qui quamquam proprii causarum et in-
herentes in earum nervis esse debent: tamen quia de
universa re tractari solent: communes a veteribus noia-
ti sunt: quorum partim habent vitiorum et peccatorum
acrem quandam cum amplificatione incusationem aut que-
relam: contra quam nihil dici solet nec potest: ut in
depeculatorem: in proditorem in parricidam: quibus uti

Confirmatis criminibus oportet: Aliter enim secium sunt atque
inanes. Alii autem habent disputationem aut miseratio-
nem: alii vero ancipites disputationes in quibus de univer-
so genere in utramque partem disseri copiose licet. Que ex-
citatio nunc propria duarum philosophiarum de quibus an-
te dixi putatur. Apud antiquos erat eorum a quibus omnis de
rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur. De vir-
tute enim: de officio: de equo et bono: de dignitate: ho-
nore: ignominia: premio: pena: similibusque de rebus in u-
tramque partem dicendi animos et vim et artem habere de-
bemus. Sed quoniam de nostra possessione depulsi in par-
vo et eo litigioso prediolo relicti sumus: et aliorum patroni
nostra tenere tuerique non potuimus: ab iis quod indignissi-
mum est qui in nostrum patrimonium irrupere quod opus
est nobis mutuemur. Dicunt igitur nunc quidem illi qui ex par-
ticula parua urbis ac loci nomen habent: et peripate-
tici philosophi aut academici nominantur. olim autem propter
eximiam rerum maximarum sciencia a grecis politici philosophi
appellati: universarum rerum publicarum nomine vocabantur:
omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari
aut definita controversia certis temporibus ac reis: hoc
modo placeat ne a carthaginensibus captivos nostros reddi-
tis suis recuperari: aut infinite de universo genere que-
rentis. quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum
sit atque horum superius illud genus causam aut con-
troversiam appellant eamque tribus lite: aut delibera-
tione: aut laudatione diffiniuntur. Hec autem altera
questio infinita et quasi proposita consultatio nominatur:
atque hactenus loquuntur. Etiam hac in instituendo divi-
sione utuntur: sed ita: non ut iure: aut iudicio: ut
denique recuperare amissam possessionem: sed ut ex iure
civili surculo defringendo usurpare videantur. Nam
illud alterum genus quod est temporibus: locis: reis
definitum obtinent: atque id ipsum lacinia. Nunc
enim apud philonem quem in academia vigere au-
dio: etiam harum iam causarum cognitio exercitatio-
que celebratur. Alterum vero tantummodo in prima ar-
te tradenda nominant: et oratoris esse dicunt: sed neque
vim neque naturam eius nec partes nec genera propo-
nunt: ut preteriri omnino fuerit satius quam tale ac tantum
deseri: nunc enim inopia reticere intelliguntur: cum

Iudicio viderentur. Omnis igitur res eandem habet naturam
ambigendi de qua queri et disceptari potest: sive in infinitis
consultationibus disceptatur sive in iis causis que in civi-
tate et in forensi disceptatione versantur: neque est ulla
que non aut ad cognoscendi aut ad agendi vim rationemque
referatur. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque per-
quiritur ut virtus suam ne propter dignitatem an propter
fructus aliquos expetatur: aut agendi consilium exquiritur
vel ut sit ne sapienti capessenda res publica. Cognitionis
autem tres modi complectuntur coniecturam: diffinicio:
et ut ita dicam consecutio: deinde coniectura nam quid in re
sit coniectura queritur: ut illud sit ne in humano genere
sapientia. Quam autem vim queque res habeat diffinitio
explicat ut si queratur quid sit sapientia. Consecutio autem
tractatur cum quid quamque rem sequatur exquiritur. ut il-
lud sit ne aliquando mentiri boni viri. Redeunt rursus
ad coniecturam: eamque tanquam in quatuor genera dispartiunt.
nam aut quid sit queritur hoc modo natura ne sit ius
inter homines an in opinionibus: aut que sit origo cu-
iusque rei: aut quod sit initium legum aut rerum publicarum aut
cause tractatio: ut si queratur cur doctissimi homines
de maximis rebus dissentiant: aut de inmutatione ut
si disputetur num interire virtus in homine aut num in
vitium possit converti. Diffinitionis autem sunt dis-
ceptationes ut cum queritur quid in communi mente quasi
impressum sit: ut si disseratur id ne sit ius quod maxime
parti sit utile: aut cum quid cuiusque sit proprium exquiritur: ut
ornate dicere proprium ne sit oratoris: an id etiam aliquis
preter ipsum esse facere possit. Aut cum res distribuitur
in partes: ut si querantur quot sint genera rerum expeten-
darum: aut sint ne tria: corporis: animi: externarumque rerum.
Aut cum que forma et quasi naturalis nota cuiusque sit
describitur ut si queratur avari species seditiosi gloriosi.
Consecutionis autem duo prima genera questionum ponun-
pomitur. nam aut simplex est disceptatio ut si disse-
ratur expetenda ne sit gloria: aut ex comparatione laus
an divicie magis expetende sint. Simplicium autem sunt
tres modi de expetendis fugiendisve rebus: ut expeten-
di ne honores sint: num fugienda paupertas: de equo
aut iniquo equum ne sit ulcisci iniurias: etiam propinquorum:
de honesto aut turpi: ut hoc sit ne honestum glorie causa

Mortem obire. Comparationis autem duo sunt modi: unus
cum idem ne sit: an aliquid intersit queritur: ut metuere
et vereri: ut rex et tirannus ut assentator et amicus: al-
terum cum quid prestet aliud alii queritur ut illud optimi-
ne cuiusque sapientes an populari laude ducantur. Atque
ee quidem disceptationes que ad cognitionem referuntur:
sic fere a doctissimis hominibus describuntur. Que vero re-
feruntur ad agendum aut in officii disceptatione versantur:
quo in genere quid rectum faciendumque sit queritur
cui loco omnis virtutum et viciorum est silva subiecta
materia aut in animorum aliqua permotione aut gignenda
aut sedanda tollenda ve tractantur. Huic generi sub-
iecte sunt cohortationes sunt cohortationes: obiurgatio-
nes: consolationes: miserationes: omnisque ad omnem animi
motum et impulsio: et si ita res feret mitigatio. Expli-
catis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium:
nihil sane ad rem pertinet si qua in re discrepavit ab
Antonii divisione nostra particio: eadem sunt membra in
utriusque disputationibus sed paulo secus a me atque ab
illo distributa. Nunc ad reliqua progrediar meque ad
meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis
quos exposuit Antonius: omnia sunt ad queque genera que-
stionum argumenta sumenda: sed aliis generibus alii loci
magis erunt apti: de quo non tam quia longum est
quam quia perspicuum est dici nihil est necesse. Ornatis-
sime sunt igitur orationes ee que latissime vagantur
et a privata et singulari controversia se ad universi
generis vim explicandam conferunt et convertunt ut ii
qui audiant natura et genere et universa re cognita
de singulis reis et criminibus et litibus statuere possint.
Hanc ad consuetudinem exercitationis nos adolescentes
est cohortatus Antonius: atque a minutis angustisque
concertationibus ad omnem vim varietatemque nos disserendi
traducendos putavit. Quare non est paucorum libello-
rum hoc munus ut ii qui scripserunt de dicendi ratione
arbitrati sunt: neque Tusculani atque huius ambulationis
antemeridiane: aut nostre pomeridiane sessionis.
Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lin-
gua est: sed onerandum complendumque pectus maximarum
rerum et plurimarum suavitate: copia: varietate.

civium disceptationibus si in

Nostra enim est si modo nos oratores sumus si in periculis
si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et
principes sumus. nostra est inquam omnis ista prudentie doc-
trineque possessio in qua homines quasi caducam atque va-
cuam abundantes otio nobis occupatis involaverunt:
atque etiam aut irridentes oratorem ut ille in gorgia so-
crates cavillatur: aut aliquid de oratoris arte paucis pre-
cipiunt libellis: eosque rhetoricos inscribunt: quasi non illa
sint propria rhetorum que ab iisdem de iusticia: de offi-
tio: de civitatibus instituendis et regendis: de omni
vivendi denique etiam de nature ratione dicuntur. Que
quoniam iam aliunde non possumus sumenda sunt nobis
ab iis ipsis a quibus expilati sumus: dummodo illa ad hanc
civilem scientiam quo pertinent et qua intuentur transfe-
ramus: neque ut ante dixi omnem teramus in his disten-
dis rebus etatem: sed cum fontes viderimus quos nisi
qui celeriter cognorit numquam cognoscet: omnino tum quo-
tienscumque opus erit ex iis tantum quantum res petet hau-
riemus. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum
et ingeniis ut res tantas quisque nisi monstratas quisque
posset videre. neque tanta tamen in rebus obscuritas: ut
eas non penitus acri vir ingenio cernat si modo aspexe-
rit. In hoc igitur tanto tam immensoque campo cum liceat
oratori vagari libere atque ubicumque constiterit consistere
in suo suppeditat omnis apparatus: ornatusque dicendi.
rerum enim copia: verborum copiam gignit. et si est
honestas in rebus iis de quibus dicitur: existit ex rei na-
quidam splendor in verbis. sit modo is qui dicet aut scri-
bet institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili
et flagret studio et a natura adiuvetur: et universorum
generum infinitis disceptationibus exercitatus: orat ornatis-
simos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque
cognorit: ne ille aut sane quemadmodum verba struat
et illuminet a magistris istis requiret. Ita facile in rerum habun-
dantia ad orationis ornamenta sine duce natura ipsa
si modo est exercitata labetur. Hic catulus dii immortales
inquit quantam rerum varietatem: quantam vim quantam
copiam crasse complexus es: et in maiorum suorum regno
collocare. Namque illos veteres doctores auctoresque
dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse

quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es

Attexim*us*: semp*er*q*ue* esse in om*n*i orac*i*o*n*is rac*i*one v*er*satos ex quibus Heleus Hippias cu*m* olimpia*m* venisset maxi*m*a illa quinquenali celebritate ludoru*m* gloriat*us* e*st*: cu*n*cta pene audiente grecia: nichil esse vlla in arte reru*m* om*n*iu*m* quod ip*s*e nesciret: nec solu*m* has artes quib*us* liberales doctrine atq*ue* ingenue contineretur geometria: musica*m*: litteraru*m* cog*n*ic*i*one et poetaru*m*: atq*ue* illa que de naturis reru*m* que de ho*m*i*num* morib*us*: que de reb*us* publicis dicerent*ur*: sed anulu*m* que*m* haberet: palliu*m* quo amict*us*: soccos quib*us* indut*us* esset: se sua manu confecisse: Scilicet nimis quide*m* hic e*st* p*ro*gressus: sed ex eo ip*s*o e*st* coniectura facilis qua*n*tu*m* sibi illi ip*s*i oratores de p*rec*larissimis artib*us* appeticri*n*t q*ui* ne sordidiores quide*m* repudiari*n*t. Quid de prodico Cyo: quid de trasimacho calchedonio: de prothagora abderita loquar: quoru*m* vnusq*ui*sq*ue* plurimu*m* temporib*us* illis etia*m* de natura reru*m* et disseruit et scripsit. Ip*s*e ille leontinus gorgias quo patrono vt plato voluit philosopho succubuit orator: qui aut non e*st* victus vnq*uam* a socrate. neq*ue* ille sermo platonis verus e*st*: aut si e*st* victus eloquentior videlicet fuit et disertior socrates et ut tu appellas copiosior et melior orator. Sed hic in illo ip*s*o platonis libro de om*n*i re: quecu*m*q*ue* in disceptatione*m* questione*m*q*ue* vocaret*ur* se copiosissime dicturu*m* esse profitet*ur*. Isq*ue* princeps ex om*n*ib*us* ausus e*st* in conuentu poscere qua de re quisq*ue* vellet audire: cui tantus honos e*st* habit*us* a grecia: soli ut ex om*n*ib*us* delphis non inaurata statua sed aurea statueretur. Sed ii quos no*m*i*n*aui multiq*ue* preterea su*m*mi dicendi oratores vno tempore fuerunt: ex quib*us* intelligi potest ita se rem habere: ut tu crasse dicis oratoris q*ue* nomen apud antiquos in grecia maiore quada*m* vel copia vel gloria floruisse. Quo quidem magis dubito tibi ne plus laudis an grecis vituperac*i*o*n*is statuam esse tribuendu*m*: cu*m* tu in alia lingwa ac morib*us* natus: occupatissima in ciuitate vel priuatoru*m* negociis pene om*n*ib*us*: vel orbis terre procurac*i*one ac su*m*mi imperii gubernac*i*one districtus: ta*n*ta*m* vim reru*m* cog*n*ic*i*o*n*emq*ue* co*m*prehenderis: eamq*ue* om*n*em cu*m* eius q*ui* consilio et orac*i*one in ciuitate valeat sciencia atq*ue* exercitac*i*one sociaris. Illi nati in litteris ardentes his studiis ocio vero defluentes non modo nichil acquisieru*n*t sed ne

Relictum quidem et traditum et suum conservaverunt. Tum tras-
fus vero in hac inquit una causa re sed in aliis etiam com-
pluribus distributione partium ac separatione magnitudines
sunt artium diminute. An tu existimas cum esset Hippo-
crates ille Chius fuisse tum alios medicos qui morbis:
alios qui vulneribus: alios qui oculis mederentur. Num
geometriam euclide: aut archimede. Num musicam
damone aut aristoxeno. Num ipsas litteras aristopha-
ne aut callimacho tractante disertas fuisse. ut nemo
genus universum complecteret aut ut alius aliam sibi par-
tem in qua elaboraret seponeret. Equidem sepe hoc audi-
vi de patre et de socero meo nostros quoque homines qui excel-
lere sapientie gloria vellent omnia que quidem: tum hec ci-
vitas nosset solitos esse complecti. Meminerat illi. Sex.
elium. M. vero manlium nos etiam vidimus transverso am-
bulantem foro: quod erat insigne eum qui id faceret:
facere civibus omnibus consilii sui copiam ad quos olim et
ita ambulantes in solio sedentes domi sic adibatur: non
solum de iure civili ad eos verum etiam de filia collo-
canda: de fundo emendo: de agro colendo: de omni deni-
que aut officio aut negotio referretur. Hec fuit. P. cras-
si illius veteris, hec T. coruncani hec pavi generi mei
scipionis prudentissimi hominis sapientia: qui omnes pon-
tifices maximi fuerunt: ut ad eos de omnibus divinis atque
humanis rebus referretur: iidemque et in senatu et a-
pud populum et in causa amicorum et domi et milicie
consilium suum fidemque prestabant. Quid enim. M. ca-
toni preter hanc politissima doctrinam transmari-
nam atque adventicia defuit. Num quia ius civile di-
cebat: causas non dicebat: aut quia poterat dicere
iuris scientiam negligebat: aut utroque in genere et la-
boravit et prestitit. Num propter hanc ex privatorum nego-
tiis collectam graciam tardior in re. p. capessenda fuit.
nemo apud populum fortior nemo melior senator: idem
facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate
temporibus illis sciri discive potuit quod ille non cum
investigavit et sciverit: tum etiam conscripserit. Nunc
contra plerique ad honores adipiscendos et ad rem. p.
gerendam nudi veniunt atque inermes: nulla cognitione
rerum: nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit v-
nus e multis effert se si unum aliquid affert aut bellicam

Virtutem: Aut usum aliquem militarem: que sane nunc
quidem absoluerit aut iuris scientiam ne eius quidem uni-
uersi. Nam pontificium quod est coniunctum nemo discit
aut eloquentiam quam in clamorem et verborum cursu
positam putat. Omnium vero bonarum artium denique vir-
tutum ipsarum societatem cognitionemque non novit. Sed
ut ad grecos referam orationem quibus carere in hoc genere
sermonis genere non possumus. nam ut virtutis a nostris
sic doctrine sunt ab illis exempla repetenda. septem
fuisse dicuntur uno tempore qui sapientes et haberentur
et vocarentur. Hi omnes preter milesium thalem civitatibus
suis prefuerunt. quis doctior iisdem illis temporibus aut
cuius eloquentia litteris instructior fuisse traditur quam pi-
sistrati: qui primus homeri libros confusos antea sic
disposuisse dicitur ut nunc habemus. Non fuit ille
quidem civibus suis utilis: sed ita eloquentia floruit ut
litteris doctrinaque prestaret. Quid pericles de cuius
dicendi copia sic accepimus: ut cum contra voluntatem
atheniensium loqueretur pro salute patrie: severius tamen
id ipsum quod ille contra populares homines diceret popu-
lare omnibus et iocundum videretur cuius in labris ve-
teres comici etiam cum illi maledicerent: quod tum athe-
nis fieri licebat leporem habitasse dixerunt: tantamque
in eo vim fuisse ut in eorum mentibus qui audissent quasi
aculeos quosdam relinqueret. At hunc non clamator
aliquis qui audissent ad clepsidram latrare docuerat:
sed ut accepimus clazomenius ille anaxagoras vir summus
in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina: con-
silio: eloquentia excellens: quadraginta annos prefuit
athenis: urbanis eodem tempore et bellicis rebus. Quid
critias: quid alcibiades civitatibus suis quidem non boni
sed certe docti atque eloquentes nonne socraticis erant
disputationibus eruditi? Quis dionem syracusium doc-
trinis omnibus expolivit. non plato? atque eum idem
ille non lingue solum verum etiam animi ac virtutis
magister ad liberandam patriam impulit instruxit: ar-
mavit: alius ne igitur artibus hunc dionem instituit plato.
alius isocrates clarissimum virum thimotheum cononis
prestantissimi imperatoris filium summum ipsum imperatorem
hominemque doctissimum: aut alius pithagoreus ille lysias
thebanum epaminondam haud scio an tum summum virum

Vmi ois grecie: Aut xenophon hagesilau: aut philolaus
architam tarentinu: aut ipe pithagoras totam illam
italie grecia que quondam magna vocitata e. Eqde
non arbitror sic enim video vnam quandam om rerū
que essent homie erudito digne: et eo qui in re. p. uell.
excellere fuisse doctrinam quam qui accepissent si i-
dem ingenio ad pronunciandum valuissent: et se ad
dicendum quoqz non repugnante natura dedissent
eloquentia prestitisse. Itaqz ipe aristoteles cu florere
isocratem nobilitate discipulorum videret: quod ipse
suas disputationes a causis forensibz et ciuilibz ad in-
anem sermonis elegantiam transtulisset: mutauit re-
pente totam formam prope discipline sue: versuqz
quendam philoctete paulo secus dixit: ille em turpe
sibi ait ee tacere cu barbaros. Hic autem cu isocratez
pateretur dicere. Itaqz ornauit et illustrauit doctrinam
illam omnem: rerūqz cognitionem cu orationis exercita-
tione coniunxit. Neqz vero hoc fugit sapientissimu
regem philippum: qui hunc alexandro filio doctoz
ad se iecit a quo eodem ille et agendi acciperet precep-
ta et loquendi. Nunc siue q volet eum philozophu
qui copiam nobis rerum oratonisqz tradat per me
appellet oratorem licet siue hunc oratorem quem
ego dico sapientiam iunctam habere: eloquentie phi-
losophum appellare malit non impediā: dummodo
hoc constet neqz infantiam eius qui rem norit: sed
eam explicare dicendo non queat: neqz inscientia
illius cui res non suppetit: verba non desint esse
laudandam: quorz si alteru sit optandum malim
equidem indisertam prudentia qz stulticia loqcem.
Sin querimus quid vnu excellat ex omnibz doctoribz
oratori palma danda est que si patiuntur eundem
esse philosophum sublata controuersia est. Sin
eos disiungent hoc erunt inferiores quod in oratore
perfecto inest omnis illorum sciencia in philosophoz
autem cognitione non continuo inest eloquentia
que quamuis contemnatur ab his nece e tamē aliquē
cumulum illo. artibz afferre videatur. Hec cu cras-
sus dixisset parumper et ipe conticuit et a ceteris
silenciu fuit. Tum cotta eqdem inqt crasse non
possum queri quod mihi videare aliud quoddā

Et non id quod susceperis disputasse: plus enim aliquato
attulisti quam tibi esset tributum a nobis et denuntiatu. Sed
certe ut he partes fuerunt tue de illustranda oratione
ut diceres et eras ipse iam ingressus: atque in quatuor
partes omnem orationis laudem descripseras: cumque de
duabus primis nobis quidem satis sed ut ipse dicebas ce-
leriter exigueque dixisses: duas tibi reliquas feceras:
quemadmodum primum ornate: deinde etiam apte dice-
mus. quo cum ingressus esses repente te quidam estus
ingenii tui procul a terra eripuit atque in altum a conspec-
tu pene omnium distraxit. Omnem enim rerum scientiam com-
plexus non tu quidem eam nobis tradidisti: neque enim
fuit tam exigui temporis sed apud hos quid profeceris
nescio. me totum quidem in academiam compulisti in qua
velim sit illud quod sepe posuisti ut non necesse sit
consumere etatem atque ut possit is illa omnia cernere
qui tantummodo aspexerit: sed etiam si est aliquanto spissius:
aut si ego sum tardior profecto numquam conquiescam
neque defatigabor antequam illorum ancipites vias rationesque
et pro omnibus et contra omnia disputandi percepero. Tu
certe unum inquit me ex tuo sermone maxime Crasse
commovit: quod cum negasti: quam non cito quid didicis-
set umquam omnino posse perdiscere: ut michi non sit
difficile periclitari: et aut statim percipere ista que tu
verbis ad celum extulisti: aut si non potuerim tempus
non perdere: cum tamen his meis possim esse contentus.
Hic Sulpicius ego vero inquit Crasse neque aristotelem
istum: neque carneadem: nec philosophorum quemquam de-
sidero: vel me licet existimes desperare ista posse per-
discere: vel id quod facio contemnere: michi rerum
forensium et communium vulgaris hec cognitio satis ma-
gna est ad eam quam specto eloquentiam: ex qua ipsa tamen
permulta nescio que tu demumque cum causa aliqua que
a me dicenda est desiderat quero. Quamobrem nisi
forte es iam defessus: et si tibi non graves sumus refer
ad illa te que ad ipsius orationis laudem splendoremque
pertinent: que ego ex te audire volui non ut sperarem me
eloquentiam consequi posse sed ut aliquid addiscerem. Tum
Crassus pervulgatas res requiris inquit: et tibi non incog-
nitas Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit: non
instituit: non scriptum etiam reliquit. Sed geram

Morem et ea duntaxat que michi nota sunt breuiter exponam. tibi censebo tamen ad eos qui auctores et inuentores sunt harum sane minutarum rerum reuertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis quorum primum nobis ratio simpliciter uidenda est deinde coniuncte: nam est quidam ornatus orationis qui ex singulis verbis est. alius qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utimur verbis aut iis que propria sunt et certa quasi uocabula rerum pene vna nata cum rebus ipsis aut iis que transferuntur et quasi alieno in loco collocantur: aut iis que nouamus et facimus ipsi. In propriis est igitur verbis illa laus oratoris: ut abiecta atque obsoleta fugiat: lectis atque illustribus vtatur in quibus plenum quiddam et sonans esse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est habendus quidam: atque is aurium quodam iudicio ponderandus in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Etiam hoc quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet bonis hic verbis aut aliquis non bonis vtitur: non arte aliqua perpenditur sed quodam quasi naturali sensu iudicatur: in quo non magna laus est euitare vitium quamquam est magnum. Verum iam in hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est verborum: vsus et copia bonorum. Sed quid ipse edificet orator et in quo adiungat artem id esse nobis querendum atque explicandum videtur. Tria sunt igitur in verbo simplici que orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem aut inusitatum verbum: aut nouatum: aut translatum. Inusitata sunt prisca fere ac vetusta et ab vsu quotidiani sermonis iam diu que sunt intermissa poetarum licentia liberiora quam nostra. Sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem: neque illud fugerim dicere ut Celius, qua tempestate penus in italiam venit: nec prolem aut sobolem aut effari: aut nuncupari: aut vt tu soles catule non rebar: aut opinabar: et alia multa quibus loco positis grandior atque antiquior oratio sepe videri solet. Nouantur autem verba que ab eo qui dicit ipso gignuntur aut fiunt uel coniungendis verbis ut hec. Tum pauor sapientiam omnem michi exanimato expectorat: ne non uis huius me versutiloquas malitias. Videtis

Enim versualoques malitias et expectorat : et ex con-
iunctione uerba nouantur : vt ille sensus disertus in
dugenitales vt bacaru vbertate in curuestere. Tertius
ille modus transferendi verbi late patet quem ne-
cessitas genuit : inopia coacta : et angustiis : post autem
delectatio : iocunditasque celebrauit : nam ut vestis fri-
goris depellendi causa reperta primo : post haberi cepta
est ad ornatum etiam etiam corporis et dignitatem :
sic verbi translatio instituta est inopie causa . fre-
quentata delectationis : nam gemmare vites : luxu-
riem esse in herbis : letas segetes etiam rustici di-
cunt . quod enim declarari vix verbo proprio potest id
translatum cum est dictum illustrat id quod intelligi
uolumus eius rei quam alieno verbo posuimus simili-
tudo . Ergo he translationes quasi mutuationes sunt
cum quod non habeas aliunde sumas . Ille paulo auda-
ciores que non inopiam indicant : sed orationi splendoris
aliquid accersunt . Quarum ego quid uobis aut inueni-
endi rationem aut genera ponam : similitudinis est
ad verbum unum contracta breuitas : quod verbum
in alieno loco tamquam in suo positum sit si agnoscetur de-
lectat si simile nichil habet repudiatur . Sed ea trans-
ferri oportet que aut clariorem faciunt rem ut illa omnia :
Inhorrescit mare : tenebre conduplicantur : noctisque et
nimbum occecat nigror : flamma inter nubes coruscat :
celum tonitru contremit : grando mixta imbri clarifluo
subita precipitans cadit : vndique omnes venti erum-
punt : seui existunt turbines : feruit estu pelagus : omnia
fere quo essent clariora translatis per similitudinem
verbis dicta sunt : aut quo significetur magis res
tota : siue facti alicuius : siue consilii : ut ille qui oc-
cultantem consulto ne id quod ageretur intelligi posset :
duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat
quando quidem ista circumuestit dictis sepit sedulo . Nam
nunquam et breuitas translatione conficitur : vt illud
si telum manu fugit imprudentia teli missi breuius
propriis uerbis exponi non potuit : quam est vno significato
translato . Hoc in genere persepe michi admirandum
videtur : quod sit quod omnes translatis et alienis magis
delectantur verbis : quam propriis et suis . Nam si res suum
nomen et vocabulum proprium non habet ut pes in naui.

Et nexu quod libra agitur: ut in uxore divortium mutas
comit: quod non habes aliunde sumere sed in suorum
verborum maxima copia tamen homines aliena multo
magis si sint ratione translata delectant. Id accide-
re credo vel quod ingenii specimen est quoddam transilire
ante pedes posita et alia longe sumere repetita: vel
quod is qui audit alio ducitur cogitatione: neque tamen
aberrat qui maxima est delectatio vel quod in singulis
verbis res ac totum simile conficitur vel quod omnis
translatio que quidem sumpta ratione est ad sensus
ipsos admovetur maxime oculorum: qui est sensus acerrimus.
Nam et odor urbanitatis et mollitudo humanitatis:
et murmur maris: et dulcedo orationis sunt ducta a
ceteris sensibus: illa vero oculorum acriora que ponunt
pene in conspectu animi que cernere et videre non pos-
sumus. Nichil est enim in rerum natura cuius nos non
in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine: unde enim
simile induci potest: potest autem ex omnibus indidem ver-
bum unum: quod similitudine continet translatum
lumen afferet orationi. Quo in genere primum fugienda
est dissimilitudo: celi ingentes fornices: quamvis spe-
ram in scena ut dicitur attulerit ennius: tamen in spera
similitudo non potest inesse. Vive ulixes dum licet:
oculis postremum lumen radiatum rape. non dixit cape.
non pete: haberet enim moram in moram sperantis diu-
tius esse victurum sed rape hoc verbum ad id aptatum
quod ante dixerat: dum licet. Deinde videndum est
ne longe simile sit ductum: sirtim patrimonii scopu-
lum libentius dixerim: caribdim bonorum voraginem
potius. facilius enim ad ea que visa quam ad illa que
audita sunt mentis oculi feruntur. Et quoniam hec
vel summa laus est verbis transferendis ut sensum
feriat id quod translatum sit: fugienda est omnis tur-
pitudo earum rerum ad quas eorum animos qui audiunt
trahit similitudo. Nolo morte dici affricani castra-
tam esse rem publicam. nolo stercus rei publice dici glauciam:
quamvis sit simile: tamen est in utroque deformis cogita-
cio similitudinis. Nolo esse aut maius quam postulet tem-
pestas comessationis: aut minus comessatio tempestatis.
Nolo esse verbum angustius id quod translatum sit:
quam fuisset illud proprium ac suum. Quidnam est obsecro: quid

Te aduri abinuas : melius ē uetas : prohibes absterres :
quoniam ille dixerit : illico istic ^ne^ contagione mea bo(n)is
umbra ne obsit . Atq(ue) etiam si vereare ne paulo duri-
or traslatio esse videatur . mollienda p(ro)posito sepe v(er)bo :
ut si olim . M . catone mortuo pupillum senatu(m) quis
relictum diceret : paulo durius : sin ut ita dicam pu-
pillum aliquanto mitius est . Et enim verecunda deb(et) ee
translatio : ut deducta esse in alienu(m) locum non irruis-
se : atq(ue) in p(re)cario non vi venisse videatur . Modus aut(em)
nullus est florentior in singulis verbis . nec qui plus lu-
minis afferat oratori . Nam illud quod in hoc genere
profiuit non ē in uno verbo translatio : sed ex pluri(bus)
continuatis conectit(ur) : ut aliud dicatur aliud intelligend(um)
sit : neq(ue) me patior iteru(m) ad unu(m) scopulu(m) et telum
classem achiuu(m) offendere : atq(ue) illud : erras : na(m) exul-
tantem te et p(re)sidentem tibi reprimen(t) valide legu(m)
habene atq(ue) imperii insistent iugo . sumpta re simili
verba eius rei p(ro)pria deinceps in rem aliam ut dixi tra(n)s-
feruntur . Est hoc magnu(m) ornamentu(m) orationis in quo ob-
scuritas fugienda est . Et enim ex hoc genere fiunt
ea que dicuntur enigmata . non ē autem in verbo mo-
dus hic sed in oratione hoc est in continuatione uerbor(um) .
Ne illa quidem traductio atq(ue) immutatio in verbo qua-
dam fabricationem hab(et) : sed in oratione : affrica ter-
ribili tremuit horrida terra tumultu : pro afris est
sumpta africa : neq(ue) factu(m) uerbum ē ut mare saxi-
fragis undis : neq(ue) translatum ut mollitur mare . sed
ornandi causa p(ro)priu(m) p(ro)prio commutatu(m) . Desine roma
tuos hostis testes sunt campi magni : grauis ē mo-
tus in ornatu orationis et sepe sumendus ex quo gene-
re hec sunt : martem belli esse comune : cererem pro
frugibus : liberu(m) appellare pro uino : neptunu(m) pro
mari : curiam pro senatu : campum pro comitiis :
togam pro pace : arma ac tela pro bello . Quo ite(m)
in genere et virtutes et vitia pro ipsis in quibus
illa sunt appellantur : luxuries qua(m) in domu(m) irru-
pit et quo auaritia penetrauit : aut fides ualuit :
iustitia confecit : Videtis profecto genus hoc totum
cu(m) inflexo commutatoq(ue) verbo res eadem enuciat(ur) or-
natius cui sunt finitima illa minus ornata sed tame(n)
non ignoranda : cu(m) intelligi uolumus aliquid aut ex p(ar)te

Totum ut pro edificiis cum parietes aut tecta dicimus:
aut ex toto partem: ut cum vna turma equitatum populi
ro. dicimus: aut ex vno plures vt romanus homo:
tamen et si res bene gesta est corde suo trepidat: aut
cum ex pluribus intelligitur vnum: nos sumus romani
qui fuimus ante rudini: aut quocumque modo: non vt dic-
tum est in eo genere intelligitur: sed ut sensum est.
abutimur sepe etiam verbo non tam eleganter quam
in transferendo: sed etiam si licentius tamen non im-
non pudenter: ut cum grandem orationem pro magna
minutum animum pro paruo dicimus. Verum illa videtis
ne esse non verbi sed orationis que ex pluribus ut ex-
posui translationibus conexa sunt. Hec autem que
aut commutata esse dixi aut aliter intelligenda ac di-
cerentur sunt translata quodam modo. Ita fit ut omnis
singulorum verborum virtus atque laus tribus existat
ex rebus: si aut vetustum verbum sit quod tamen con-
suetudo ferre possit. aut factum vel coniunctione vel
nouitate: in quo item est auribus consuetudinique parcendum:
aut translatum quod maxime tamquam stellis quibusdam
notat et illuminat orationem. Sequitur continuatio verborum
que duas res maxime collocationem primum: deinde
modum quendam formamque desiderat: collocationis est
componere et struere verba sic ut neue asper eorum
concursus: neue hiulcus sit: sed quodam modo coaug-
mentatus et leuis: in quo lepidi soceri mei persona
lusit is qui elegantissime id facere potuit lucilius:
quam lepida sinthesis composite: ut thesserule omnes
arte pauimento atque emblemate vermiculato. Que
cum dixisset in albutium illudens ne a me quidem absti-
nuit. Crassum habeo generum ne rhetoricoteros tu
sis. quid ergo iste crassus: quoniam eius abuteris nomine:
quid efficit? idem illud scilicet ut ille voluit et ego
vellem melius aliquanto quam albutius verum in me quidem
lusit ille vt solet. Sed est tamen collocatio conserua-
da verborum de qua loquor que iunctam orationem effi-
cit: que coherentem: que leuem: que equabiliter fluentem.
Id assequemini si verba extrema cum consequentibus pri-
mis ita iungetis: ut neue aspere concurrant neue vasti-
us deducantur. Hanc diligentissimam diligentiam subsequitur modus
etiam et forma verborum: quod iam vereor ne huic

Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in
hac soluta oratione propemodum: hoc est numeros quos-
dam nobis esse adhibendos putaverunt: inter spirationis
enim non defatigationis nostre neque librariorum notis:
sed verborum et sententiarum modo interpunctas clau-
sulas in orationibus esse voluerunt idque princeps Isocrates
instituisse fertur: ut incondita antiquorum dicendi con-
suetudinem delectationis atque aurium causa quemadmodum
scribit discipulus eius Naucrates numeris astringeret. Nam-
que hec duo musici qui erant quondam iidem poete machinati
ad voluptatem sunt versum atque cantum: ut verborum
numero et vocum modo delectatione vinceret aurium
satietatem. Hec igitur duo vocis dico moderationem
et verborum conclusionem quoad orationis severitas
pati posset a poetica ad eloquentiam traducenda esse
duxerunt: in quo illud est vel maximum quod versus
in oratione si efficitur coniunctione verborum vitium est.
et tamen eciam coniunctionem sicuti versum numerose
cadere et quadrare et perficere volumus: neque est ex
multis res una que magis oratorem ab imperito dicen-
di ignaroque distinguat: quam quod ille rudis incondite
fundit: quantum potest et id quod dicit spiritu non arte
determinat. Orator autem sic illigat sententiam verbis
ut eam numero quodam complectatur et astricto et so-
luto. nam cum vinxerit modis forma et relaxat et liberat
in mutatione ordinis: ut verba neque alligata sint: quasi
certa aliqua lege versus: neque ita soluta ut vagentur.
Quonam igitur modo tantum munus insistemus: ut arbi-
tremur nos hanc vim universe consequi posse dicen-
di: non est res tam difficilis quam necessaria. Nichil est
enim tam tenerum neque tam flexibile: neque quod tam
facile sequatur quocumque ducas quam oracio: ex hac versus:
ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac etiam solu-
ta variis modis multorumque generum oratio. Non enim
alia sermonis alia contentionis verba: neque ex alio ge-
nere ad usum quotidianum: alio ad scenam: pompamque
sumuntur: sed ea nos cum iacentia sustulimus e medio
sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus
et fingimus. Itaque tum graves sumus: tum subtiles: tum
medium quiddam tenemus: sic institutam nostram
sententiam sequitur orationis genus: idque ad omnem rationem

Et aurium voluptatem et animorum ad motum mutatur et ver-
titur. Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura
est ipsa fabricata: sic in oratione ut ea que maximam
utilitatem in se continerent: plurimum eadem haberet
vel dignitatis vel sepe etiam venustatis. Incolumi-
tatis atque salutis omnium causa. Videmus hunc statum
esse huius totius mundi atque nature rotundum ut ce-
lum terraque ut media sit ea que sua vi nutuque te-
neatur: sol ut circumferatur: ut accedat ad brumale
signum: et inde signum sensim ascendat in diversam
partem ut luna accessu et recessu suo solis lumen
accipiat: ut eadem spatia quinque stelle dispares mo-
tu cursuque conficiat. Hec tantum habent vim ut
paulum immutata coherere non possint: tantam pul-
critudine ut nulla species ne excogitari quidem possit
ornatior. Referte nunc animum ad hominum vel etiam cetero-
animantium formam et figuram nullam partem corporis
sine aliqua necessitate affictam totamque formam quasi
perfectam repietis arte non casu. Quid in his ar-
boribus in quibus non truncus: non rami: non folia
sunt denique nisi ad suam retinendam conservandamque
naturam: nusquam tamen est ulla pars nisi venusta.
Linquimus naturam: artesque videamus: Quid tam
in navigio necessarium quam latera: quam caverne: quam pra-
quam puppis: quam antenne: quam vela: quam mali: que tamen
hanc habent in specie venustatem ut non solum sa-
lutis sed etiam voluptatis causa inventa esse vide-
antur. Columne et templa et porticus sustinent:
tamen habent non plus honestatis quam dignitatis.
Capitolii fastigium illud et ceterarum edium non venus-
tas sed necessitas ipsa fabricata est: nam cum esset ha-
bita ratio quemadmodum ex utraque parte tecti aqua
delaberetur utilitatem templi fastigii dignitas co-
secuta est: ut etiam si in celo capitolium statueretur:
ubi imber esse non posset nullam sine fastigio dig-
nitatem habiturum fuisse videatur. Hoc in omnibus
item partibus orationis evenit: ut utilitatem ac prope
necessitatem suavitas quedam et lepos consequatur.
Clausulas enim atque interpuncta verborum anime inter-
clusio atque angustie spiritus attulerunt. Id inventum
ita est suave ut si cui sit infinitus spiritus datus tamen

Cum perpetuare verba volumus: id enim auribus nostris gratum
est inventum quod hominum lateribus non tolerabile so-
lum sed etiam facile esse posset. Longissima est
igitur complexio verborum que volvi uno spiritu non
potest. sed hic nature modus est artis illius. Na-
tum sint numeri plures iambum et trocheum frequen-
tem segregat ab oratore aristoteles catule noster:
qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque
nostrum: sed sunt insignes percussiones eorum nume-
rorum et minuti pedes. Quare primum ad heroum
nos dactili et anapesti spondei pedem invitat
in quo impune progredi licet duo duntaxat pe-
des aut paulo plus: nec plane in versum aut si-
militudinem versuum incidamus: alie sunt gemine
quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum
verborum satis decore cadunt. probatur autem ab
eodem illo maxime peam qui est duplex: nam aut a
longa oritur quam tres breves consequuntur ut hec
verba: desinite: incipite: comprimite: aut a brevibus
deinceps tribus extrema producta atque longa sicut
illa sunt: domuerat: sonipedes: atque illi philosophoor
dici placet a superiore peane posteriore finire. Est autem
pean hic posterior non sillabarum numero sed aurium
mensura: quod est acutius iudicium et certius: par fe-
re cretico: qui est ex longa et brevi et longa: ut quid pe-
tam presidi: aut exequar: quo me nunc: a quo numero
exorsus est ennius. Si quirites minas illius hunc ille
clausulis aptiorem putat: quas vult longa plerumque
sillaba terminari. Neque vero hec tam acrem curam
diligentiamque desiderat: quam est illa poetarum quos necessitas
cogit: et ipsi numeri ac modi sic versu verba includere:
ut nihil sit ne spiritu quidem minimo brevius aut lon-
gius quam necesse est. Liberior est oratio et plane ut dicitur:
sic est vere soluta: non ut fugiat tamen ut erret: sed ut
sine vinculis sibi ipsa moderetur. Nam neque ego illud
assentior theophrasto qui putat orationem que quidem
sit polita atque facta quodammodo non astricte: sed re-
missius numerosam esse oportere. Etenim sicut ille
suspicatur ex illis modis quibus hic usitatus versus effi-
citur. post anapestus procerior quidam numerus efflo-
ruit: inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus

Cuius membra et pedes ut ait idem sint in omni locuple-
ti oratione diffusa: et si numerosum est in omnibus sonis
atque vocibus quod habet quasdam impressiones et quod
metiri possimus intervallis equalibus: recte genus hoc
numerorum dummodo ne continuum sit in orationis lau-
de ponetur. Nam si rudis et indocta putanda est
illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens:
quid est aliud cause cur repudietur: nisi quod hominum au-
res vocem nature modulantur ipse: quod fieri nisi in-
est numerus in voce non potest. Numerus autem in
continuatione nullus est: distinctio autem et equalium
ut sepe variorum intervallorum percussio numerum confi-
cit: quem in cadentibus guttis quod intervallis distin-
guuntur notare possumus in amni precipitante non
possumus. Quod si continuatio verborum hec soluta
multo est aptior et iocundior: si est articulis membrisque
distincta: quam si continuata ac producta: verba illa mo-
dificata esse debebunt que si in extremo breviora
sunt infringitur ille quasi verborum ambitus: sic enim
has orationis conversiones greci nominant. Quare a
paria esse debent posteriora superioribus: extrema pri-
mis: aut quod etiam est melius et iocundius longiora.
Atque hec quidem ab iis philosophis quos tu maxime
diligis catule dicta sunt quod eo sepius testificor ut
auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Qua-
re tandem inquit catulus: aut quid disputatione ista af-
ferri potest elegantius aut omnino dici subtilius. At
enim vereor inquit crassus ne hec aut difficiliora istis
ad persequendum esse videantur aut quia non traduntur
in vulgari ista disciplina ne ea maiora ac difficilio-
ra nos videri velle videamur. Tum catulus erras in-
quit crasse si aut me aut horum quemquam putas a te
hec opera quotidiana et pervagata expectare: ista
que dicis dici volumus: neque tam dici quam isto dici mo-
neque tibi hoc me solum sed pro his omnibus sine ulla
dubitatione respondeo. Ego vero inquit antonius inve-
niam quem negaram in eo quem scripsi libello: me in-
venisse eloquentem: sed ego te ne laudandi quidem
causa interpellavi: ne quid de hoc tam exiguo sermo-
nis tui tempore verbo uno meo diminueretur. Hanc
igitur ad legem cum exercitatione cum stilo qui et alia

Quo oro formanda sit

Et hoc maxime ornate limat formanda : vox oratio est : neque
tamen hoc tanti laboris esse quantum videtur nec sunt
hec rhithmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda :
et efficiendum est illud modo nobis ne fluat oratio ne
vagetur : ne insistat interius : ne excurrat longius :
ut membris distinguatur : ut conversiones habeat
absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate et
quasi conversione verborum : sed sepe carpenda mem-
bris minutioribus oratio est . que tamen ipsa membra
sunt numeris vincienda. Neque tamen nos pean aut
herous ille conturbet : ipsi occurrent orationi : ipsi inquam se
offerent et respondebunt non vocati : consuetudo mo-
illa sit scribendi : atque dicendi : ut sententie verbis finiantur :
eorumque verborum iunctio nascatur ac proceris numeris
ac liberis : maxime heroo et peane priore aut cre-
tico : sed varie distincteque considat. Notatur enim
maxime similitudo in conquiescendo et si primi et pos-
tremi illi pedes sunt hac ratione servati medii pos-
sunt latere modo ne circuitus ipse verborum sit brevior
quam aures expectent : aut longior quam vires atque anima
patiatur. Clausulas autem etiam diligentius servan-
das esse arbitror quam superiora : quod in hiis maxime per-
fectio atque absolutio iudicatur. Nam versus eque pri-
ma et media et extrema pars attenditur : qui debili-
tatur in quacumque sit parte titubatum. In oratione autem
prima pauci cernunt : postrema plerique que quoniam
apparent et intelliguntur . varianda sunt ne aut aliorum
iudiciis repudientur : aut aurium sacietate. Duo enim aut
tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes si
modo non breviora et precisa erunt superiora quos aut
choreos aut heroos aut alternos esse oportebit : aut in
peane illo posteriore quem aristoteles probat aut ei pari
cretico horum vicissitudines efficient : neque ii sacientur
qui audient fastidio similitudinis nec nos id quod facie-
mus opera dedita id facere videamur. Quod si anti-
pater ille sidonius quem tu probe catule meministi solitus est
versus exametros aliosque variis modis atque numeris
fundere extempore : tantumque hominis ingeniosi ac memo-
ris valuit exercitatio : ut cum se mente ac voluntate
coniecisset in versum verba sequerentur : quanto id facilius
in oratione exercitatione et consuetudine adhibita

Consequemur. Illud autem ne quis admiretur quonam modo hec vulgus imperitorum in audiendo notet: cum in omni genere tum in hoc ipso magna quedam est vis incredibilisque nature. Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione que sint in artibus et rationibus recta ac prava diiudicant: idque cum faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti: multo ostendunt magis in verborum numerorum vocumque iudicio quod ea sunt in communibus infixa sensibus: neque earum rerum quemquam funditus natura esse voluit expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est qui teneat artem numerorum atque modorum: at in his si paulum modo offensum est: ut aut contractione brevius fieret aut productione longius theatra tota reclamant. Quid hoc non idem fit in vocibus ut a multitudine et populo non modo catervae atque concentus sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiciantur: mirabile est cum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem quam non multum differat in iudicando. Ars enim cum a natura profecta sit: nisi naturam commoveat ac delectet: nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris: quam numeri atque voces quibus et excitamur et incendimur et lenimur: et languescimus: et ad hilaritatem et tristitiam sepe deducimur. Quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus non neglecta ut michi videtur: a Numa rege doctissimo maioribusque nostris ut epularum sollemnium fides ac tibie saliorumque versus indicant. Maxime autem in Grecia vetere celebrata quibus utinam similibus de rebus disputari quam de puerilibus his verborum translationibus maluissetis. Verum ut in versu vulgus si est peccatum videt sic si quid in nostra oratione claudicat sentit. Sed poete non ignoscit nobis concedit tacitus tamen omnes non esse illud quod diximus aptum perfectumque cernit. Itaque illi veteres sicut hodie etiam non nullos videmus cum circuitu et quasi ordine verborum conficere non possent: nam id quidem nuper vel posse vel audire cepimus: terna aut bina aut non nulli singula etiam verba dicebant: qui in illa infantia natu-

Illud quod aures hominum flagitabant tendebant: tamen
ut et illa essent paria que dicerent et equalibus inter-
spirationibus uterentur. Exposui fere ut potui que ma-
xime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar: dixi enim
de singulorum laude verborum: dixi de coniunctione eorum:
dixi de numero atque forma: sed si habitum etiam orationis
et quasi colorem aliquem requiritis: est et plena que-
dam et tamen teres et tenuis et non sine nervis ac
viribus et ea que particeps utriusque generis quadam
mediocritate laudatur. Tribus hiis figuris insidere quidam
venustatis non fuco illitus sed sanguine diffusus debet
color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus
est et verbis et sententiis ut quemadmodum qui utuntur
armis aut palestra non solum sibi vitandi aut ferien-
di rationem esse habendam putent: sed etiam ut cum
venustate moveantur ut ii qui in armorum tractatione
versantur. Formantur autem etiam et verba et sententie
pene innumerabiles: quod satis scio notum esse vobis:
sed inter conformationem verborum et sententiarum
hoc interest: quod verborum tollitur si verba mutaris: sen-
tentiarum permanet quibuscumque verbis uti velis. Quod
quidem vos et si facitis tamen admonendos puto ne
quid esse aliud oratoris putetis: quod quidem sit egre-
gium atque mirabile nisi in singulis verbis illa tria te-
nere ut translatis utamur frequenter interdumque
factis raro autem etiam pervetustis. In perpetua autem
oratione cum et coniunctionis levitatem et numerorum
quam dixi rationem tenuerimus: tum est quasi luminibus
distinguenda et frequentanda omnis ratio sententiarum
atque verborum. Nam et commoratio una in re permultum
movet et illustris explanatio rerum quasi gerantur sub
aspectu pene subiectio: que et in exponenda re plurimum
valet: et ad illustrandum id quod exponitur et ad am-
plificandum: ut hiis qui audient illud quod augebimus
quantum efficere oratio poterit: tantum esse videatur:
et huic contraria sepe percursio et plus ad intelligendum
quam dixeris significatio: et distincte concisa brevitas
et extenuatio et huic adiuncta illusio a preceptis Cesaris
non abhorrens: et ab re non longa digressio: in qua
cum fuerit delectatio: tum reditus ad rem aptus et conci-
nnus esse debebit: propositioque quid sis dicturus et ab eo

Quod est dictum semitio et reditus ad propositum: et iteratio: et orationis apta conclusio: tum augendi minuendive causa veritatis: superlatio atque traiectio et rogatio: et huic finitima quasi percontatio expositioque sententie sue: tum illa que maxime quasi irrepit in hominum mentes: alia dicentis ac significantis dissimulatio que est periocunda tum in oratione non in contentione sed sermone tractatur: deinde dubitatio: tum distributio: tum correctio: vel ante vel postquam dixeris: vel cum a te aliquid ipso reicias premunitio: et est ad id quod aggrediare et traiectio in alium communicatio: que est quasi cum iis ipsis apud quos dicas deliberatio: morum et vite imitatio: vel in personis vel sine illis magnum quoddam ornamentum orationis et aptum ad animos conciliandos vel maxime: sepe autem etiam ad commovendos personarum ficta inductio: vel gravissimum est lumen augendi descriptio: erroris inductio: et in hilaritatem impulsio ante occupatio: tum duo illa que maxime movent: similitudo: et exemplum: digestio: interpellatio: contentio: reticentia: commendatio: vox quedam libera atque etiam effrenatior augendi causa iracundia: obiurgatio: promissio: deprecatio: obsecratio: declinatio brevis: appositio: ut superior illa digressio: purgatio conciliatio: lesio: et optatio: atque execratio. His fere luminibus illustrant orationem sententie. Orationis autem ipsius tamquam armorum est vel ad usum comminatio et quasi petitio vel ad venustatem ipsa tractatio. Nam et geminatio verborum habet interdum vim leporem: alias et paulum immutatum verbum atque deflexum: et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio: tum in extremum conversio: et in eadem verba impetus et concursio et adiunctio et progressio et eiusdem verbi crebrius posita quedam distinctio et revocatio verbi: et illa que similiter desinunt aut que cadunt similiter: aut que paribus paria referuntur: aut que sunt inter se similia. Est etiam gradatio quedam et conversio et verborum continua transgressio et contrarium et dissolutum et declinatio et reprehensio: et exclamatio: et imminutio: et quod in multis casibus ponitur: et quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula: et ad propositum deiecta ratio et item in distributis supposita ratio et permissio et rursum alia dubitatio et improvisum quiddam et dinumeratio. et alia correctio et dissipatio

Et quod continuatum et interruptum et imago: et sibi ipsi
responsio et immutatio et disiunctio: et ordo: et translatio
et digressio: et circumscriptio: Hec enim sunt fere atque ho-
rum similia vel plura etiam esse possunt: que senten-
tias orationem verborumque conformationibus illuminent.
Que quidem te crasse video inquit cotta: quod nota esse
nobis putes sine diffinitionibus et sine exemplis effudis-
se. Ego vero inquit crassus ne illa quidem que supra dixi
nova vobis esse arbitrabar: sed voluntati vestri omnium
parui. His autem de rebus sol me ille admonuit
ut brevior essem qui ipse iam precipitans me quoque hec
precipitem pene evolvere coegit. Sed tamen huius ge-
neris demonstratio et doctrina ipsa vulgaris. usus autem
gravissimus et in hoc toto dicendi studio difficillimus.
Quamobrem quoniam de ornatu omni orationis si non sunt
omnes patefacti ac certe demonstrati loci. nunc quid ap-
tum sit hoc est quod maxime deceat in oratione videamus.
Quamquam id quidem perspicuum est non omni cause nec au-
ditori neque persone neque tempori congruere orationis unum
genus. Nam et cause capitales alium verborum quedam
sonum requirunt alium rerum privatarum atque parvarum
et aliud dicendi genus deliberationis: aliud laudationis
aliud iudicia: aut sermo aliud consolatio: aliud obiur-
gatio: aliud disputatio: aliud historie desiderat. Re-
fert etiam qui audiant senatus: an populus: an iudices:
frequentes an pauci: an singuli: et quales ipsique ora-
tores qui sint etate honore auctoritate debent vide:
tempus pacis an belli festinationis an otii. Itaque hoc
loco nihil sane est quod precipi posse videatur nisi ut
figuram orationis plenioris et tenuioris: et item illius
mediocris ad id quod agimus accommodatam deligamus.
ornamentis iisdem uti fere licebit: alias contentius: alias
summissius: omnique in re posse quod deceat facere artis
et nature est: scire quid quandoque id deceat pru-
dentie. Sed hec ipsa omnia perinde erunt ut aguntur. actio
inquam in dicendo una dominatur: sine hac summus ora-
tor esse in numero nullo potest: mediocris autem hac in-
structus summos sepe superare. Huic primas dedisse de-
mosthenes dicitur cum rogaretur quid in dicendo esset
primum: huic secundas: huic tertias: quo mihi melius
etiam illud ab esschine dictum videri solet: qui cum propter

Ignominia iudicii cessisset athenis. Et se rhodum con-
tulisset rogatus a rodiis legisse fertur orationem illam
egregiam: quam in ethesiphontem contra demosthenem
dixerat: qua perlecta petitum est ab eo postridie ut le-
geret illam etiam que erat contra a demosthene pro
ethesiphonte edita: quam cum suavissima et maxima
voce legisset admirantibus omnibus quanto inquit magis
admiraremini si audissetis ipsum ex quo satis significa-
vit quantum esset in actione qui orationem eandem
aliam fore putavit auctore mutato. Quid fuit in grac-
cho quem tu catule melius meministi quod me puero
tantopere ferretur. Quo me miser conferam? quo
vertam? in capitolium ne? at fratris sanguine
redundat? an domum? matrem ne ut miseram la-
mentantemque videam et abiectam? que sic ab illo ac-
ta esse constabat oculis: voce: gestu: inimici ut lacri-
mas tenere non possent. Hec eo dico pluribus quod
genus hoc totum oratores qui sunt veritatis ipsius
actores reliquerunt: imitatores autem veritatis histrio-
nes occupaverunt. Ac sine dubio in omni re vincat
imitationem veritas. sed ea si satis in actione efficeret
ipsa per se sic arte profecto non egeremus. Verum
quia animi permotio que maxime aut declaranda aut
imitanda est actione perturbata: sepe ita est ut obscu-
retur atque pene obruatur: discutienda sunt ea que
obscurant et ea que sunt eminentia et prompta su-
menda. Omnis enim motus animi suum quendam a na-
tura habet vultum et sonum et gestum corpusque totum hominis
et eius omnis vultus omnesque voces ut nervi in fidi-
bus: ita sonant: ut a motu animi quoque sunt pulse.
Nam voces ut corde sunt intente que ad quemque tac-
tum respondeant acuta: gravis: cita: tarda: magna:
parva: quas tamen inter omnes est suo quaeque in ge-
nere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delap-
sa plura genera leve: asperum: contractum: diffusum:
continenti spiritu intermisso: fractum scissum: flexo
sono: attenuatum: inflatum. Nullum est enim horum
similium generum quod non arte ac moderatione trac-
tetur; hi sunt actori ut pictori expositi ad variandos
colores. Aliud enim vocis genus iracundia sibi: aliud
actum incitatum crebro incidens. Ipsius hortatur me

Frater ut meos malim miser mandere natos: et ea que
tu dudum antoni protulisti segregatur a se ausus et
quis hoc animadvertit: vincit et atreus fere totus: ali-
ud miseratio ac meror flexibilem plenum interruptum
flebili voce. Quo nunc me vertam? quod iter incipi-
am ingredi? domum paternam ne? an ne ad pelie fi-
lias? et ille o pater: o patria: o priami domus: et
que sequuntur. Hec omnia vidi inflammari: priamo
vitam vitari. Aliud metus dimissum et hesitans et
abiectum. Multis modis sum circumventus morbo: exi-
lio: atque inopia: tum pavor sapientiam omnem michi
exanimato expectorat: alter terribilem minitatur: vite
cruciatum necemque: nemo est tam firmo ingenio et tanta
confidentia quin refugiat timido sanguine atque exal-
bescat metu. Aliud genus contentum vehemens im-
minens quadam incitatione gravitatis. Iterum thiestes
atreum ad attractum advenit: iterum iam aggreditur me
et quietum exsuscitat: maior michi moles maius miscen-
dum est malum: qui illius acerbum cor contundam et comprima.
Aliud voluptatis effusum lene hilaratum: ac remissum.
Sed michi cum detulit coronam ob collocandas nup-
tias tibi ferebat cum simulabat se se alteri dare tum
ad te leviter ludibunda docte et delicate detulit. Aliud
molestia sine commiseratione grave quoddam et
uno pressu ac sono obductum. Qua tempestate pa-
ris helenam in nuptiis iunxit nuptis ego cum gravida
expletis iam fere ad pariendum mensibus per idem
tempus polidorum hecuba partu postremo parit. Om-
nis autem hos motus subsequi debet gestus: non hic
verba exprimens scenicus: sed universam rem et sen-
tentiam non demonstratione sed significatione declarans
laterum inflexione hac forti et virili. non ab scena
et histrionibus sed ab armis aut etiam a palestra.
Manus autem minus arguta digitis subsequens ve-
non exprimens brachium procerius proiectum quasi quo-
dam telum orationis. supplosio pedis in contentionibus
aut incipiendis aut finiendis sed si in ore sunt omnia.
In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: quo me-
lius nostri illi senes qui personatum ne roscium quidem
magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio et ima-
go animi vultus est: indices oculi: nam hec est una

Ars corporis que quot animi motus sint : tot signi-
ficationes et commutationes possit efficere : neque vero
est quisque qui eadem contentus efficiat. Theo-
phrastus quidem thauriscum quendam dicit auc-
torem aversum solitum esse dicere qui in agendo
contuens aliquid pronuntiaret : quare oculorum est
magna moderatio. nam oris non est nimium muta-
da species : ne aut ad ineptias aut ad pravitatem
aliquam deferamur. Oculi sunt quorum tum inten-
tione : tum remissione : tum coniectu : tum hilaritate mo-
tus animorum significemus apte : tum genere ipso orationis.
Est enim actio quasi sermo corporis quo magis menti
congruens esse debet. Oculos autem natura nobis ut
equo et leoni setas caudam aures ad motus animorum de-
clarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum
vocem vultus valet. is autem oculis gubernatur. atque
in iis omnibus que sunt actionis inest quedam vis a na-
tura data : quare etiam hac imperiti : hac vulgus : hac de-
nique barbari maxime commovetur. Verba enim neminem
movent nisi eum qui eiusdem lingue societate coniunctus
est : sententieque sepe acute non acutorum hominum sensus
pretervolant. actio que per se motum animi fert omnes mo-
vet iisdem notis et in aliis agnoscunt : et in se ipsi indi-
cant. Ad actionis autem usum atque laudem maximam
sine dubio partem vox obtinet : que primum est optanda
nobis deinde quecunque erit ea tuenda. de quo illud
iam nihil ad hoc precipiendi genus quemadmodum
voci serviatur equidem tamen magnopere censeo ser-
viendum. Sed illud videtur ab huius nostri sermonis
officio non abhorrere : quod ut dixi paulo ante plu-
rimis in rebus quod maxime est utile id nescio quo pac-
to etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam
nihil est utilius quam crebra mutatio : nihil pernitio-
sius quam effusa sine intermissione contentio. Quid ad
aures nostras et actionis suavitatem : quid est vicissitudine
et varietate et commutatione aptius. Itaque idem Grac-
chus quod potes audire Catule ex Licinio cliente tuo
litterato homine quem servum sibi ille habuit ad manum
cum eburneola solitus est habere fistula : staretque occulte
post ipsum cum contionaretur peritum hominem qui inflaret
celeriter eum sonum quo illum aut remissum excitaret

Aut a contentione revocaret. Audivi me hercule inquit
catulus et sepe sum admiratus hominis cum diligentiam
tum etiam doctrinam et scientiam. Ego vero inquit crassus
ac doleo quidem illos viros quod in eam fraudem in re publica
esse delapsos: quamquam ea tela texitur et ea incitatur in civitate
ratio vivendi ac posteritati ostenditur: ut eorum civium
quos nostri patres non tulerunt: iam similes habere cu-
piamus. Mitte obsecro inquit crasse iulius sermonem
istum: et te ad gracchi fistulam refer cuius ego nondum
plane rationem intelligo. In omni voce inquit crassus est
quiddam medium: sed suum cuique voci hinc gradatim ascendere
vocem utile et suave est: nam a principio clamare
agreste quiddam est: et idem illud affirmandum est
voce salutari deinde est quiddam contentionis extre-
mum quod tamen interius est quam acutissimus clamor:
quo te fistula progredi non sinet et tamen ab ipsa
contentione revocabit. Est item contra quiddam in
remissione gravissimum quoque tamquam sonorum gradibus
descenditur. Hec varietas et hic per omnes sonos vo-
cis cursus et se tuebitur et orationi defert suavitatem:
sed fistulatorem domi relinquetis sensum illius consue-
tudinis nobiscum ad forum deferetis. Edidi que po-
tui non ut volui sed ut me temporis angustie coe-
gerunt scitum est enim causam conferre in tempus cum affer-
re plura si cupias non queas. Tu vero inquit catulus
collegisti omnia quantum ego possum iudicare ita divi-
nitus ut non a grecis didicisse: sed eos ipsos hec docere
posse videare. Me quidem istius sermonis participem
factum esse gaudeo ac vellem ut meus gener soda-
lis tuus hortensius affuisset: quem quidem ego confido
omnibus istis laudibus quas tu oratione complexus es
excellentem fore. Et crassus fore inquit: ego vero esse
iam iudico et tum iudicavi cum me consule in senatu causam
defendit africe: nuperque etiam magis cum pro bithinie
rege dixit. Quamobrem recte vides catule: nihil
enim isti adolescenti neque a natura neque a doctrina de-
esse sentio. eo quidem magis est tibi cotta et tibi sulpici vi-
gilandum ac laborandum. non enim ille mediocris
orator vestre quasi succrescit etati: sed et ingenio pe-
racri et studio flagranti et doctrina et eximia et
memoria singulari. Cui quamquam faveo tamen illum etati

Sive prestare cupio nos vero illi tanto minorem prestare
vix honestum est. Sed iam surgamus magister: nos fer-
tiremus elati et aliquando ab hac contentione dispu-
tationis quod nostros curasque laxemus

ET SIC FINIS istius operis per martinum köler de
Strelitz Anno domini millesimo quadringentesimo septua-
gesimo secundo famulum magistri Bernardi de Nyssa

Opusculum domini Poggii florentini de miseria conditionis humane Prohemium Incipit transmissum Illustrissimo principi domino Wladislao Serenissimi domini Regis polonie Primogenito per N. Merboth Canonicum wratislaviensem

Inter varios scriptores qui res diversas suis studiis complexi sunt, nulli in primis ad hominum utilitatem accessisse videntur, quam hi qui ad cohercendas nimias animi cupiditates, tum etiam ad refrenandum aviditatem supervacaneumque rerum fortuitarum appetitum perniciosa mortalibus mala suam operam contulerunt. Nam qui huius vite miseriam assiduis lectionibus exponunt docentque nostras miserias omnes a fortune bonis proficisci, ideoque modum statuendum esse cupiditatibus, hi sunt profecto qui plurimum de humano genere merentur, nunc est nam ad modum reprimi cohibereque has superfluas in quibus mergimur cupiditates, cum intellexerint fortune munera que tanto concursu expetuntur originem et fundamentum nostris miseriis prebere, neque illis consistere sedes infelicitatis humane et ceteras anxietates ac vite molestias omnes aliorum morborum contrahi a fortune donis que cum decora speciosaque videantur alliciunt homines ad se expetendas ignaros sane quantis curis possidentes torqueant quantis afficiant calamitatibus. Ad ea consequenda cum mens hominum ceca ignaraque futuri omni studio anhelet, retrahent procul dubio pedem a quo ceperant cursu si admoniti fuerint, nullam fidem, nullam certam spem in his rebus esse habendam que sursum deorsum versantur cum fortune imperio regantur. Hic divitias magno cumulat studio, insciens se foveam in qua decidat parare, alius sibi opes comparat et amplitudinem quas invidia sequitur, neque eis conservandis interdiu labore noctu vigiliis vexatur. Hic summum locum in civitate ac magistratus eximios querit ut in se comparet tum odii tum exilii locum. Claudam sermonem. Civitatum tyrannidi incubuerunt ignari ut videtur raros eiusmodi homines violentam mortem effugisse. Uxor et liberi ab aliis expetuntur. At hi quantas et quam graves secum ferant curas anxietatesque mentis novit, qui eiusmodi molestias sunt experti. Multi valitudine formaque corporis letantur, res ad breve tempus duraturas et quas levissima res possit conficere ac delere. Amplissime dignitates principatus regna imperia nichil aliud sunt esse quam blandimenta fortune que quam multos extulerunt luserunt everterint. Et legimus et ipsi vidimus haud parva humane miserie documenta, quam propterea qui harum rerum nimias cupiditates ex mentibus hominum delere conantur suadentque procul contemptum fortune donis habendum esse, preceteris consulendi iudicandi sunt, tum quietis corporis tum animi tranquillitati que duo si sana mens foret cunctis rebus ceteris anteferenda. Ut igitur et nos aliquid utilitatis ad vitam hominum nostris lucubratiunculis conemur afferre, duobus libris expressimus prout ingenii facultas tulit, quanta sit miseria conditionis qua nati sumus

Nota blandimenta fortune

et quanti homines suis cogitationibus desipiunt ut perspecta nature imbe-
cillitate propterea sibi casu fortune cognoscat, qui fortune temeritati
nimium crediderit suisque cogitationibus aliquem prebeat intelligere
potuit ex quo veluti ex speculo quodam tuti prospiciat earum tempe-
states qui se periculoso fortune vento commisere. Non autem ignoro
me eam suscepisse scribendi materiam que excellens ingenium exquisitam doctri-
nam eloquentiam requirat. Sed nil amplius a nobis postulandum est quam
quod possimus prestare. Hunc autem laborem, utcumque homines de eo sint iudi-
caturi ad publicam certe omnium suscepimus utilitatem. Tibi vero illustris
princeps hoc opusculum ascripsi, qui sciebam tuorum progenitorum preela-
rissimorum principum vestigia imitantem delectari doctorum hominum inge-
niis et libenter legere que a me scribuntur. Quamvis autem certum sim
equitate moderationeque animi tui omnes abs te infelicitatis
suspiciones propulsaturum esse, tamen non parum tibi profuturam
arbitror huius operis lectionem, tum ad precavendas fortune insidias
que non effugiunt huius vite miseriam, tum ad tutiora consilia ca-
pescenda. Videbis enim velut in speculo prospectis quam multos fortuna
tibi inspectaculum vulgi luserint eamque in bello plurimum posse ma-
iori quadam prudentia te illius arbitrio permittes cuiusque munera he-
sitanti capies manu. Suam quippe gloriam rebus pace et bello
gestis pro tua prestanti virtute es consecutus, quam tibi non solum
conservandam censeo, sed etiam augendam, suadeoque ut potius con-
fidas virtutis presidio, que in duce belli requiritur, quecumque ipse
sunt extrinsecus quam fortune indulgentia quam raro experiri tutis-
simum esse viri sapientes volunt.

Poggii Florentini de miseria condicionis humane liber primus incipit

Septuagesimum et senidum etatis annum agens cum
e Romana curia in qua annis ferme quinquagin-
ta fueram versatus Florentiam revertissem publico
ad senectutem meam receptus officio consilio actibusque
miscebam semper meo pristino instituto pelussime
atque integerrimum virum Cosmum de me dicitis, tum
civem ornatissimum, tum ad modum deditum studiis humanitatis qui plu-
ris menses podagre morbo domi se continebat. Varii inter
sermones erant, tum de rebus ad communia studia spectantibus
tum de hiis in quibus civitas ut plurimum suam semper requirebat.
Contigit autem aliquando ut cum plures ibi adessent de ratione belli
quod vigebat colloquentes inferretur a nonnullis iam tritus
sermo Constantinopolitane urbis et miserrime captivitatis
conquerentibus tam asperam atque immanem barbarorum crude-
litatem in cede ac sanguine fidelium debacchatam. Quidam urbis
augebat calamitatem susceptam futuraque Christianis populi pericula
et timescebat nisi aliis et consiliis et viribus tali medio sub-

venirent. Singuli denique in eam formam descendebant ut nullam
prioribus seculis duriorem neque perniciosiorem urbis alicuius
captivitatem asseveraverint. Preterea nullam unquam christi fidelibus illatam
affirmabant quo dubitandum esset ne pestem perniciosissimam
consequeremur urbem illam tamquam ianuam quandam prebituram
turcis aditum ad occupandas reliquas europe nationes presertim
in mutua christianorum dissensione. Nullum esse christianorum regnum
paratum, nullam ferme gentem nullam provinciam absque bello.
Eos qui summis essent opibus reprimere et continuare vires infi-
delium soliti domesticis discordiis implicatos esse. Italiam que
sola suis armis terra marique profligaret, potentiam barbarorum
variis bellis quassari. Ita vero dolebat totam Grecie ruinam
ut de propria extimescerent cum omnes hebescere viderentur ad feren-
da presidia quibus hostilis impetus cohiberetur. Cum post va-
rios sermones abiissent omnes preter Matheum Palmerium
virum doctissimum atque omni virtute prestantem percontari cepit
Cosmus quid de hac luctuosa sentiremus captivitate quam omnes
tam mestis vocibus ita deploraret atque augeret ut constans esset
opinio, nichil magis pestiferum christianis accidere potuisse et plus
de varietate temporum querebatur et fortune sententia existimans nil
crudelius nil acerbius multis seculis auditum. Tum Matheus — Matheus
ego inquit civitatis tantum causa tante urbis ruine commi-
serationem arbitror esse habendam. Si vero Grecorum naturam mo-
res vitam presidia desidiam avaritiam expendas digni michi
omni supplicio videntur. Primum que sit eorum natura que vita — Cicero
satis a Cicerone nostro exprimitur in ea oratione que est pro L. Flac- — Lucius f
co. Qua fide qua religione quo animo erga christianos semper fue-
rint declarat plurium exitum christianorum militum qui cum
ad terram sanctam recuperandam proficiscerentur variis eorum in-
sidiis sunt extincti. Bis iam fidei professione catholice
conciliis facta abnegarunt. Tanta vero in illis tum igna-
via tum avaritia valuit ut cum plurimo auro argentoque
abundarent ne nummum quidem impendere voluerint in
eorum urbis tutelam credo ut opulentiorem predam turcis re-
linquerent. Cum certissima fama sit ingentem et ultra
quam civis fuerit opinio in illa urbe thesaurum fuisse re-
pertum. Semper pontificum presidia in rebus dubiis im-
plorabant et quod ipsimet sibi subsidium prestare facillime po-
tuissent, ab aliis requirebant ut non casu sed divino iu-
dicio ea calamitatis cecidisse videantur. Fateor tamen civibus
eorum culpa tanta urbis perierit esse eam crudelitatem eam
in barbaris deplorandam. Hunc tamen lamentabilem tante
urbis casum magnifaciendum puto ac minime contempnendum. Ve-
rum non tam sunt hec admiranda quam putentur a vulgo.

fortune condicio

Si quis fortune in rebus humanis solitam licentiam atque imperium a-
nimadvertat eiusque in tollendis auferendisque opibus principati-
bus imperiis regnis instabilitatem Non enim nunc primum in terris
civitatibus gentibus populis vires suas ostentat Antiquus
est illi ludus alta quassare hunc extollere hunc deprimere regem
ex servo servum regem facere Adeo autem constat frequentes
fuisse etiam magnarum urbium desolationes ut minime videatur
mirandum illam conari ita sublimiora et summa fastigia demoliri
Scimus non solum eam urbem captam ab hostibus ac direptam
sed plures amplissimas civitates superiorum temporum monumentis
que post referentur non tantum simili sed etiam maiori clade et
captivitate hostili furore deletas Harum miseriam magno
dolore ac fletu prosequi deberemus nisi maior infelicitatis
moles maiorque rerum metus occurreret nobis cum omnes quadam
nature lege subditi esse videamur Non igitur nobis unius
tantum urbis sed universi orbis esset calamitas atque infe-
licitas deflenda que adeo vulgata est in omnes adeo genus
humanum complexa est ut nulla tanta esse potest dicendi
copia que pro communium miseriarum qualitate parentibus elo-
quentiam prestaret Videtis publicam naturamque sensibus nostris
infixam misere vite legem et parentis primi culpa con-
tractam Hinc nostra omnis infelicitas pendet hinc errores
vitia scelera hominum ortum ducunt ex quibus vite humane
miseria propagatur hinc peccandi atque a virtute decli-
nandi facultas odiosa prebita est Quibus rebus satis
palam constaret mortalium mentes in miserias interdum
deflendas si vacaret singulatim nostras recensere ac deplo-
rare calamitates Quid est enim vita nostra nisi peregrinatio quedam

heraclitus

laboris errorum et stultitie plena Heraclitus ille philosophus
mente versans continuo fletu stultitiam hominum miseriamque
prosequebatur Dolebat sapiens ille tam stultam esse hominum
vitam lugebatque humanum genus ad insaniam prolapsum
continuis in erroribus versari recta consilia spernere negli-
gere virtutem vitia summo studio sequi odisse bonos favere
malis ea semper temere atque importune petere que animum
nostrum summis angoribus variisque molestiis ac perturbationibus
agitarent Itaque vitam hanc omnem deflendam arbitrabatur tanquam
fontem uberrimum ex quo multiplices nostre infelicitatis rivique mo-

Cosmus
Democritus

lestie cumuli emanarent Quanto melius inquit Cosmus
egisse Democritus dicitur qui non fletum sed risum erroribus
hominum accommodabat Quid enim stultius aut viro sapiente indi-
gnius quam flere id quod corrigere nequeas aut ex eo dolorem
nimium profuturum sumere quod non putes queas immutare Ego
potius miseriis nostris modum censeo statuendum quas verbis
augendas esse aut etiam investigandum quemadmodum leniores

eas nobis efficeremus Sanus namque ipsa dicitur est fragilisque etiam
consilio adhibito ad obsistendum incommodis nostris absque ymo ill
gravitate maiore et durum pondus nostra cogitatione et malorum
memoria adiciamus. Fateor plurimas esse vite nostre molestias et
magnam esse humani generis imbecillitatem fateor pluribus fortune vo-
lubilitatibus nos esse expositos et naturam nostram fragilem esse. Sed
data sunt nobis eadem commoda permulta et firma presidia quibus
tuti esse possumus adversus fortune minas et hanc quam narras
miseram vite condicionem. Multa largita est nobis blandimenta
natura multasque iocunditates ac voluptates etiam honestas concessit qui-
bus eiusmodi miseriarum pondus levaremus. Uxorem preterea dedit
liberos nepotes pronepotes in quibus tamquam in speculo nostre
ymaginis exemplar intuemur. Dedit insuper longam posteris
divicias opes amplitudinem honores insignia imperia summum
in civitate locum que nos aliquo velut impendio demulcerent
et animum nostrum a molestiis avocantes perducerent ad tranquillores
cogitationes. Id vero quod plurimi faciendum est concessit nobis
conditor omnium deus rationem rebus ceteris excellentiorem ad quam
tamquam munitam arcem confugeremus, cuius presidio fulti cunctorumque
parentes rebus modum statueremus nec progredi longius quam
eius prescripta pateretur, sineremus nostras cupiditates. Illius
sane preceptis ad beatam perducimur vitam vendicamurque ab
omni miseriarum timiditate. Id tibi certe ratio prestabit si ei ob-
temperaveris, ut firmo constantique sis animo adversus utramque
fortunam ut omnes casus equo animo feras ut immobilis ac invi-
ctus nullos reformides miseriarum timultus ad nullos metus
expavescas libertatemque vitalis animi quam certum sit ab omni
fortune bello et ad presentia mala constans et intrepidus ad fu-
tura. Sed quoniam commune stultitiam a paucis dumtaxat colitur locus
datus est cum fortune tum viciis amplissimis ad nos diversis
consuetudinibus ac libidinibus perturbandos. Cum enim ratione hoc
est virtute que est recta ratio neglexerimus nosque multipli-
cibus cupiditatibus rationi adversis inservierimus tamquam a via itinere
aberrantes nullum quietis portum reperimus. Vagi instabiles
anxii solliciti. Ut quos libido huc illuc transversos agit nullo
certo fine cupiditatum quo fit ut ipsimet nostris malis adeundi
causamque prebeamus. Subimus enim fortune eius pro nutu
suoque more vertentis arbitrium, cuius temeritate regitur popu-
lo vulgi atque imperitorum vita. Quare haud mirum est videri
si intus miseriis implicitam videmus humanam condicionem. Culpa id
certe accidit nostra non nature que dotes illius nobis sed bene vive-
ndi dataque malisque depravatis moribus dominus in premium nostram
servi fortune facti cum liberi esse possemus. Cum ergo dabit Peregrine
michi veniam Matheus in qua si paucis ad ea que a te

dicta sunt respondebo Opinor Cosme tu ubi ita videri quod cete-
ros forsan tui similes et animi virtute et vite integritate fide co-
stancia iudicent Sed non omnes idem ingenium eandem mentem
easdem opes copias facultates easdem natura dedit afferunt ad vite
molestias propellandas Unicum refugere incommodum vite consuevi-
mus reliqua deus opulenter in te congessit que sunt hoc tempore pre-
cipue et optanda ut hac una corporis egritudine plurima ex animi
et fortune dona compensari queant. sed quid senaciorum de
reliquis quorum hunc sua inopia hunc malum pessimum sul-
tinia alium prolis orbitas alium cecitas quosdam debilitas cor-
poris nonnullos tum carcer, tum patrie calamitas quosdam
efficit immanissima nam a deo premit ut se ultro miseros
profiteantur qui omnes longe a te dissentient utenturque Teren-
Terencius — cius Tu si hic sis aliter sentias Itaque minime miror levem
tibi videri miseriam nostram aut non adeo diffusam ut exi-
stimes omnes mortales illi subditos esse Verum senciret aliter
proverbium — ille cui que tibi assunt deessent omnia diversisque veterem
plenum veri proverbio facile de levioribus dissere testatur
suo exemplo inops nichil esse miserius paupertate
Patria pulsus nichil exilio infelicius ignotus nichil diffi-
cilius contemptu liberis carens nichil durius orbitate
eger corpore nichil morbo miserius asseveraret Stulti
nimirum de sua stulticia conqueruntur Nullus enim a deo de-
mens repertus est qui aut de stulticia quereretur
aut doleret sibi sapienciam deesse Plures insurgent con-
tinuam similiter variis casibus acti qui nichil affirmarent
hac vita miserius nichil durius nichil difficilius esse
probatissimis testibus contenderet ad paucos descendere in
paucioribus numerari secunda fortune Adversitas autem
latum amplum et pervagatum campum esse cum prospere
sit brevis atque angustus vicia hec deinde cum hunc esse tum
fortune libidini inquietisque addicta iniqua magis quam
equa lance acta hominum ponderantur hanc magis bonis
ac fortibus infestam viris quos pro arbitrio oppugnet ubi
sepius inita illius temeritati nos subditos esse viribusque
eius magis obnoxios quam racioni asseveraret preterea
racione qua supra fortunam consistere arguens sopita quadam
cedere rebus fortune et illius contumacia succumbere Hinc
Seneca — morum preceptor scribit Seneca Nos in fortune regnum durumque
invitum Pervenimus illius arbitrio digni atque indigni passiones
abuti eam impotenter contumeliose crudeliter corporibus nostris
alios ignibus urere (verere) alios per incerta maria merdos iactare
ex quo deinde vitam nostram tum supplicium esse affirmat tum
flebile totam, tum variis plenam casibus atque infestam Nam

quod dicam ut racionem asseris quam fortune vices debilitarentur
fateor id verum esse quo ad animum spectat si quis illa libere
uti posset Sed plurima obstacula et usque duri obices oppositi sunt
ad consequendam virtutem Concessit nobis rerum parens natura
unicum tantum racionis presidium quo firmiores contra fortune impetum
staremus, sed debilitavit id plurimis hostibus ac preliatoribus Non
enim veteranos solum milites sed varias machinas ac tormenta
comparavit que illam continuo bello expugnaret Videris quale con-
tinuumque sit non agmen sed exercitus in nos undique irruencium
viciorum quibus invalescunt adversum morbis quam tam ad plura de-
scendentes quanta contra virtute insurgat acies ingluvietis
quantum sapiencia a stulticia oppugnetur magno insanorum stul-
ta comitatu Horum omnium racionis ac virtutis hostium si
vires consideraveris difficillimum profecto iudicabis esse unicam racionem
tot oppugnancium certamine depressam vim suam posse vim
dura atque adversa acie exercere Bellum namque atque acriter ra-
cione prosequuntur, avaricia, prodigalitas, luxuria, metus,
temeritas, libido, emulacio, superbia, ambicio et cetere
perturbaciones animi adverse valde atque infestissime racioni
quarum vim pauci sunt adhuc reperti qui racione superarent
Magnam vero mortalium partem seducunt et rapiunt in arbitrium
suum Quotum enim quemque eorum in mortalibus invenies
reperies virum bonum honestum constantem qui se vendicet
a viciorum contagione ne dicam miserrima servitute Omnes
declinaverunt inquit propheta simul inutiles facti sunt non est qui
faciat bonum non est usque ad unum Si nemo bonum faciat si
declinaverunt omnes certe ad mala declinaverunt Malos autem
et improbos eosdem miseros esse constet, sequitur ut omnes vite
miseria conficiantur Quid est enim in hac vita miserius
quid infelicius quam racione virtute contempta viciis deditum esse, quam non
obtemperare racioni qua quis racionis est homo vel bel-
ua ponitur ut stultus sit atque insipiens vere est Nulla
autem insipiencia maius malum nulla maior calamitas
Ergo concedatur oportet quam mali sunt omnes et miseros esse
Nam uxorem filios nepotes reliquaque que enumerasti hac
vite miseria voluisti repellere vide ne ea potius in miseria-
rum irritamenta esse videantur et que consolacionem vitaeque sub-
sidia putas afferre serum ampliorem materiem infelicitatis
importent Sunt enim omnia illa bona a fortuna mutuo con-
cessa rebus que cum placuit repetenda sunt quanto habere
quo dicit magis nos fortuna suis muneribus exornat
eo plus est illius potestas mutabilitatisque extimescenda O
fortuna Terencianus ille adolescens ait quam non stas perpetuo ex
bona Tragedus quoque Res humanas ordine non fortuna regit

spargitur maior muneram acta peiora fouens Et qua paucos aut diuicias fortuna indulsit qua fuerit inconstans multos quos delusit exempla admonent Id sane constat plus doloris amissa illa beneficia preberet quam possessa voluptatis Vxor vel liberi nepotes quanti sint sunt tenuitati si et vixerint diuicias et fuerint boni Suspensus est et dubius animo tamen quilibet et quodam pauore metuens metuens aut vxoris morte aut filii patrem aut mortuum filie Vt Therencius ait Vides preterea multorum orbitate quos fortuna ad opes extulit ac dignitates Vides alterum propter bonorum liberorum interitum dolore alium ob malorum vitam vides multos fatuos fuisse futurum nec habuisse prolem vllam nec vxorem vnquam duxisse Satis plurimos ob diuicias perisse plures honorum cupiditate suis rebus exactos his bonis omnibus si bona habenda sunt que antea recensuisti et sua mala prouenire nouimus et annectentur calamitates opulenciam paupertas qui magis habet contrarius sequitur et inopia opes ac diuicias egestas et salutem valitudinem excipiunt morbi dignitati atque honori proximus est contemptus liberorum proli orbitas succedit Imperium alius furiis mutatur Mitto quod ea quibus felicitatem comparari putas instrumenta viciorum cupiditatum incitamenta voluptatum illecebre acerrimi libidinum stimuli esse consueuerunt Et enim in peccandi licencia difficillimum est honestum seruare diuites inquit Tragedus Regnorumque fideli plusque parum est petunt quod non potest velle posse quam nimium potest quibus ex rebus in persuasione adeo conuinces hanc miseriarum esse labem ut nemo ab ea excipiendum putem

Matheus

Tum cum viderer dicendi finem esse facturus adde his Matheus si libet inquit ut nos Marthe et amici aliquid conficias quod nostra opera comprobare videtur sententiam tuam que primum infantes in lucem edimus opus statuit esse fletum lacrimas lamentationes tamquam natura prudente se palam expositum esse inuasurum atque immensum miseriarum pelagus quibus in primo ea ortu se conspexit esse depressam et hoc vite primordio lamentantur caeta esse reliqui futuri temporis fundamenta videtur qui primo natus est cum nihil aut boni aut mali norit natura impellente futuras prospicere calamitates naturalique instinctu presentire vite mortalis incommoda morbus paupertatem exilium infirmitatem nobis obuium animi corporisque vicia et reliqua detrimenta fragilitatis humane Incertitudo vite nostre cursum fieri fortune arbitrio memorem vt nec alius eius temporis racio sit futura Vereor quod ne antequam nascerem exposita michi esset huius nostre vite condicio ingredi recusarem in tam paruo nauigio tam vastum mare tam tempestuosum ceterisque scopulosum

cuitatem a quibus consurgentem tempestatem nobis naufragium immi-
nere Considerate oro quam optanda quam colenda sit hec vita
incommodis exposita Virgilius describit et eos se putet mi- Virgilius
seros esse negat Vestibulum ante ipsum inquit primisque in
faucibus orci luctus et ultrices posuere cubilia cure pal-
lentesque habitant morbi tristisque senectus Et metus ac ma-
lesuada fames et turpis egestas Terribiles visu forme
letumque laborque Tum consanguineus leti sopor et mala mentis
gaudia mortiferumque adverso in limine bellum ferreique
eumenidum thalami et discordia demens An vos tantis
cum hiis optimis comitantibus ad vitam ingressis sic confiditis nos
viribus nostris tam miseriarum aciem effugere posse maxime
mole magnus hostium copiis magna molestiarum cohorte
premimur Cosme ut nequaquam inspicere quibus adeo aut que
facultas detur nobis ad effugiendasque que ab ipso ortu
nascuntur nobiscum difficultates Que cum ab eo dicta essent Cosmus
Considero inquit Cosmus que a nobis dicta sunt paulo dili-
gentius et verum sententiam uberiori sermone disseruisti que
an probanda sit viderint hii qui in maiori quadam doctrine
facultate versantur loquar tamen que ex tempore in mentem venerit
Ceteri suam opinionem servabunt Ego quidem fateor fortune hanc
et dei indulgentiam in me satis propensam fuisse neque do-
lebo a te explicatas miserias in me esse mediocres tum minores
fuisse in eodem predium est in hac vna urbe et nostra et ma-
iorum nostrorum etate qui ad extremum usque vite finem suam cum fe-
licitate consenuerunt Ut omni iudicio videantur ab hac ut
aiunt communi miseria segregandi Patrem inquit tuum matheus
optimum virum atque insignem pietate se monendum cognovimus
ab hac verba preter cum necem tuam non multa defuerunt ad fe-
licitatem At parens tuus perhumanus fuit ac liberalis
suam pdenius beneficentia quo nichil abfuisse videtur ex hiis
quibus humana felicitas comparatur Et enim et animi et cor-
poris et fortune bonis cummulatissime prestitit reliquos
civitatis sue viris Mittamus Cosmus aut de nobis loqui ne
nos metipsos quod invidiosum esset commendare videamur
Id vero possum dicere plures ex hac urbe similiter cum felicitate
ab hac decessisse vita quos ad effugiendum vulgi variam
sententiis opinionem pretermitto Recitus in presens et antiquis
viris recensendis collocabimus oro nostra qui tum doctrina tum
rerum gestarum gloria claruerunt Nam ut barbaros pre-
teream qui se tyrannorum quam regum similiores esse maluerunt
Stultum videtur viros grecie sapientissimos licurgum solone
aristidem lisandrum socratemque et platonem ceterosque egre-
gios philozophos qui relictis fortune donis se philozo-

phandi studio dediderunt. Allexandrum insuper milciadem age-
silaum· themistoclem epaminundam reliquosque summos quondam
imperatores qui felicissimi putantur existimare miseros fuisse.
Curios vero brutos fabricios publicolas coruncanios camil-
los Cathones lelios Scipiones rutilium Ciceronem innumera-
bilesque alios ab omni miseriarum labe intactos posuit egregia
illorum virtus. Iusti enim sapientesque sunt habiti et cum virtute que
procul omnem a se miseriam repellit vixisse. Non igitur om-
nibus hominibus hec tam imperat misera condicio vite sed stul-
tos tantum atque ignavum et imperitum comprehendit vulgus quod
nulla ratione nulla prudencia nulla virtute fulcitum more
pecudum solo movetur sensu impetuque voluntario quadam
ac repentino. Hii fortune manus porrigentes eique pa-
Arestotiles rentes, hinc sibi miserias se obiectant. Arystotiles summus
noster doctor fortunam in populis ibique cum plurimum posse ubi
minimum inest sapiencie ab ea quadam omnis nostra manat
infelicitatis occasio. Nam qui se illius nutui gubernandos
tradunt qui se illi permittunt qui muneribus inhiant inque
ea spem rerum suarum ponunt non infelices esse non possunt.
Qui vero suorum ducem ac moderatricem rationem et virtutem
habent eiusque preceptis obtemperant sunt ab omni fortune
temeritate et miseria tuti. Quatiuntur ad fortune ventum
non nutant sed agitati robustius insistunt tamen ea virtutum
presidio muniti evaduntque in omni adversitate tamen superiores.
Poggius Hic ego contra dixi inquam aut aliter Cosme sed de quibus
condicionibus huiusmodi nostra sum locutus. Scio quosdam excipi pos-
se ab hac miseriarum sorte quos dei pietas reliquis insignio-
res virtute fecit sed sunt ingenuis cygnis et corvis albis ut dicitur
rariores. Omnia preclara rara efficit nam per pauca undique pa-
rent racius pauciores virtutis presidio reguntur, vix unum quemque (?)
in toto probes singulis etatibus reperies. Quidam sunt iniquus ac
Virgilius pauci quos equus amavit Iupiter aut ardens evexit ad ethera
virtus. At vero que pars est hec nostri vindicatis. Non ego de
unica tantum femina verba facio, aut stoycorum sapiente qui nusquam re-
pertus est. Sed de genere hominum quod clare videmus tum (?)
a fortuna tum ultro advocare causas miseriarum, quibus
illi prebeat locum ad se lacerandum. Imbecilles sumus natura
omnes neque ulla sapientia obsistimus, fortune temeritati, que cum in
suam nos dicionem arbitriumque redegit infirmiores pene mi-
seros sursum deorsum pro arbitrio versat. In omni re profecto
Salustius fortunam dominari Salustius scribit et eam pro libidine
Cicero magis quam ratione omnia regere atque iniustre (?). Sed Cicero quoque in su-
is epistolis plus in rebus humanis fortunam posse ait quam rationem
Theofrastus et omne consilium in fortuna positum esse videri. Theofrasti

q̄ѕ fumaȝ legistis vitam nram a fortūa regi non a sapientia que si ita sit miseros nos e͞e nc̄e est, qui tam fallacis ac tam proditoris tam iniqui fructo p̄mam. Nam quod licurgum solone socrate fabricium cathones ac reliquos quos enumerasti extra miseria fuisse credis Id ego tibi si aliq ex parte concesserim cum stilis virtute p̄dītī nulli miserie subesse et tn̄ sin iuris fortuna omēs asseruai ta͞ extra bona que sic dicionis existunt intris in comodis doloribus morbis calamitatibus que sui͞ miseria contrahut labefactare potest Nam quem in dandis muneribus suis leticia ac voluptate perfudit eundē in auferendis dolore miseriaqȝ torquebit Non n̄ nō sapiens stoicus queritur qui in thauro phalaridis fuerit sit beatus sit beatus sed de cōmuni homi natura deqȝ p̄bitā comuis hūai gn̄is miseria disputamus quā negare non potest nemo ex parte etiā complecti illos quos nocasti Aut n̄ p̄stantissimi viri suis pulsi ciuitatibus eiecti sut ac varie necati miseria huius vite nō caruerut aut misere ciuitates censende sut que erga ciues de se bene meritos iniustissimas se p̄buerut lacedemonii q̄ui de virtute multa dicuntur ligurgum virum sanctissimū prudentissimū ciue senem optimū a quo leges acceperat eas q̄bus septingentis fermo paruerut cū is expulerut ex urbe quā institutis optis ornauit Quo solo facto lacedemonii ip̄tius arguitur fuisse miserimi. Pari in causa videntur athenienses miserrimi iudicandi qui solone virū e septe sapientibus qui urbem legibus muniuerat optis exilio multarunt Credo ut ei gratiā p̄ tanto legū p̄mo stilis̄ calamitate referret Socratem virū sapientissimū apollinis oraculo iudicatum iniquissimo iudicio cepissere Aristidem qui solus in tanta aiū te iusti cognomen est assecutus quia nimius iustus videbatur in exiliu eiecerut Ut magis ob id iniqui fuisse athenienses populus que aristidē exulasse videatur Num quidnam tam p̄iusso iudicio ciuitas tam ingrata non est censenda infirma que optios ciues sapientissimos viros sui͞s in patrice vinculis carce exilio morte violenta finire coegit Miltiades athenienses dux sapientissimus post illā marathoniā pugnā in qua centū milia hostiū cū decē milibus superauit populi iussu in vinculis est defunctus Cymon eius filius p̄ belli glā inuidia pulsus extra patriā obiit diem suū phocione clementia liberalitate virtute p̄stante innoq ab athenensibus peremptū ex patria fines sepeliri ciuitas illa coegit exempla permulta p̄bent quo magne p̄mio bene de se merentes ciues soleret afficre Simile

Licurgus
Solon

ligurgus

Solon

Sortes
Aristides

milciades

Cymon

Demetrius
Themistocles

vite exitum demetrius phalareus sortitus est viro indignissime ci=
uitatis. Quid loquar de Themistocle cuius navali prelio vi=
ctus classem xersis regis potentissimi profligauit ex quo
salus patrie parta est non eorundem quos saluarat ius=
su in exilio est defunctus.

Alcibiades

Idem exitus alcybiadis sui
ducis fuit quem iniusta patria compulit in exilio mori. Ho=
rum clarissimorum virorum casus ut videor testantur aut mi=
seros illos fuisse qui tam crudelia fata sunt sortiti aut
miseras ciuitates que suos liberatores ac defensores tam
ingrata beneficiorum memoria carcerarunt, expulerunt, occiderunt.

Allexander

Nam quod allexandrum inter eos nominasti, qui ab hac
conditione miserie possent excipi ille in miserrimis omnibus

Vicia Alex.

qui vmquam fuerunt esse videtur siquidem crudelis ebriosus
superbus supra conditionem humanam elatus ira feruens orbis
predo deterrimus amicorum pestis nepharia fuit. Que igitur
tot viciis felicitati sociata esse potest profecto nulla nisi
vicia virtutibus equare velimus. Omitto carthaginenses
qui suos imperatores bellica virtute preclaros aut expulerunt
urbe aut in crucem sustulerunt quos credere licet [illegible] miseri=
mme prudentis hominis esse videtur. Sed ne Romani quidem
quorum virtutem tantopere scriptores extollunt extra miseriam
hanc fuisse conceduntur cum erga suos auctores defensores
propugnatores ingrati tam inter se [illegible] tam sibi pesti
fuerint quibus tam iniqui virtutis extitatores. Marcus Coriola=
nus Camillus tot superiores patrie liberatores aut iniquis plebiscitis
ex urbe pulsos legimus aut in carcerem deinde missos aut vio=

Rutilius

lenta peremptos morte. Rutilius vir optimus ac sanctissimus
iniquissimo plebiscito exulauit qui postmodum reuocante
Silla redire in patriam noluit ducens se non posse cum deo
in eam urbem reuerti in qua plus arma quam leges

Catho

valeret. Posteriore Cathonem stoyce virtutis virum tum re=
pulse ignominia. Pro pudor tum intus contumelie non defuit
iuuentute qui Cathonis facie sputis caput fimo
macularet tanta pro dono cura virtutis fuit, que inter
cetera de causis dicat fuisse miseram. Nam que felicitas in ea
viguit urbe que tum erga bene de se meritos ciues crude=
lis extitit tum semper in intestinis dissensionibus externis
que bellis ac cladibus classata quassata suorum aliorumque
contra cede rapinis spoliis incendiis vexata est. Ea tum
fuit misera vite ratione experta est tum vero magis
cum ciuilibus bellis dictatorum consulum tercium virorum seui=
cia inmanitateque laceraretur cum ciuibus exhausta clarissimis
tot excellentium virorum prosperitate rebusque defessa tri=
dem perdita libertate ad vnius imperium redacta non impa=

eorum sed proditorum detestanda crudelitate passa corruit
Quid illi civitati miserius accidere potuit quam in Ciceronis Cicero
tri dextram manum caput vinii ebrii edicto affigeret conspiceret
his rostris in quibus vir optimus patrieque sanctissimus comunem
urbis salutem defenderet sepius contra impetus civium perditorum
Quid infelicius illi fuit urbe quam Octavii Cinne Carbonis
Marii Sylle quorum tempus potestatum non crudelitatem sed insaniam
rabiem civium sanguine redundantem fuisse victo tempore in suam
perniciem perpessam dicant, tamen atque opinionem sed ut voluit
Cesarem augustissimum in quem plura quam in alium quempiam Cesar augustus
dona fortuna congessit nonnulli quidam fuisse felicem. Ego hoc
civium patrie reipublice Ciceronis proditorem qui arma pro salute
publica acceptata in nepharium illius servitutem convertit, qui liber
tatem patrie obstulit, qui Ciceronem virum sanctissimum de se optime
meritum parentem patrie regnandi gratia Anthonio trucidan-
dum concessit, qui senatu plus quam tyrannica usus ac occi-
dendis trucidandisque civibus defessus sanctitate modum pro-
scriptionibus fecit miserrimum fuisse contendam. Ut Tissos fato
reliquos tacitum viros quos quam feliciter exiverint et vite tur-
pitudo et infelix misereque vite exitus declarat. Hoc
sane asseram et illam urbem nostram fugisse cum quam
diu commune misere calamitate et unum tantum tot seculis
in ea Q. scilicet Metellum habuit esse felicem. Verum si tanti Quintus metel
virtutem fuimus ut ea sola nos eximere ab omni miseria
servitute possit. Et virtute quoque vacuos hoc est malos et vi-
ciosos miseros esse necesse. Non enim parva videtur miseria
care virtute flagitio et turpitudini deditum esse. Misera
est igitur omnis peccantium vita nullusque morbus est
animi egritudine perniciosior. At vero omnes ferme malum
hoc quod est perniciosissimum vexat miseros ergo impios
esse omnes necesse est. Et quidem quam late pateat nescia no-
stri quamquam sint in promptu vicia et quam undique in nos in-
currant, quibus tanta difficultate obsistamus testis est
vita nostra tum sceleribus tum flagitiis plena. Nemo vi-
tiis sine nascitur, inquit Horatius. Optimus ille est qui mi- Oratius
nimis urgetur. Itaque fatendum videtur cum omnes in vi-
cio sint eos et miseros esse. At vero vitam nostram undique
distrahi viciis agitarique palam conspicitur. Ardet alius avaricia
alius luxurie addictus est. Hic servit ambitioni, alter
superbia dominatur, hunc torquet cupiditas dominandi
alius odio atque invidia laborat. Quosdam alicuius immi-
nente opibus nonnullos questui et cumulandis divitiis
inservire videmus. Sunt et quos paupertas ad mala compellat
facinora. Sunt qui variis voluptatum illecebris capti a vera via

Tantalus

detorqueant et multimodis hominum vita ad questum faciundum dedita est cernis, quibus fraus amica est et voluntaria quedam nimis mentiendi Sunt instar quedam tantali qui in affluenti rerum copia neque famem neque sitim expulsent videre licet quospiam ad illa adipiscenda supervacuis incubere laboribus que parta postmodum maiori molestia afficiat possessores ut ut satius fuerit futurum sua illos spe frustratos fuisse quam quod cupierint adeptos Omni studio querunt illa potissime que cum difficultate potita difficilius teneant et Quid est enim tam stabile tam firmum tam solidum in his quorum nobis usus fortuna concessit quod non eius vis ac libido dissipet atque evertat Omnia hec illius arbitrio reguntur quin tantundem seminet cum libuerit ablatura Quare non tam letandum est his que mutuo dedit utenda nobis quam semper metuendum ne cum noluerit cogaris amittere Labuntur humana semper ac fluunt nunquam in eodem statu permansura Ea conditione natura constituit singula ut in occasum atque mutuum vergant Illorum qui vulgo felices putantur si cogitationes et actus inspexeris interiores invenies profecto inanem hanc exteriorum speciem bonorum et umbratilem pompam intus ac variis anxietatibus circumventam Rectissime scripsit Oracius

Oracius

Non enim gaze neque consularis summonet lictor miseros tumultus mentis et circum laqueata tecta volantes Hii sunt potentiorum hostes quorum maxime et aulam sedem sibi elegerunt At ubi illi adsunt raro quies animi aut securum portum aut ulla felicitas habitare consuevit plus decoris habere videntur quam voluptatis quippe que tamquam ad theatri aut porticus ornamenta sunt mutuo ad ludos celebrandos commodata que reddenda sunt nunc ad aliam voluntatem At quo plura ex huiusmodi rebus possideas qua fortune satellites videntur eo maiori ne repetant torqueris cura ipsi met qui fortune bonis fruuntur sepius nobis exprimunt quam anxius sit eorum animus quam suspensus quam pavidus ad incertos atque improvisos casus Nam qua felicitate prediti possent hec fucata fortune munera divitiis quidem res est egestas quam rerum copia pressit Nam quid illos extra insidias putas qui donis fortune florent unde ne servus res sese habeat felices existimantur qui opibus excellunt qui exuberant copiis qui facultates amplas sunt assecuti qui in imperia ascendunt quibus uxor et optata proles data est Hec profecto summe sunt voluptate dum adsunt sed memento sunt temporis dona et amica illorum tutela videntur nunquam parta adeo divites fuit unquam qui suis modum statuerit cupiditatibus qui non concupierit quesierit que maiora

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Cura rerum solli- (Iuvenalis)
citudo inquieta reddit vitam ac turbulentam; pavet in animo
futura, sollicitatur nunc spe nunc metu, spem metumque versentur et ad
omnem auram expavescat. Michi vero hi quos appellant fe-
lices eo certius miseriores videntur quo maior peccandi
libertas est illis concessa. Novimus enim male agendi licen-
tiam peccatis locum prebere. Unde notum est proverbium nos licentia
fieri deteriores, probavissetque illa Terentii sententia utile esse
ut nequid nimis. Quis enim in divitiis opibus rerum
opulentia in ampla fortuna a turpitudine scelere flagitiis
abstinet? Quis homo in suis dictis factisque rationem habet
officii? Quis virtutem sequitur, quam illius pater instituit?
Magna profecto probitatis solitudo apud eos esse consuevit,
magna vitiorum frequentia. Ut vero reges principes et po- (de infelicitate principum liber)
tentes viros missos faciam, quibus libido est pro virtute,
quorumque de infelicitate in quodam meo libello disseru-
disserui, ut omittam militares sequentes, quorum vita omnis (militares)
inquinata flagitiis nil miserius nil infelicius esse potest,
ut opifices quoque omnes quibus fraus magis quam opera opi- (opifex)
tulantur, ut illos insuper qui doctrinam suam in questum tradu-
xerunt, qui lucri causa ius in iniuria vertunt, ut minimi (Iuriste)
huius homines poterim, quorum exercitatio vite misera anceps que est.
Quid vulgus hominum, stolidam atque ignavam rem, ex parte qui
beluarum more videntur ad pastum procreati esse? Nonne
fatebere in eo stultitiam infelicitatem miseriam sibi domi-
cilium elegisse? Cuius nequitia sane prona est coniuncta vita cui
virtute post habita. Quare notum est cum virtutibus sit vulgi
consortio proscripta, videatur miseram esse. Hanc eius
vite conditionem ut si recte quorumvis mortalium depravatam
naturam et mores pervestigaveris, nullus ab hac vite miseria
liber esse censeri queat. Hic Paulus subridens Cosmus: (Cosmus)
Quid sibi inquit Poggi, ne hi viri qui religioni dicunt se
dediti et hi presertim qui publice paupertatem ostendant quique
se normam evangelicam sequi dicunt te in iudicium vo-
cent assentes, non ratam aut veram esse tuam sententiam cum
eam vitam vivant que nulla in re fortune ducitur arbitrio.
In illis bonis neque de crastino ut aiunt soliciti libere
quiete beate vitam degunt procul ab omni miseriarum timore.
Multos afferent sanctos ac beatos viros ex eorum ordi-
ne perfectos, in quibus nephas sit putare aliquem additum
illi miserie datum. Nam qui preceptis dei inherentes Christo
adiunguntur in beatorum numero et vivi et mortui sunt ha-
bendi. Magna est ut nosti religionum varietas, magna
in illis hominum multitudo, ex quibus reperies plurimos et ita

et superiorum memoria quibus dei benignitas eternam gloriam est
elargita Ab hiis certe omnis abfuit infelicitas Nam si ea
fortune arbitrio a nobis sua repeteremus que vsuntur oriturque
profecto qui a se fucata illa munera abdicarunt in tuto ver-
sati sunt in castris virtutis sua presidia collocassent glorie ce-
lestis sunt participes facti qui nedum miseri non fuerunt
sed multos ab hac humane vite miseria verbo et exemplo liberos
reddiderunt Itaque palam constat hanc tuam nature miseriam non
esse omnibus quoniam in eius rei que sit naturalis oporteat omnes
Poggius participes esse Tum ego nolo inquam Cosme in eorum de-
scendere certamen quos dixisti dedicatos religioni Nam et com-
paratio maligna et ad lacessendum parata contra me presertim quos
se illi putant in quodam meo libello contra ypocritas edito lesos
Sed hanc provinciam Matheo relinquam cuius sua auctoritas est et
prudentia Et quod de ipsorum felicitate opinetur libera
Matheus sententia feret Video Matheus inquit et hanc aciem nimis
validam a te subterfugere et tibi cum multis ex eis quandam
consuetudinem esse Duo te vereri ne quis eorum
de quibus recte sentis se existimet a te offensum sed vanum
loqui unicuique licet Quamvis Therentius ille dicat ob-
sequium amicos veritas odium parit Proferam igitur presertim
hec omnis in me reiciatis quod non de eorum religiosorum
felicitate videatur quam in re certus sum doctos sapientes
probos aut aliqua preditos virtute meam esse sensuros re-
liquam plebem veluti rusticam atque ineptam contemptimo
Horum tamen maior pars absque ulla difficultate fatetur se
suam vitam multis ascriptam miseriis ut quibus alieno et
appetitu et arbitrio quo rari equo animo sustinent sit vivendum
Verum non ego tibi ut antea testatus est Poggius de uno
aut altero cultui religionis dedito loquar Sed de communi omnium
que quidem durior mihi videtur conditione Omnis aqua natura
frigidam esse et in calidam quedam reperiuntur Sunt etiam absque
ullo sapore Maris tamen salsa est quedam vero amare aut dul-
ces prout fert regio per quam labuntur Qualis natura sit
forma hominis nullius sane mentis ignotum est Nascuntur
aliqui tamen aut bicipites aut manci aut duplicatis membris
aut corpore debilitati aut demptis digitis aut multiplicatis
Neque vero ista velut monstra naturam immutat ordinis communis
Eodem omnis nostra natura infirmata est debilitata languida
variis morbis tum animi tum corporis corrupta semper
subdita quibus cum apostolus paulus sibi bellum continuum esse
scribit et legem in membris suis esse quandam legi mentis
repugnantem ut non quod velit faciat sed quod nolit Si
ergo vas electionis quem deus segregavit in civium suum

quo cum loquebatur cristus a deo naturae legem hoc est sensus no-
stros et varios animi morbos sibi contrarios et infestos ut quod
nollet facere cogeretur quod de hac fragilitatis massa legi sub-
dita peccati ducimus Nonne fatendum est ab ipso ortu nostro
humanam naturam infelicitatem et miseriam contraxisse / quam si
evitare ita difficile apostolo videbatur / vt diceret quis liberabit
me a miseria corporis servitute / quid ceteris accidet qui carnis
mole oppressi / qui ac perturbacionibus redeuntes celeribus oppleti
[illegible] absque virtute vitam ducunt bestiarum ritu. Etenim iudi-
candum est eos esse miserrimos fateor plures fuisse et esse
quos sibi elegit deus et in hac vita et futura beatos Ve-
rum non imitat iste naturam humanam aut fragilitatis [illegible]
sed omnes superant in suis viribus / sed altissimi gratia quas
apostolus querebatur difficultates / Parvula est ista felicium por-
tio si vniversum hominum respicias genus Vna irundine vt ait
Aristoteles nequaquam designatur estas Quemadmodum astrolo-
gi terram hanc omnem instar puncti ad vniversum celi ambitum
esse voluit ita illi quos beatos fatemur minus quam instar
puncti reperientur ad multitudinem ceterorum Nam quod religiosos
dicatos attulisti qui se asserant ab omni miseria remotos ob
hoc ipsum miseros dico quod non senciant miseriam suam Perni-
ciosus enim censetur morbus qui stupidum et nil sencientia mem-
bra reddit Do tibi multos esse eos esse quos per vite sanctitatem
per ingenium et doctrinam numquam miseros appellare Religiosos
quoque necessarios puto ad tuendam et considerandam fidem cui
plurimum prestant in populis ad vicia cohercenda ac voce et
exemplo sunt velut fidei nostre propugnaculum Sed in tanto
diversarum gencium concursu vitam varia immensaque hominum
turba si bonos a malis segreges / si doctos ab indoctis si a
sapientibus stultos si a strenuis ignavos hinc pauci repe-
rientur quos probare queas Illinc quos quidem multos magis
hominum vulgus occurret ignobile ac superstitiosum quos si vacare
vite miseria opinaris vide ne longe decipiaris Horum se-
clusa pars ab reliquorum consuetudine fugit consulto multitudinem que
inopiam contempnit frigus fugit calores evitat sitim ac famem
et reliqua vite incommoda declinat ob amorem cristi qui
felices an miseri sint Viderint ipsi qui nudi nullis contecti
vestibus [illegible] simulacione furtum redditum sunt in alio orbe fu-
turi opum [illegible] Videmus tamen non nullos ex eis ad curiam cu-
riam ardentes [illegible] equis vehi largam [illegible] suprimis
facere polliceri ac largiri / multa ut possessiones quibus vi-
tam ducunt copiosiorem / procul ab omni molestia longinquam
quacunque racione augeant Est aliud genus eorum qui se ap-
pellant mendicantes quamquam videatur ponas alios medicos

Bernhardinum

reddere, ex ceterorum sudore ipsi otia laboris repetentes. Sed his
sibi non quidam observantie induxerunt quibus otiis que felicitatis
tribui possit ignoro. Hoc vivendi genus parte maxima hii qui
se minores appellant et sibi hoc nomen observantie proprie usurpant
ex agrestibus opificibus mercenariis desidiosis esse confecta
quibus non sumende religionis aut vite sanctitatis sed laboris de-
clinandi propria cura fuit. Plebs ampullosa nimium ma-
gis fastu et ostentationi quam vere virtuti dedita que se a deo
sanctam putat a deo immaculatam adeo vite perfecte ut nihil
sibi abesse putant quo minus beati esse videantur. Se quidem
magni existimant, ceteros contemnunt adeo superbia elati adeo
inflati fastu ut etiam suo capiti ea mille constituto seculis
sanctus adversentur ut quod suis manibus infusis videatur neque
dignitatem debeat parere. Qua opinionis perversitate omnem
rerum publicarum statum quelli atque eum mitte esset. Si quidem
non sunt ad bonos et optimos viros dignitates magistratus
officia imperia deferuntur. Optima est ille vilem ac sordidam
vestem vile indumentum pedes ligno calceatos demissum
ab humeris caput tonsorum collum pallidula facie vir-
tutis esse signa ac sanctitatis. At illa ut plerumque solet esse
inanis glorie irritamenta faterer felices esse illos si tales
essent quales volunt videri, sed longe minor vita distat
ab ostentatione seditiosi quidem fervientes ambitione impor-
tuni maledici etiam in sue professionis viros sepissime depre-
henduntur ut nuper Perusii accidit in eorum generalis ca-
pituli celebratione. Huiusmodi tu homines felices ne an miseros
censeas ignoro. Ego autem arbitror omnes illos quorum mo-
res ab eorum institutis discrepant esse miseriores neque at-
tingere ulla parte felicitatis nisi quatenus fallendo et
decipiendo populum se felices putant. Ne autem videar cum
hac multivaga gente inane bellum gerere et ne eos
provocem ad maledicentiam lingue sinamus illos in sua
felicitatis opinione tabescere. Probo igitur Poggi sermones
neque eos quos operaris exceptos ab hac miseria vite hominum
conditione. Perspicuum enim nos illi subditos esse ea lege
que ab ipso orbis exordio similiter nascentibus est data. Certi
sumus ut nostri ad labores vite varios ad sugenda labores
languores pericula morbos exituros in qua veluti tem-
pestuosi importuniosique maris sunt nobis diversa rerum nau-
fragia subeunda. Nulla penitus temporis quies, nulla securitas
omnibus nullus a curis vacuus dies datur nulla laborum inter-
capedo ut plane secundum terentium sermonem affirmare liceat
nos esse ad miseriam natos. Tu ipse noster Cosme quem
tamen beatum putant hac etatis longiore curriculo quam te cogi-

tationes cure molestie perturbationes animi conducet que
desunt ad quietem vacationem quanto tempore tibi vivas Nesciunt alii quam
sit sollicita magne tutela felicitatis quam dubia quam anxia illius
conservande fortuna Ignorat plerumque quantum in republica possit invidia
quantum sit virtutis odium apud multos quanta emulatio maiorum
eterna plebs conspicit que magna ex parte sunt speciosa
clientelas vestes apparatus domesticos lautam supellectilem
argenteam mensam longum servientium agmen ad que omnes ore
patulo inhiant tamquam in hiis sit felicitas constituta sed non vi-
dentur neque conspiciuntur interiores calamitates occultati morbi et
vulnera severiora que animum miserum reddunt atque infelicem Romanus
ille civis cum repudiasset uxorem multis id factum improbantibus quia pul-
cra honestam probam ut videbatur ab eo dimissam culpa-
bantibus accusaret ostenso quem in pedibus gestabat calceo pe-
tivit nunquid is aptus esset et pulcer videtur Annuentibus
illis at solus inquit novi qua me pedis parte premat
Sic est profecto non sunt omnibus cerui qui bene putantur nota cum
animi cruciatus tum molestiores cure tum mentis perturba-
ti motus qui corda illorum magis vulnerant Aliorum decor excedit
in quorum curatione Tum Cosmus Scio inquit Mathee plu-
ribus difficultatibus esse implicitam vitam nostram ut que semper
desanguerent sed certamine victorum scio difficillimum esse rationi su-
perare fortunam animique constantia et sapientia repellere angores
ac molestias imminentes Sed novi eciam viros sapientes numquam
miseros esse quippe cum virtutis nulla societate careat cum mi-
seria sed eam procul abiciat et repellat Multas affers il-
lius vite molestias atque impedimenta et cum viris contes-
tationes a quibus contra oppugnarem si vexaretur ut aegro-
tationes pluribus cum animi tum corporis egritudinibus quibus
maiori ex parte nostra imbecillitas cedit Verum non natura
sed vicio nostro et morum perversitate omnis humana miseria est con-
tracta ut non mirum sit quorundam male instituta naturam
sue miserie extitisse Quare paucorum culpa non videtur
michi ad commune genus hominum referenda Hec cum dicta
essent Tum Matheus probatur michi sane inquit Pog-
gii sententia et tua oratio Cosme videtur satis facile re-
felli posse Dictum est enim plures non posse tolli communes
erumnas quam paucis ab hac gente se legi posse apud
quos nulla infelicitas aut miseria resideat donum mihi certe
certe id dei fuit si qui hanc imbecillitatem humani animi v-
irtute vicerunt Sed ut eloquar quod sentio sedem ac fu-
ndamentum vite mortalium existimo miseriam esse eamque lo-
ngius evagari ac radices suas alcius vel esse quam mihi
forsan oppinetur De qua si libet addam pauca superioribus

Tum [?]
Cosmus

Matheus

que in hac sermonem quadrare posse videantur. Placet inquit
Cosmus et huius diei reliquum his sermonibus transigi malo quam
vis aliorum qui nobis sunt sane permolesta importunitate mole-
sti. Incipiamus a levioribus Matheus inquit ut postmodum
ea que sunt maiora videntur aggrediamur. Primum vos
ut tenuiora paucis agantur consideremus etatis nostre
in qua huius miserie materia reperiatur argumenta imbecil-
litatem ac varietatem. Infancia pubertas adolescencia nomine
cum stulticia lascivia impudencia incontinencia redundet sunt
miseria plene quod harum etatum vita differt a beluis nullo
consilio nulla discretione nulla prudencia vivunt. Sunt
illi a sensibus variis subiecti passionibus cum ratione devii
ut haud procul distent ab insania haud etatum incipientes
ludos lascivias iracundias mores iocos vanos appetitus li-
bidinem ipsi met paulum etate firmati admirantes despiciunt.
Pudet eorum remissi que superioribus annis etas imbecilla
permisit. Eiusmodi etates nature ipsius vicium mancas ac de-
biles tum nullius rei usui sunt in sua miseria versari exi-
stimamus. Recense ut que duximus notitiora fiat mores et
vitam adolescentum quorum etas rationis ignara ut plurimum vi-
tiis demersa iacet. Sub eos voluptatum malarumque cupi-
ditatum sectatores recta consilia et monitores aspernari. Sed
eos ad omne facinus et turpitudinem promptos produxero
sumptuosos superbos lascivos crudelesque plura sunt illius
efferuescentis etatis vitia que in omne malum facinus cum-
pnat. Virorum etas diversis studiis distracta impellit animum ad
pecunias cumulandas ad ambitum clientelas honores ma-
gistratus imperia glorie cupiditate quas propter res inter
sunt semper varia instabili inquieta anxia novas res appe-
tentes, tum invidia tum emulatione vexantur, ut eorum
vita nichil differre videatur ab illius inquiete, qui apud
inferos continua rote voluptate torquetur. Que senum sit
felicitas, iam ipse nosti qui eius dampna experiris.
Multa inquit Oratius senem circumveniunt incommoda plu-
resque circumstant imbecillitates, queruli sunt difficiles
morosi timidi ut qui credant omnia sibi elimenta de futuro.
Excusat in Tullius senectute neque eius incommoda tribuit
etati sed hominis culpe. Preter cetera extracta vitam tamen paucos
in tot seculis tollerabiles affert senes quos si reliqua
assarent omnia mortis tamen et corporis debilitas quibus illa
etas afficitur reddet miseriores. Recte Terencius ut scripsit
ipsam senectutem morbum esse. Decrepitus porro quorum
miseria nota est ut reliquas postponam huius etatis
difficultates vitam certe illorum infirmitas pene confecta mo-

Vita Senectutis

lesys tam suis odio est quam alienis ut solum doloris et laboris
particeps esse videatur. Contemptui est preterea omnibus propter
multos illius etatis defectus. Vis scire omnes vite gradus
nobis ipsis miseros improbari? Puer infantiam nephas con-
tempnit, adolescens aspernatur puerorum ludos, a viris ado-
lescentulorum studia despiciuntur quibus aucupandi venandique exer-
cicium et effusi sumptus ac patrimonii calamitas habentur
virtutis loco. Senes virorum animos ut sollicitos inquietos
robustique supervacaneis deditos ut vivendi inscios redarguunt.
Decrepitus obiurgat senem ipse eodem modo prius velut preter
modum avarum et sollicitum futuri singuli anni superiores vix
decrepitum ut stolidum ac repuerescentem, nullique rei utilem deridet.
Ita nulla vite pars si convenienter spectetur nature conditione aut quilibet
vitio reprehendi possit miseria caret. Si quidem nosmetipsi
omnes illius partes velut rerum censuras ac infelices accusa-
tum quasi inter se studiis certantes. Ipse Cicero in Tusculanis
suis disputationibus ait: Cum virtutem laudasses hinc igitur
senectute maioris fortune diffide et humani generis imbecillitatem fragi-
litatemque extimesce. Vere natura corpora nobis
infirma dedisset lysisque et morbos insanabiles et dolores
intollerabiles adiunxisset, animos quoque dederit et corporum do-
loribus congruentes et separatim suis angoribus et mole-
stiis implicatos. Hec Ciceronis verba. Nichil aliud predicat
nisi miseriam vite communem cui omnes quasi lege nature subiecti
sumus. Sed quid ego in particulari huius vite erumpnas
involvor? Omnis vita flebilis variisque calamitatibus con-
fecta. Pauper plurimo sudore suo studio magna cura opes ac
fortunas querens efficitur dives a sensu suo sibi magis sol-
licitudine ad infelicitatem parans. Dives quis et opulentus
cum evaserit in paupertatem descendit, rerum usum miseram ac
pudore acerbam. Videmus potentes e rerum statu deiici et ex-
tolli infimos. Hic exul a patria bonis omnibus orbus vagus
ac egens quo nichil est miserius peregrinatur. Alius in patria
residens aut fortunis aut vita privatur. Sunt qui ex despe-
ratione quadam vite melioris aut laqueo aut veneno aut gla-
dio sibi mortem consciscunt. Alium latro spoliat aut occidit.
Plurimi bello peste naufragio flamma absumuntur. Hic
uxorem concubinam liberos fratres quietos amicos amittit. Hic
oculorum luce, hic valetudine privatur, quidam membro debili-
tantur corporis quibusdam caret, attulit finem vite. Multi
ad senectutem extremam usque perducti etate tam longinqua
quandoque detestantur appetentes mortem. Quid morbos infir-
mitates fere recenseam quibus humanum genus subiectum quam varii quam
crudeles quam crebri quam infesti. Nos invadant teste Tito cum
podagra sint dumque molestia plurimis oculorum lippitudine

multi stomaci laterum dolore affitiuntur et paucos usque ad seni-
um bona valitudo comitatur. Sexcenta sunt corporum no-
strorum dampna quibus ad miseriam perducimur. hiis adice
animorum vicia que plura sunt et multo quam corporum pernitiosi-
ora. Videbis homines discordiis, litigiis, querelis, dissidiis con-
versis mentes nostras ad mutua odia compellere. Videbis
quanta sit invidie libido et ad que facinora mortales
quondam excitaverit. lege antiquas tragedias. Athreum
Thiestem Medeam fraternas cedes et bella civilia. lege
ovidii sententiam: non hospes ab hospite tutus. Non so-
cer a genero, fratrum concordia rara est. Demum filios pa-
rentum iussu, parentes filiorum crudelitate, fratres insi-
diis fratrum regnandi gratia necatos legimus, viros ab uxo-
ribus interfectos, feminas virorum precepto interemptas. Matre-
ne crudelitatis in filios et item filiorum sceleris in matrem
testes sunt veterum facinora nota nobis. Clua propter tocius
orbis una esset tragedia conficienda ad exprimendam que-
hanc humani generis calamitatem. Quid loquar de amore re
admodum mortalibus necessarium. Nonne multos aut perdidit
omnino aut variis dampnis aut incomodis affligit. Re-
perti sunt olim quibus amoris impatientia attulerit ca-
sum mortis. Leandri ceterorumque fabulas omittamus. quidam nostro
seculo cum desiderium amate nequiret diutius ferre ante
fores eius laqueo se suspendit. Multa cogit amor per-
peti eos qui subditi arbitrio suo in miseria versantur. Invi-
dia vero et emulatio quam multos et fortunis et vita exuerit
satis constat. Ingentis mali et late in regnum principum
et Tyrannorum presertim domiciliis diffusas quos apud
quid possit livor, quid vero detractio, quid emulatio quid
calumpnia invidie ancille pestifere illorum docent casus quos
dominandi libido pessumdavit. Missos facio barbaros a
quibus in immensa crudelitatis exempla ab invidia profecto
reperiuntur. Apud nostros quoque infinitos pene pra-
stantes homines excellentia invidia edidit. Seianum legimus
orbis alterum fere principem Tiberii Claudii absentis unico
edicto laceratum. Adrianum imperatorem ad ceteros principes
humanum ac sapientem a deo fidem prebuisse detractoribus
traditur ut multos quos ad summum provexerat ad levem
calumpniatorum auram de statu vero incognita causa dei-
ceret. Valentis et Valentiniani tanta inmanitas fuit ut
ad parvas suspitiones ab invidis excitatas stragem quon-
dam virorum excellentium inveheret. Clua propter non imperium
eorum sed crudelis ac nepharia carnificina potuit extare.
Non recenseo que alter Tiberius, que vero que C. Caligula
que Vitellius Domitianus Anthonius quoque reliquique eum

Amor

Leander

Invidia

Seianus

Adrianus

Valens Vale

delitue insignes nō impauerit sed lanistre et homini protecta adu̅
sue innocentia inuidie et delatorum culpa pararint longam
in oroz requireret Hoc est notissimum est multos ob aliquam tradi-
tionem ac principum ab inuidis iniectam suspicionem crudo destine
variosque tormentorum genere cruciatos doloris impaciencia morte
vite peculisse Nichil est hominum periculosius quam principis ma-
liuolentia Non enim desinit qua cepit sed mala facinora peioribus
accumulat ut recte videatur egisse Nam que odisse cepit pe-
rire expetit / neque ullus venie aut innocentie datur locus
Ut misera sit conditio vite tondidor quos maiorum libidini obno-
xios fortuna fecit Prestantibus etiam virtute viris maxime
timendi sunt reges / quibus ut inquit Salustius boni quam
mali sunt suspiciores Videns igitur quanta mala secum
portet inuidia quam sit perniciosa quam fallax quam multos
tradiderit nece Effitia profecto tullius inquit ut intelligamus
hominum nil tam timendum esse quam inuidia Occulte enim fallit
surrepit in aures hominum beniuolentie significatione seducit
audientes in aliorum perniciem cum maior hominum pars
aures pandat calumpniatoribus prebeat Quid loquar
de lingua que homines pessundedit cum in multos sit in- lingua
torum causam prebuit malorum que cohercere difficile est sed
in usu sunt cottidiano an oculos exposita Hinc qui in-
dulget eius perul absint a recte viuendi esse miserrimi Per-
niciosum malum censetur auaricia que quam multos corrumpet in- **Auaricia**
tales ipse quotidie perspicis hoc vere video posse dici
nullum esse vicium execrabilius auaricia nullum deterius nullum generi
hominum perniciosius de quo quoniam est alio in loco disputatum
a me diligencius non ero longior in eius nequicia recensenda
qui tamen eo morbo tenentur miseram et detestabilem vite condi-
cione ducunt Transfert enim homines tres tractus pocula in-
potentia perniciosissima cum nichil tam sit contrarium
ad quam tuendam nati sumus utilitatem nil tam contrarium quam a-
uaricia Quid referam rem nephandam qua nichil auaricia
hominum magis perturbatur Iram que nulli racioni paret Ira
quo furor eius ducit proficiscitur Si quis eius prauitate
inmanitatemque et veluti subitam procellam ac perniciosam velt
inspicere legat Senece libros quos de ira conscripsit intelliget
certe quanta prauitate generi mortalium id vicium sit qui subditus
est nil a demente distat impotancit Ob eam causam non
solum singulos homines sed urbes quoque et gentem vniuersam
ire atrocitate repperies deletas hanc insaniam mentis per-
turbacionem quibus non recte ducendum et execrandum et miserum
esse Non enim tantum quos corripuit reddit miseros sed
eos insuper quos aduersus premisit sine frena laxare Multi

desibunt a turdine nostro animorum morbi ac perturbaciones que
hanc nostram fragilem condicionem sua miseria circumvallatam pre-
munt Neque est quin libidine aut leticia aut metu aut egritudine
aut alio morbo animi adverso racioni detineatur At vero qui
huiusmodi aliqua perturbacione afficitur et eas recipiat necesse est
que sunt illi contigue atque annexe Quod si ita est quis potest
hac nature condicione natus vt alicui subiaceat perturbacioni
esse non miser Videte quid Tullius in tercio tusculanarum di-
sputet libro Ait enim nisi egritudines ex animis sit ut abi-
ciamus miseria carere non possumus Preterea si perturbaciones
animi appellat morbos in omnes preterquam insipientes vt ait
cadunt et in quos descendunt insanos reddunt nullus autem
eiusmodi sapiens ad huc est repertus relinquitur omnes qui
non sunt sapientes insanos ac miseros esse hii enim sani di-
cuntur quorum mens nullo motu quasi morbo sit perturbata
Sed hos nullos reperies Ergo miseri sunt omnes necesse est Ita
quoque eiusdem egregia est sententia nisi sanatus animus sit quod sine
philosophia fieri non possit nunquam fore miseriarum finem Sed iam
palam est imbecillitate nullos a philosophia ut sanentur querere
Igitur miseri homines sunt estimandi Verum ita nostra mi-
seria hec eminere videtur et ab omnibus conspici ut nulla
philosophia ad hoc comprobandum opus existat Cotidiana vita absque
ulla racione nos admonet nulle vivendi desperimus quibus
subiacemur pre se ferre qualis quam infirma quam misera sit
imbecillitas condicionis humane Adsunt cedes hominum varie palam
est quoque preter illa que retulimus quod gula et venter quot
acris intemperies quot morbi ad interitum rapiant quot
a bestiis tum feris tum [illegible] periculi nos emineant
quot tendiculas mortis nos casus varii moliantur Nostra
omnia bona sunt incerta caduca nichil tam fallax est quam
humana vita nichil tam imbecille nichil tam laboriosum quam Seneca
Euripides neces acceptum putat nisi condicionis illius in suis darentur Vt
[illegible] Euripides illud sentencia optimum videatur esse homini primum non
nasci proximum cito mori cuius versus a tullio descripti sunt Nam nos
deceat cetus celebrantes domum lugere ubi esset aliquis in lucem
editus humane vite varia reputantes mala At qui labores
morte [illegible] finisset hunc omnes amicos laude
et leticia exequi oportere huius poete sententia testis est lu-
genda esse vita morte vero exultandum Et quidem certe ut
opinor sensit tot enim rerum casibus tot fortune telis tot
periculis tot varietatibus temporum addicti sumus ut dixisse
nos videatur data condicione infirmitatis non enim solum pre-
teritis affligimur malis sed multo magis futurorum ex-
pectacione Unde quod tempus vite vivendi tempus plurimum excedit metu

nostra dubia et incerta quando quo qua lege sit ex hac vita
migrandum una quidem atque in ipsa data est et simplex ad
mortem via innumeris tamen in locis veniendi aditus. Recense oro diuer-
sa maris terreque pericula ventorum imbrium tempestatum ignis ful-
minum discrimina aquarum inundationes quibus vita nostra
ad incertum finem rapitur nunc uno periculo nunc alio ad exitum
deducta. Singulis diebus nova diversa funera conspicimus
singulis ferme annis nova deflendaque dampna sentimus ut
hec sola rerum huiusmodi cogitatio satis superque satis videatur
ad nos continua miseria torquendos. Tum ego possum
testis integer esse multarum calamitatum quas ipse partim aspe-
xi partim audivi tum igne tum incendio imbrium diluvijs
ut etiam aqua et reliqua elementa sint nobis extimescenda.
Vidi ego cum ex britannia redirem Meranum oppidum nitens
ac opulentum in finibus Italie circa alpes positum subita vi flu-
minis quod inopinata excreverat inundatione magna ex par-
te moles a deo deletum ut nulla edificiorum vestigia super-
essent. Nostra insuper etate ut propinqua licet parva sed ad
recitandum quam dico miseriam accommodatam referas plures domus
eius ville quam burgum campi vocant fluvij prope decurrentis
impetu noctu obrute ad fundamentum tenus dissipate sunt. Memini
cum puerulus essem plura defunctorum corpora demersa limo
in valle arni superiori fuisse reperta. Infantem quoque in cunis
delatum qui fame interierat repertum. Res deflenda profecto est
que regionis nostre accolas ad luctum et merorem commoveat.
Miserum sane videbatur tot virorum mulierum adolescentium ca-
davera partim a feris partim ab avibus lacerata in flu-
minis litore semisepulta ita excesa ut non facile internosceres.
Cum essem in britannia miserabilem antea casum fuisse cognovi
in parte mari propinqua eius provincie que flandria appellatur.
Fluit bis in die ac refluit mare etiam in parvis fluvijs
sexaginta ferme infra terram miliaribus a deo exuberante
aqua ut maioribus navigijs navigabiles fiant. Maris in-
crementum ne ex fluvis alveum evagetur aggeribus incole
continent. Altius enim quam terra multo excrescit mare. Ut nisi
aggeres obstarent maritime regiones habitari non possent
paludibus occupate. Accidit vero ut paucis antea quam in
britanniam proficiscerer annis vento maritimum fluxum
impellente aquarum vi defecto aggere omnis ad multa
milia passuum vicina regio suffocaretur multaque hominum
milia cum nullum daretur refugium aque eius pectore interie-
runt. Qua ex causa diutius ea patria deserta cultoribus
permansit. Quid calamitosius quid miserius accidere po-
tuit quam in tam repentinam tam in provisam tamque flebilem

Poggius

aqua
meranum

morte incidisse tot hominum milia Cum neque parentes filiis neque filii pare-
ntibus auxilio esse possent Constat itaque cum sit nobis aqua ad victum necessaria tan-
tam perniciem pestemque importasse Nichil nobis igne salutarius

Ignis

natura gessit At hiis ignis in nostra calamitate usus multarum

Basilea

prebuit miseriarum Paucis ante annis urbs Basilea nobilis
in extremo Reni posita ut antiquiora postponam maiori nobiliorique
ex parte incendio conflagravit Vidi ego illac iter faciens adhuc
urbis illius fumantia edificia et domos in cineres versas Opidum
insignis Alamanie cuius nomen non occurrit Ad id aliquando iter faciens
conspexi egregium ac splendidum in medio lacus edificatum Ad quod
per longissimos aditur ligneos pontes una estate ignis absumpsit
Quo incendio multi varii generis perierunt Nocturno quoque igne
in urbe Gebennensi tempore Martini quinti summi pontificis plurime egre-
gieque domus exuste sunt Ipse id conspexi rem visu miseram
et fletu dignam Huius ignis calamitas adeo multos cives
bonis exuit ut postmodum vitam inopem ac miseram vitam degere
sint coacti Animancia singula spirando aerem ac respi-

Aer

rando vivunt Quo sublato et vita omnibus sublata est hic tamen
vite mortalium minister data deo est utinam a deo munus ut similis
ceteris elementis quam aere careamus At is persepe nobis
sit perniciosissimus cum aut famem aut pestem aut morbos
aut varias tempestates quibus inopia afficimur illius intem-
peries importet Terra que nostra dicitur mater omnia nobis ad

Terra

victum cultumque corporis necessaria subministrat At ex eadem terre
motus venena ferrum prodeunt quo plures quam ulla peste re-
liqua occubuerunt Gignit etiam multa in nostram perniciem prompta
ut plus detrimenti quandoque quam commodi afferre videatur quam misera
igitur hinc conditio vite est habenda Cum elementa ipsa nobiscum bel-
lum gerant Si nunc et sensim si potes animo futuras ut pre-
sentes tantas miserias non expavescas cum ea que ad salutem
nostram fabricata sunt cernas medicamen precipue quanti Imprimis
nos invadunt mala sit conjuncta quoque ut summa nos miseria lateret
etiam reminiscens quid inopinatum dudum contingere potuit hominum
perdiviti ac decrepito tamen mors filii repentina que amici-
pro interitu eius fulmine expiravit Omnis ea civitas tum infeli-
cem nobilem adolescentis tristi et misera sorte luctu sepulo-
rem deploravit In pictura patris soli que parva est un-
decim horas hac estate fulminis ardor assumpsit Ad quidem preterea
duces proximis in locis sitis fulguris incendio adusti Quid est
igitur ad dubitandum quin hec nostra tam fragilis tam tenui robore
pendens vita tot tempestatibus tot diversis casibus subdita sit misera
existimanda Adde his si libet fraudes hominum furta latrocinia
beluarum impetus venena serpentum morsus quibus multi periere
Audivi etate nostra quendam parvulum religiosum matutinis officiis

inventum aranee necatum morsu In apulia puncta aranea araneis
simillia quas Tarantolas vulgo dicunt dispersa per agros si
que momorderit in insaniam vertit Singula ferarum genera
contra nos videntur parata Ursos leones apros lupos ser-
pentium genus in nostrum interitum conspirasse credas Quid nobis
tam familiares quam canes At eorum rabidos morsus nonnullos
necasse vidi Boves quid tam vile tam mansuetum videtur At cor-
nibus intulerunt pluribus interitum Ab equis insuper quod est genus utilissimum
nobis interitus imminet Nullum est tam mansuetum tam paratum aliquid ut non
ab eo aliqua pestis redundet Calor frigus siccitas humiditas interitus
certum vite intulerunt Constancie nuper ubi generale concilium erat hominem
intemperie frigoris mortuum equo insidente in publicum hospitium de-
latum conspeximus Erat stans ut videbatur Obriguerant membra
singula adeo ut corpus equo in hospitium devehere preceps
preterea audivimus in eius regionibus siti interire posse Quam multa in se
et pene infinita nobis vite discrimina immineant conspicatis quam neque ullo
consilio vitari neque providentia neque usu declinare datur Celum terra
aqua aer ignis homines pecudes belue avium varia genera nobis vite mi-
seriam moliuntur Harum rerum molestiis quassati quidam eorum mei temporis
omnes quos novi adeo illarum impacientes fuerunt ut vite tedio la-
queo finierint dies suos satius ducentes semel mori quam tot generi vite
difficultates Hegesias atticus Cirenaicus familiares michi [illegible]
per certum die quinto postquam cibo sponte abstinuit finisse vitam mul-
tum accedit hunc vite incommoda morte voluntaria effugisse de quorum
calamitate quis dubitet qui intelliget morte illos vivendi molestie
perdidisse Quanta vero sit vita quam tanti faciunt sit extimanda adver-
tat qui voluerit Ciceronis exempla que posuit in primo tusculanarum
questionum libro Refert ut nostis Cleobolum et Bitonem argive
sacerdotis filios cum matrem currum cum ipsi more iumenti subierant
ad sacrificium duxissent atque ea precata deum esset ut eis filiis pro pietate
premium redderet Quod homini maximum dare posset cum matre per modum
epulatis cum sopori se dedissent mane mortuos esse repertos Dicit
preterea Trofonium et Agamedem qui templum appollinis edifi-
caverant usos sorte Nam cum a deo pro mercede petissent id quod
esset homini optimum idque appollo se prebiturum respondisset post eius
diei terciam noctem mortuos inventos esse Quam preclara est igitur quam optanda
huius vite racio ut mors finis laborum premii loco eis vitam per-
tot sit condonata Nulli dubium est esse preter miseriam esse hec vite condi-
cione cum mors eis munus perpetuum preferat Neque est mirum
ut ipse refert Cicero que non attingat dolor morbusque que si vera
est sententia que mors morbos ac dolores vitam extimanda est per-
fecto misera atque infelix At dicet plures illam equo animo constanciaque pres-
sit Sed quam pauci eiusmodi paciencia preditum fuerit omitto Sino
dolorum ac morborum vexationes maximas esse que nemo metuit

Tarentole

Canes

Constancia

Athenis

Cleobolus
Bitonus

Trofonius
Agamedes

a ratione dimoveat. Scio illas incitamenta ac fomenta esse mise-
riarum quibus si inopia si orbitate si exilio si reliquis vite in-
commodis plura sunt incommoda addiderunt accumulata omni ex parte vite
miseria videtur. Quod Seneca inquit vita supplicium est, si ubi supplicium
ibi et miseria huius conditionis expertes [illegible], quibus rebus per-
spectis esse censeo. Verissime videre debere sententiam meam. Tum Cosmus
Fuimus aliquando velud ex parte grece possum. Inquit Non in hac vite
miseria tam rerum nature et huius infiniti quod asperum nostre ascribendam
puto, ubi in nece nubeculas nos oblivio cepit. Ubi fortune va-
rietas ubi casus ubi tempus [illegible]. Non vero in mente in longe du-
rantem tecum mente atque animo contemplatur a nobis. Consilia nostra educimus
in futurum tempus et longissimam rerum seriem cogitatione ordimur. Sed minimum
aliquid adversi valetudo aut mors improvisa aut fortune nostra consilia dissipa-
bit impetus inanesque nostras abrupit cogitationes. Tum male in nos
sibi susceptas culpas. Tum mala nostra sentimus. At adventicium
minime nos favore fortune conspicimus. Tu cognoscimus nosmet ipsos
[illegible] conditionem nostram. Hic ego ut terra suppositum inquam que
copiosissime dici posse videntur ad meam hanc sententiam comprobandam.
Sed cum sit hora diei tardiuscula ne forsan sermonis prolixitate tua
valitudo ledatur in crastinum si placet videre reliqua disputatio differenda
et cum plus otii futurum sit et ubi magis accommodatum. Placet inquit
Cosmus diem crastinum post meridianum constituimus. Reliqua disputationi
nostre. Nam loquendo iam defessi sumus. Erat enim Cosmus paratus
his dictis recessimus eo consilio ut postridie reverteremur

Incipit liber secundus

Superiori libro in quo de miseria conditionis humane p-
modo magnum a nobis est disputatum princeps optime
Sigismunde et hoc secundo addimus ut et ceteris
sermonibus et rerum preteritarum memoria lucidior fiat
nostra sententia. Quamobrem a legentibus peto ut co-
noscant vel videantur verbis qua hac fragili conditione vite nostre
legentibus omnibus nota est, quo magis impedit homines ab iniuriam
fortunarum appetitu detrectat hoc meum differendi munus non
ad ostentationem aliquam sed ad mentis exercitationem a me susceptum
esse arbitrentur. Facius non extimabat hoc precium temporis quod vacuum
a negotiis duxit conficere. In rebus laude dignis tempus in certo otio
[illegible] Simul etiam excitabuntur alii forsan ad hanc sen-
tentiam [illegible] intelligendam
bendi [illegible] uberius ac doctius pertractandam. [illegible]
ferre arbitror doctorum hominum studiis et disciplinis. Nullus
quippe vel philosophie vel alius optime artis tantam professio fructa
esset. Nos posteros scriptores suis inveniemus et se reprehendendi et
melius sentiendi materiam posteris prebuisse. Hac ergo ductus fiducia
a reverterat ad nostram disputationem in qua si quid proferendo iocundum
erit non otio me olim et operam perdidisse. Sin vero minus contentus

Seneca

Cosmus

ero tecum in hoc scribendi negocio, frustra me fuisse visum quam
pro desiderio tacuisse. Ac vero Sigismunde oro obtestorque ut cum
ad rei militaris studium addideris more priscorum principum, interdum
rerum studia et doctrinam, hanc nostram disputacionem si qui forsitan cum
malevoli / male volunt / invidique inpetent, fac ut tuearis contra eorum
suspiciones autoritate tua quo facilius audienciam explicare possimus
ea que superioribus videntur adiungenda. Cum igitur postridie Ma-
theus egoque surgens cibo ut erat institutum ad Cosmum rediremus
post priora salutaciones verba, Quid sumus Matheus inquit ut diligencius
extima quo absolvamus? Visum est enim michi nescio quid superfuisse dispu-
tacioni nostre cuius finiende facultatem ob tuas quas absolvit tum raro
valitudines me percommode adduxisti. Cosmus autem Ita et in omni
est ad loquendum et quedam que ex tua die pretermissa sunt mee opinioni
videntur adiungenda. Que nam sunt hec inquam que novi excogitasti?
Oblitus sum inquit heri nonnullos addere his quos putabam esse felices
pontifices cardinales ceterosque antistites videoque omnes qui episcopi miliciam
sequuntur hos divino opulentes ac bonis sufferminatos quod se non solum beatos
sed beatissimos opinantur. Derideret hic sane hec tua sinistra cum
censeantur ab omni inopiarum suspicione vanum neque abiugat eos omni
vivendi molestia caret. Quid enim abest ipsis ex his que sunt hominibus
desideranda? Nam preter opes divicias dignitates suas quam fruuntur autem
presunt ceteris mortalibus quod dulcissimum habetur ac dominantur [illegible]
vero fortunas possident quas nullus casus nulla maior vis queat eripere.
Nam que deo donata sunt cum ipsi dei sunt coheredes et ministri
rata manent in populis neque decretis aliorum labefactantur. Ita
nullo amittendi metu cruciantur / non egendi timore ut si certum desit
hoc solum prestare felices eiusmodi homines possit. Habent preterea sum
protectorem salvatorem nostrum cuius scuto tecti nichil pertimescunt immo
etiam alios a nomine iudicant in sua inquiete absque ullo labore vi-
tam iocundam ducunt. Id verum esse declarant frequentes concursus variarum
gentium hominum ad hos veluti fertiles agros ex quibus facillime sua-
vissimique fructus parantur. Propter fortune namque bona tanta
ambicione videas suas appeti dignitates ut arma etiam et bella
crudelia inter competitores concitari sepius magna regionum et gencium
clade conspiciamus. Quo fit ut opulenciores facti nullius rei inopes quam
maximam felicitatem putant in negociis omnino dediti in ocio absque nego-
ciis transigunt etatem. Horum de felicitate nemo dubitat cum nulla
molestia non dolore perplexi absque sudore absque ullo discrimine consene-
scant. Hec tibi Poggi qui cum huiusmodi generis hominum diucius conste-
tisti quique eorum vitam et mores penitus perspexisti esse debet in-
to quam mihi exploratiora [illegible] in summa est illos omnis vite mise-
rie vacare. Scio te magis inquam Cosme hec ex quadam fama
et vulgi rumore duxisse quam quod vera esse credideris. Quia enim tibi
probare possim nam felicitate nullos esse quam ipsi videntur infelices

Matheus

Cosmus

Poggius

Poggius

aut quod vite molestias possint effugere quorum erumnabus omnes grauius ac
molestius sisiphi saxo imminere videmus. Neque adhuc et annos
quinquaginta natus eius viri testor me reperisse qui sibi ulla ex par-
te felix videretur. Cum non illam vitam aut molestiam inquietam
anxietam multis expressam verbis deploraret. Nam ut de nostris
pontificibus loquar, quos scelus arbitror fuisse superioribus multi ex
eis meum presente simone sunt ad modum conquesti onerosam pontifica-
tus servitutem detestatique quodammodo eam dignitatem que omni miseria videretur.
Cum neque ulla corporis aut animi liberam quiete et absque maximis et
continuis curis teneri neque tuto absque periculo neque commode absque in-
torum detractatorum invidia dormiri queat. Ita non felicem sed afflictam
omni tormento vitam fortunamque eorum qui ad tantum fastigium assumuntur
duram et asperam appellare possumus si pontificis officio non
tyrannorum imperio uti velint. Quorum tamen si mores seruiunt non mi-
seros solum putamus sed etiam detestandos. Extitere plures insuper
quibus nulla maior cura epistolarum utilitatis aut fidei tuende
cura fuerit ut et miseros illos pontifices appellari homines merito
possint et miseram ecclesiam christianam tali pastore vel lupo potius
credendam. Magna pars horum in sublevandis ditandisque sue stirpis
hominibus occupata fuit, quorum cupiditates quam evaserint inanes
multorum quos nomina extant certa. Horum apud eos studium viguit do-
minorum quos nomina extant certa. Horum apud eos studium viguit do-
ctrine vel religionis rarius virtus est in precio habita, ut ii dei prudentia
ea si arbitrarentur aliquando querere nimia illi inesse aut mor-
talium aut sue fidei cura. Cum propter finem bonum fuerit per age-
torum difficultatem et pondus multiplicesque anxietates in quibus
absque ulla intermissione versantur miseri sunt iudicandi sine mali
eo sunt miseriores quo longius ab eorum officio discessere. Videmus
quemque sepius eos hac miseria premi ut non dei seruorum ut se
bus sed dei hostium aliqui prius esse videantur, que magna infelicitas
est habenda. Per facile nudarentur quorundam qui meo seculo fuerunt
pontificum vicia, quo facilius illorum miseria in promptu esset misere tra-
te dignitati parenti videretur. Non nulli etiam ne dum laudandi sunt
sed ne tollerandi quidem mihi a dei prudentia eius iudicia sunt omil-
ta. Nam de Cardinalibus non audeo sinistre dicere. Sunt in omni sta-
tu et quidam summe opinionis permixta esse pessima. Unum nouimus illo
ordine indignissimum angelottum Romanum Cardinalem ab Eugenio
factum. Nam fuit auarus rapax subdolus maleficus mendax lingua pro-
cax et in aliorum contumelia prompta. Conveniens tali vite fuit ad extremum
et in moribus turpibus cuius vite exitus fuit. A adolescentiore
cubiculario suo in medio dormiens gladio transfossus est. Op-
tandum quippe est ut qui tantum dignitatem assequuntur minus stu-
dii ponerent tum in cumulandis pecuniis tum in iniustitia et turbis
violandis. Nam his rebus dediti miseria carere non possunt. Sed de
ceteris ceterisque quorum opera eorum insignes reddunt tenendum videtur quorum

Hieronimus

Angelottus

studium nostrum differunt ab eorum professione. Scribit beatus Augustinus qui Augustinus
Ciprianum Carthaginensem sanctissimum virum reperisse suis temporibus Ciprianus
episcopos avaros luxuriosos vagos sedulos. Et quidem eo tempore qui ut quo
persecucionem christiani ab infidelibus sustinebant, cum quod si nunc eciam multi martirio
coronabantur, cum sanctis viris illustrabant nostram fidem, cum paupertatem
omnes fere complecterentur, inter eos episcopos fuisse nonnullos peiores clero
in hac tempore fere tanta hominum etatis pravitate vita de pravitatem moribus
fuerimus. Longus sane liber esset conficiendus si nostrorum
quorumdam vitam mores vicia recenseremus. Sed ad maiora
quedam nostra tendit oratio. Hec illata sunt ut plane intelligas eos
ipsos quos beatos ac felices putas omnes esse vere felicitatis expertes
nullosque pacto ab hac labe communis miserie exemptos videri. Cum-
que maiora suppetant inquit Cosimus. Nonne tibi magna atque satis ampla
videntur que de summis pontificibus reliquisque amplissime dignitatis
viris disseruisti. Non nisi si de his meo more liberius loqui possem. Esset
enim campus late patens in quo nostra longius oratio vagaretur. Sed
me pudor impedit et officium boni viri. Inhonestum quippe videtur
aliqua ignominia illorum me ordinum viros afficere a quibus ipse ad-
modum sum et multis beneficiis affectus. Stultissimum preterea esse censeo
rationem vite alterius alicui reposcere qui reddere nequeat sue. Itaque ad
alia digrediamur. Ponamus que modo statueramus referenda. Ut placet Cosimus
ait. Michi quidem gratissimum erit audire quid hinc nostre collocucioni
censeas adiciendum fragilitatis namque nostre condicionem variis calami-
tatibus urbium provinciarum regnorum que permulte sunt afferri dum-
taxat exploranda quos facilius in promptu sit omnibus hec deplo-
randa miseria vite nostre sed vereor ne ad hoc parum vos nonora
esse quoniam michi sanctitate aliqua aut aurium fastidio que sunt dicte-
rus audiantur a nobis. Minime Matheus inquit. Nam tua quecumque ora-
tione mea que forsan exciderat in memoriam revocabis. Tum ego
ut de prime etatis nostre infelicitate sileam que a deo omni morum
turpitudine viteque flagiciis inquinata fuit ut omnes mortales deus
aquarum inundacione delendos iudicarat. Ab his ipsis initiis ordiar quo
possit asseri orbem terrarum super multis cladibus ac variis calamitatibus
fuisse terra marique confectum. Primus assiriorum rex Ninus bel-
la finitimis movit multas et naciones subiectas non absque permaxima
illorum quos superavit. Secuta est Semiramis uxor que glorie cupi- Semiramis
ditate flagrans cum tercentenis centenis milibus peditum, quingentis
milibus equitum, centum milibus curruum ut Diodorus tradit in In- Diodorus
diam penetravit indeque fluvium duorum milium navium ponte iuncto
quo hostis ingredi possit commissoque cum Indis prelio sauciata hoste
superante fugiens cum maior eorum pars a tergo sequeretur pontem
transisset et ipsa superato flumine rescindi pontem iussit quo accidit
ut et qui in ponte erant vi fluminis interirent et qui rates asce-

Diodore historiarum veterum dominus Poggius impulit [illegible]

derat magna ex parte abaque raperent reliquis omnibus impedimentis
prede hostibus relictis quanta tamen calamitas militum grauis fuit fa-
cile quis iudicabit si multitudine eorum qui aut interire aut capti
sunt acciderat maiore ex parte exercitus amissa constat Plures
preterea expediciones fecit ad uarias gentes expugnandas non
absque magna earum calamitate Ventum est postmodum regionis
Sodoma gomorra — eius que pentapolis dicta est in arabie finibus in tendunt quo quinque
opulentissime urbes diuino iudicio ob eorum nepharia scelera consumpte
Cornelius tacitus — sunt atque in sterilem pulverem redacte quas cornelius tacitus re-
fert fulmine concrematas diluuium quoque ogigis tempore ciuitates achaie
Diluuium — prouincie urbes et loca vastauit Paulo post ferunt in egipto
Joseph — fames in Joseph iudicia subiecit multis tamen est prouincia calami-
tatibus oppressa accessit deinde ad pene grecie calamitatem dilu-
uium ingentis aquis a ponto superfluctibus quod maiorem thessa-
lie partem absorbsit Eo tempore deucalion homines diu passe
Deucalion — preterea ex multis ad montana fugientes loco perecit Ethiopia
Ethiopia — insuper eo ferme tempore dira peste legitur afflixisse liber quoque
Liber — indiam petens non absque multorum insignium calamitate oppressam
in suam dicionem redegisse Per idem tempus historie satis ferunt pla-
gas illas in ulcione iudeorum egiptum oppressisse Scelesta de-
Danaus — inde cedes quinquaginta filiorum inter danaum et egistum fratrem secu-
ta est / Danai quoque expulsio et ad argos fuga ubi a steleno
Busiris — receptus prodicione regno illum expulit et cuius ignominie busiride
egiptum equos cede hospitum pascentis crudelitate Non fuit igno-
ta tantali pelopisque flagicia et ganimede raptus Et quo
miceni exercuit bella Terei philomene progne que fabula
et filius a matre positus mensis patri que non ad laudem amoue-
rent illegitime antique tragedias eandem medea crudelitate attreu-
ypolitum reliquasque simultates que tempus illorum calamitate con-
tinet et scelera ostentant impudenter plena Nulla est in orbe terrarum gens
nulla natio nulla prouincia que non uaria pestis diuersi rerum casus
afflixerit bella pestilencie terremotus fames urbium incendia
uiditates regnorum mutaciones perpesse fuerunt Quam grauis prec ab infi-
Alexander macedo — nitis pene calamitatibus fuit Ante alexandrum macedone
scitas parthos assirios persas armenios uniuersa demum asia
discordie arma intestine contencionis impia ad
alios translatum multis se inuicem oppresse Nulla fides nulla pietas in
fedus nulla humanitas in earum gentium regibus et tyrannis fuit quoque
mutua cede grassati sunt Patres in filios filii in parentes
frater aduersus fratres uenere in uicem ad internicionem usque fecerunt
Cirus — Nam ut omittam Cirum persarum regem athamire inferis obiecit
ut ambiguis terris ignem... ceteros preterea regum cedes
Darius — quod crudelius quod inhumanius quod miserius ex cogitari pos-
sit quod darium et qui fratrem suum fratres arthaxersis filios

in patris necem conspirasse ex quo inuitis supplicium penam subire
Quid autem memoramus ochi qui artaxersi successit crudelitatem ochus
qui fecit aliquot omnes septuaginta duo anno erant regnandi gratia
iussit occidi. Darium ab allexandro superatum suorum proditione sustu- darius
lit. Nolo insidias prodiciones varia tormenta regum ac tyrannorum
referam verum meminerimus quibus ea sunt notissima. hoc vel affir-
marim totam asiam usque ad allexandrum ipsa calamitatibus
attritam fuisse. Que autem maior calamitas asie umquam fuit quam
que xerxis regno contigit qui ad decies centenis hominum mi- xerxes
libus in greciam transmisissent solus pene aufugerit omni ferme
exercitu ferro fame peste deleto. Quid de allexandri gestis allexander
dicam. universum eius imperium orbis totius spoliis rapinis incen-
diis cedibus provinciarum et urbium vastitate est comparatum post-
ipsius vero obitum quam feliciter subacte a se gentes imperent in-
spiciamus. legimus quot et quales inter duces tot regna fuerint par-
tita. Mirum est nosse quanta inter omnes discordia quanta clades subsecuta
est quanto odio decertaverint quanta hominum strage sit dimica-
tum. Videntur sane dedita opera in sua et gentium illarum mutuam
perniciem consensisse tam dubia fide tam insidiis ita fallaces in
successoribus fortuna fuit. Ut nil scimus nil calamitosius ex-
cogitares quam deos ad regnandi rabies vicisset ut etiam sorores o-
missa nature vi mutuo admittere tentaret. Secuti sunt postea
romani quorum imperio bello subacta asia pace compulsa est Romani
Regum partim extinctis partim armis superatis partim in amici-
ciam receptis regibus multorum sanguine rapinis urbium incendiis
regnorumque excidiis asia in romanorum pervenit qui quo quanto iure
qua iusticia qua clementia prefectos gubernarent. Cicero nec haud Cicero
dubius est testis. Questus enim sepisse de avaricia atque iniuriis
ingratum plures aut sociorum urbes romanorum multa hibernis
quam hostium armis esse deletas. Asiam etiam et omnes sibi subdi-
tos fuisse inquisita oppressere quare nil calamitosius esse
potest. Quid referam ponti rege mitridate qui quadraginta
ferme annis cum romanis bellum gessit tandem victum superatumque Mitridates
laqueo vitam finisse. Quid anthiochum potentissimum asie regem
ac superatum accepit victoris arbitrio pacis conditionibus magna Anthiochus
ex parte regni possessione cessisse. Quid recenseam tamberlanum
ita in cagualaba ex sathia cum innumera ferarum generum Tamberlanus
barbarie profectum transito eufrate asiam omnem depopulatum
Damascum syrie urbem nobilissimam ab se captam spoliasse Ce-
saream sebastiamque delesse smirnam vi cepisse. Inde in patria
reversum ex preda abducta urbem nobilem edificasse. Obaiade rege
turcorum qui magne parti asie imperabat acie superatum capto et [illegible] rex turci
intra suorum ede que ille cavea more belue inclusum in specta-
culum forme per universam ferme asiam circumduxit precio inumano

grecorum urbes egregias que universum litus asie occupabant
funditus eversas Armeniorum medorum ponti persarum assiri-
orum lidorum ceteraque asie regna extincta penitus in paucorum dicionem
pervenere Ita non plus imitatum sed referendum quas strages maxima
facta est quod precipuum argumentum esse demonstrat nostre infelicitatis
Quid prestat humana cupiditas urbes amplas ac magnificas suum fatum
sortitas ut nihil preciosum in nostris operibus reperiri possit Quis unquam
opinatus esset ex illorum temporum veteres Babilonem urbem tam preclaram tanto
labore tantaque impensa tot hominum milibus edificatam ullo unquam
tempore perituram Multa circuitu ferunt de murorum ambitu qui quinque et qua-
draginta fere milia complectebatur Multa de murorum ampli-
tudine lectori mitto quorum quia duo simul currus ducerentur altitu-
dine quinquaginta cubitorum fuisse ferunt turres ducentas et
quinquaginta que latitudine ac altitudine menium magnificentiam
equaret Cum per urbis medium eufrates fluat urbem porte quinque
stadiorum longitudinis muro opere iungit Arces preterea duas ab
utraque fronte pontis parte constructas quarum altera septem altera
triginta milium passuum ambitum erat Adiciunt hanc urbem uno anno e-
dificatam tradunt trecentis milibus hominum ad id opus electis ac singulis
stadiis uno confectis die Adiunctus est et ortus pensilis opus
inter septem miracula orbis enumeratum tante molis tanteque rerum di-
gnitatis nunc magnitudinis pauca vestigia supersunt tam preclare urbis nomen
in ea regione obliteratum Innumeras preterea egregiis urbibus
Asia insignis erat quarum hodie nec extat memoria nomen nec ali-
quibus in locis urbium remansit Non recensebo bella innume-
ra per Romanos principes in diversis asie nationibus mota Pauci in-
fuerunt qui non aut adversus assyrios aut persas aut syros
aut parthos armis varia fortuna pugnaverint interdum victores
plures victi recesserunt Traianus cepit armenios persas syros
parthosque superavit ademptisque regibus omnia ea regna in provinciam
ac redegit M. crassus parthicum movit bellum verum fraude
captus et occisus est M. Anthonius cum eos valide sepius
lacesseret sed fuga ac ignominia abire rerum magna coactus
fuit est Ventidius et Cassius postmodum parthia ingressus
illos commissis acie superavit Vastavit agros eorum ut pace
postea ab augusto populares que ordinate eo spectat Ut pala-
stinam et asiam magnam immissa vastatione preteream urbes nonne
Iherosolimarum desolacionem ac vastitatem cum ingressa tota est
templi quoque magnificentissimi omnium que unquam fuerint ruina
eorum incolarum culpa tanta calamitate contrita est Verum ne te
ad oppositam gentem et antiquos eius annales revolvam Nulla
gentem perfecto reperies omnem calamitatem crudeliorem vidisse
Tragedie inter omnes quas greca fortuna reliquit suorum temporum
implebis continent Itaque pretera et a bellorum atque domesticorum a bell

Babilon

orti pensiles de quo
dicimus

Traianus

M. crassus
M. Anthonius

Ventidius

Ietus

cessavit. Hoc ut videor dicturus cum gente reliquarum omni mi-
seria excessisse. Considera illius quondam urbes potentissimas
Lacedemonem Athenas Grecie lumina Thebas Argos Micenas
reliquasque preclaras maritimas urbes aut deletas funditus aut
in parva oppidula redactas. Inspice terrestres civitates per
multas nobiles olim nunc in pulverem versas. Considera populo-
sissimas quondam provincias Thessaliam Achayam Boetiam Euboeam
Archadiam Ioniam Peloponensium terras nunc a paucis incolis cul-
tas/desertas urbibus quarum hodie aut nulla aut parva apparent ve-
stigia. Huius miserie testes sunt cum constat splendidissimas in illis
civitates extitisse. Considera insulas plurimas populosissimas
quondam nunc desertas ac destitutas. Sed quid ego urbibus
deplorandis immoror. Macedonum atque Epyrotarum regum quam
multa infelicitatis extant exempla. Recordare, legimus Alexan-
drum fratrem eius ex Epyro in Bruttios transisse. Romanos bello
appetentes apud Acheruntia flumen suffossa lancea occubuisse.
Pirrhum quoque Epyrotarum regem cum bellum cum successu Macedonibus intu-
lisset victum abscessisse Italia. Deinde in oppugnatione Argos tegu-
la percussum interisse. Persem Macedonie regem nostis a roma-
nis superatum captumque Pauli Emilii triumphum vinctum cathenis aure-
is decorasse. Et si tanta plurimorum regum infelicitas fuit, quid
decebit extimandum quorum quisque suo fruitur casu. Quid de vulgo
iudicandum, in quo fortuna vim suam exercet, sapientes censent. Os-
tendit fortune nationes regibus suis carent. Sarmate Traces
Hircani regno privati in tyrannorum ditione cessere. Scite qui in
Europa sunt quos Tartaros vocant diversis imperiis continuis absque
armis bellantur vagi instabiles imperatores sepius mutantes.
Mesi Ungari Poloni Ruteni ceterique finitime ad septentrionem
gentes satis inquietas ab armis fuisse legimus et aut aliis inclu-
si bellum aut inter se dissidisse. Germania omnis satis variis tempe-
statibus iactata est et vel proximos armis lacessivit vel suo
certamine marte. Magna pars eius a romanis haud parvis ca-
lamitatibus subacta. Ab hungaris postmodum sepius populata
est. Dacie Suecie Norwegie Gothorum regna et antea satis et nunc
quoque aliasque ab uno quandoque a pluribus regibus sunt possessa. Ne-
que regnorum hec mutationes absque magna strage et regionum despo-
latione contigere. Germanis est contermina Reno interfluente Gal-
lia haud quaque et ipsa parvas aut breves perpessa calamitates.
Nam ut priora relinquantur facta de quibus magis fabulosa
quam vera tradi possunt etiam tamen singulis posterioribus temporibus
fortuna exagitata recedimus. Cesar octo annos intra Gallie
varia clade lamentabili plurimarum urbium ruina provinciarum
vastatione variarum gentium cede est afflicta tandem romano imperio
parere coegit. Libidini postea feminarumque diversorum imperatorum

Allexander
Pirrhus
Perses
Mesi · Bulgari
Hungari
Poloni
Rutheni / Germania
Gallia
Cesar

parivit Post constantini imperii labentibus romanis vilia prin
cipandi viribus cum sepius galli ob avariciam crudelitatemque
ducum qui illis preerant defecissent variaque fortuna experti
multiplicibus cladibus essent debilitati occasionem exteris nacionibus
Unde franci
ad se invadendam occupandamque prebuerunt Prima franca gens
bello ferox sicambria ut ferunt egressi cum theodosii archadiique
imperio in germanie oppidis iuxta renum consedissent postea ra=
tibus traiecto flumine cum quinas et heraclio Romanorum ducibus
Treveris
apud treverim congressi superiores evasere deleto exercitu duces
interfecerunt urbem captam diripiunt atque incendunt Annodomini du
Colonia
centesimo vicesimo octavo hinc urbis que nunc colonia Agrippina
Parisius
dicitur Demeque in interiorem profecti galliam parisios senones
Turnonum reliquasque urbes atque oram eam que ab eis francia
est appellata occupaverunt Vandalosque binis galliam populantes
Alamani unde
magna cede attriverunt Post hos alamanni a germanis orundi
Cum omnem tractum armis sibi vendicarent iuxta quem flumen fluit
haud multum ab inde remoti Cuius ab hostio ad alpes usque suum
nomen protenderunt ab eisque est alamania appellata Cum
Clodoneus
his clodoneus francorum rex congressus cum inferior esset vin=
cibus voto suscepto se christianum fore si alamanos superaret
votumque cum tota sua gente opera remigii episcopi viri sanctissimi
Aquitania
persolvit Aquitania insuper a theodosio gothis concessa est
super venere et burgundiones gens bello aspera a septentrio
nali plaga progressi eamque porcionem gallie possederunt qua ho=
die quoque burgundia dicitur hii rege sibi constituto ma
gnam gallie partem lacessentes bello sepius cum finitimis a=
Otto
cie dimicarunt Tandem ab imperatoribus Ottone primo et Co=
Conradus
rado superati post CCCC quibus regnarunt annos in eorum
Normanni
dicionem cessere Northmanni postremo a boreali regione quam
northum appellant Egressi variis in locis galliam populati
sunt hii primum dorestano iuxta mose hostia emporio no=
bili deleto per ligerim flumen galliam aggressi plures ur=
bes in quibus nannete andegavis turonis pluresque alie fe=
Lotharius
runtur in caput spoliantque lotharii imperatoris tempore
Anno domini 835 Hii de dania regressi paulo post maiori
manu redeuntes perque hostium sequane rursus galliam va=
stantes eam sibi partem armis vendicavere que nunc ab
eis ducto nomine Normania vocatur rothomagumque regni
caput sibi constituunt ubi cum regnassent diutius vicinis
Britones
regionibus infesti francorum tandem virtute subacti sunt
atque eorum regno additi Ultimum britones insula britannia ob
intestina belli pulsi eam gallie maritimam oram pe=
Veneti
tivere in qua veneti erant possessam a se pro patria britanniam
dictitarunt Hec tanta varie gentis in galliam invadendam quum

cuius cladem ac vastitatem secum importasse putandum est. Maria
profecto atque ea que exemplo ingentis miserie nostre conditionis
testis esse possit. Sed neque post Francorum stabilitum imperium
a barbarorum incursionibus et bellis immunis Gallia fuit. Nam post
imperium in Germanos translatum Hungari urbis Germaniam ac Gal-
liam populati non absque multorum hominum nece ac calamitatibus
abierunt. Reges quoque ipsi Francorum multis finitimorum bellis exa-
gitati sunt. Secuta sunt ea annos ultra tricentos inter Gallie atque
Anglie reges bella quedam, ex quibus quantum sit sanguinis utrin-
que effusum etas tum superior tum nostra conspexit. Ob-
de hys bella plusque civilia que noviter exorta inter Gallie
principes factiones pestifera pluribus annis viguisse paulo ante
perspeximus. Nulla denique affuit ab eis calamitas generis que res
apte ostenditur in ea maxime nostre conditionis humane miserias
fuisse evagatam. Quid de Britannie insula dicemus, nonne et ipsa
variis tempestatum motibus longeuo tempore compressa legimus et certa — Britania
pene excidia perpessam. Multo ea tempore quibus Romanis paruit
non absque magna clade libertate amissa, mox sepius ab imperatori-
bus desciscens multo cum sanguine defectio castigata est. Excesso
autem penitus Romanorum iugo variisque inter eos exortis regibus cum
mutua cede ac urbium vastitate ferrerent, Angli tandem — Venerunt Angli
noua ab Germania profecta gens in insulam transgressi, ac unius
factionis tutelam suscepissent, victos postmodum patriam et victoribus
imperarunt. Ex quo amisso priori nomine in Anglorum nomen diui-
neque insula urbis congessit. Neque tamen post intestinis dissensioni-
bus caruit. Nam et paulo supra trecentesimum annum moto
inter eos bello dux Normannie Guilhelmus ab altera factione
vocatus regno potitus est, et nostra etate intestine cedesque regum
et principum plurimi sanguinis sparsi fuisse novimus. Nunc ad Hi- — hyspania
spanias que haud parua Europe portio est digrediamur. Mitto
antiquos insulas quas a tyrannis priscis temporibus passa est Dio-
medem ab Hercule mactatum tradunt fabule equos humanis
carnibus nutrientem. Transeo tyrannos et omnes superiorum temporum
tyrannos. Postea quam Carthaginienses Romanique regnare
atque imperare ceperat ab eorum facta preda multis seculis grauia bellorum
strage debilitata, tandem armis subacta Romanis diu paruit,
a quibus soluta avaritia atque libidine tractatos extimandum est — Vandali
liberatione bono impio. Vandali gens Aruo duce Hispanias
depopulati sunt. Gothi postmodum Roma capta ac spoliata cum — Gothi
in Affricam transisset, in Hispaniam exinde traicientes annos in
ea circiter ducentos sexaginta regnarunt. In dicionem postea peruenit
Mauritanorum qui eam usque ad Karoli magni tempus tenuere, varia — Karolus
usi in omnes genus crudelitate. Hys Karolus bello superatis provin-
ciam a barbarorum seruitute liberauit. Ab Affris postmodum aeque

cuius pars oppressa est. Hodie quoque mauri partem maritimam te-
nent, regnum granate novo nomine appellatum. Et usque hora omnis
que aragonia et valentia dicitur pauloque ducentis annis a
barbaris recuperata est. Et iste baleares insule que illorum dicionis
erant facte. Signum eas regiones a barbaris fuisse possessas id
est precipuum quod maritima omnis ora a mauris incolitur
qui in sua perfidia perseverantes tributa regibus eorum persolvunt.
Harum tot tantarumque mutationum varietates haud dubiam coniecturam
prebent hispanos annis nusquam vite inquiete vacasse. Transeamus
ad oppositam affricam si libet et quam felicitate dominis paruerit
perscrutemur. Cuius magna pars libia ethiopie finitima continetur.
Affrica deinde numida getuli mauritani mesuli que primis diu
quondam regibus paruerunt. Ab his ceteri plusque barbarica tyrannide
oppressi fuere preter alienorum inmensum appetitum continuis in bellis ob regnum

Gorgones

alienum appetentium libidine vexati sunt. Primum gorgonum gentem fuit

Perseus

in affrica regnantem a perseo Jovis filio victam ab his descende-

Amazones

runt amasones libere armis assuete que non solum affrice infe-
ste fuerunt, sed in asiam transeuntes magnam illius partem sunt
depopulate. In affrica nos plures sibi subigere nationes Athla-
ntides ab eis cum pluribus imparet urbibus bello lacessiti sunt
urbem tyrene vi captam omnibus usque ad pubertatem infectis de-
struxere crudeliusque quam par erat ad terrendos finitimos victo-

Mirina

ria use. Cum his constituta pace regina earum mirina
exercitu triginta milium peditum duorum milium equitum fulta ad
gorgones proximos arma vertit quibus acie superatis usque ad her-
culis adventum a quo regnum earum deletum est. In libia regnum
Tyrannas antea dyonisius omnis vicerat. Relique affrice provin-
cie usque ad carthaginensium tempora regibus qui et que bella moveret
contendebat paruere. Secutum est deinceps imperium carthaginense
quod non absque multorum calamitate comparatum est. Nam hii terminis
affrice non contenti hispaniam multis miseriis affecerunt arma
in siciliam ac sardiniam verterunt et ubique incerto marte mu-
tuaque primitie bellatum. Secuta sunt deinceps primum secundum et tercium
cum Romanis bella conflictus in quibus quantum fuit sanguinis humani effusum
incredibile videtur dictu. Ea certe bella non solum carthaginis sed to-
cius affrice ruinam seu strages. Quadraginta ferme annis

Bella punica

carthago cum romanis terra marique certavit tandem subacta capta
incensa eversa est quo nil crudelius excogitari potuit, quam urbem tam
magnificam tam potentem tantis rebus gestis preclaram spoliatam deletam
eversamque nullam maiorem calamitatem gentis effecisse. Viginti

Ambitus urbis

duo milia passuum urbem ambitu complexa tradunt duo milia
arcis muros decem et septem diebus continue urbis edificia igne
assumpsit maiorum dominum humane calamitatis. Tot itaque affrica bel-
la quibus magnam cum suorum strage succubuerunt tot tantarumque

tum principum tum exercituum amissio et excidium tum ferme urbis
adeo magnifice multorum tot edificiorum conflagracio tot milium
hominum flebilis seruitus nonne instabiles fortune opes fragiles
esse inculcat humane sortis condicionem miseram vite nostre casus
ostendit admonetque nichil tutum in hoc vivendi curriculo
a calamitatibus esse posse. Cadere hic regis Syphacis capitule — Syphax
victus in prelio in Scipionis potestatem cum devenisset Romam cum reliquis
captivis missus Tibure defunctus est. Post obitum Masinisse — Masinissa
regis Numidie Iugurtha dolo et fraude regnavit at ipse bel- — Iugurtha
lo victus cum uiuus in dicionem Marii ductus vinctus ante tri-
umphantis currum pressit. Paulo post e saxo Tarpeio deiectus
obiit. Restituta postmodum Tiberii Gracchi decreto Carthago
est et Colonia eo missa. Non tamen ea urbe perpetua pace
diutius licuit frui. Nam intra Pompei postea Cesaris bellis civi-
libus lacerata est. Deinceps Vandalis Gothisque a quibus longo
tempore possessa Carthago demum a Belisario liberata legimus. Va-
riis deinde quassata molestiis tandem barbarorum qui Sarraceni
dicuntur crudelitate deleta ac prostrata adeo fuit ut pauca
eius vestigia supersint. Non est omittenda Cypri opulentissimi — Cyprus
quondam regni vastitas deflenda quam paulo ad trigesimum
annum fuisse congressi classis regis Egypti quem Soldanum vo- — Soldanus
cant eam insulam invasit occurrentem ex inprouiso regem capit
Nicosiam urbem regni caput omnemque insulam preter pauca mu-
nita oppida spoliant predam regemque in Egyptum asportant.
Rex pacto dare tributum quot annis in insulam desertam ipse
omnium rerum inops rediit. Grave admodum deflendumque videtur
quos ceterarum gentium ac urbium retuli casus fortune severitas
insignes. Unum in urbis Rome Italieque ruinis asperius crassata — Italia
illius asperitas videtur quas ex parte in ceteris ante recensui ut non
sit mirandum eas provincias que ubi parietum calapsas ac pro-
stratas fuisse cum regnum orbis Romanum et gentium imperatricem
Italiam tam fede laceratam ac vexatam concernant. Italiam ante
urbem conditam fuisse scribunt tum ab externo hoste tum a dome-
stico inquietam legimus. Plures eius maritimas oras et me-
diterraneas grece nationes occupavit. A supero mari mun-
cia Patavium Ancona ab exteris condite que et Syracusana
stirpe oriundi erat. Ab infero Luca Pise Populania Cume Ne-
apolis Tarentum et omnis tractus maritimus qui ad Greciam vergit
grecorum urbes esse dicuntur. Saturnus autem ad Italiam fugiens — Saturnus
primus ea loca tenuit ubi nunc mons est Capitolinus. Post hunc — Evander
Evander palacium edificavit ubique constituit regni opes. Postmodum
Eneas in Latium navibus delatus non absque bello quod acerrimo
initio sagitte certavit Lavinum sibi post cedente Latino rege dele-
git. Latium Archades et Pelasgi inhabitarunt a quibus Umbri

suis sedibus eiecti sunt. Agilla quoque urbe a pelasgis et corito a dardano
troyano condite Etruria usque ad alpes imperium protenderet. Omnibus
his locis subactis que postea cisalpina gallia vocitata est. Te-
nuerunt quoque eciam eam regionem que ad superum mare protenditur
edificata in litore maris urbe quam adriam dixere a qua et mare
nomen traxit. Transcenderunt postea superatis alpibus in Italiam
sepius galli senones insubres boi qui pulsis etruscis omnes
regiones in quibus nunc lombardia est usque Ariminum ferme
vi pulsis aut subactis possessoribus tenuere, quorum ad clusios
et urbem usque romam arma penetrarunt. Secuta est urbs ab romu-
lo condita que flagellum non solum Italie sed totius orbis [illegible]
dici potest. Nam dum imperium amplificare cupit et vicinos quosque
subigere innumerarum urbium ruina et infinitarum provinciarum vastitate
plurimarum gentium pernicie in tantam molem imperii devenit
ut suo pondere ruere sit coacta. Sed dum Romani vicinos sibi
subdere conantur ab externo hoste appetiti magnis cladibus
Pirrhus extremam declinaverunt fortunam. Antea Galli cum pirro
intra Italie sanguinis duobus plus effuderunt, tum magnus
hanibal hanibal quattuordecim annis Italie ac urbis viribus atteritis
pluribusque urbibus captis ac deletis vastatas Italie appellari
Cymbri potest. Supervenere deinde cymbri et ipsi magna comitum mi-
litum cede in ytaliam profecti quibus nisi virtus Marii obstitisset
actum de imperio romano fuisset. Sociale deinde et civile bella sunt
excitata nec nisi magnis sedata cladibus et plurium urbium ru-
ina. Cum plures urbis quam Italie tempestates fuisse videntur
Nusquam enim a civilibus dissensionibus neque ab intestinis certaminibus
Brutus umquam a domesticis quievit bellis. Dum regibus paruit a de
illis virtus amica infensa erat ut bruti animi magnitudine,
stultitie simulatione reges eicerentur libertate parta nostre ple-
bis secessione nostre cum et patrum diutina certamina nostris
sediciones tribunorum ac inter eos et patres usque ad cedem dis-
sensiones nostre optimorum et boni de re publica meritorum civium
exilia ut satis vexatam tum a bellis tum a domesticis con-
tentionibus urbem fuisse constet. Quid enarrem in Italia
hispania gallia germania Affrica Asia Europa Grecia
duces romanos superatos exercitus fugatos ac cesos truci-
-datos imperatores sagine per orbem sparsim varia periculorum
discrimina quibus sepe urbs fuit exposita. Quid recensam infi-
nitos pene urbes in quo marte assumptas. Provincias nullo-
bus desolatas deletas nationes. Quid vero loquar de
bellis civilibus tam sceleris et nephandis et quibus Romana urbs
est lacerata. Mirum dictu videtur quantam cladem quantam pestem
attulere incendium in urbe Italia toto demumque ferme orbe bella
excitarunt. Sepius inter eiues armis est certatum cum ...

civium internitione quam luctuosum quam deflendum quam detestabile
spectaculum erat conspicere in foro in rostris in curia affixa pro
scriptorum capita et hastam illam sub qua dampnatorum civium
bona venibant. Unum tamen crudelius tertio bello quo libertas penitus
amissa est, quo tempore quattuor milia civium uno edicto proscri
ptionis supplicio perierunt. Quanta cede cum civili tum externorum
fuisse putandum est in Pharsalia Africa Hispania in
ipsa urbe cum Marii Sulle Carbonis tempore crudelitas civium sae
viret. Iulii Cesaris victoria fuit perniciosior tamen videtur qui
rempublicam oppressit maiestas et inferrima confecto illorum temporum resen
de conductum est quibus nil iustum nil equum nil sanctum nil fidum
nil tutum nil antiquum explodendum erat redundabat. In undique crudelis
quod tantum vite tempus sibi constituere posset. Verissime respondet si opus erat maiore
maiore vastitate urbem atque Italiam esse oppressam quam cum Hani
bal imperitaret. Testes sunt cetera ad Trebiam ad lacum Transimenum
ad Cannas ad Brucios interfecti atque in locis ceteris. Testis est Capua
urbs nobilissima post vim recepta que cumulo patrum truncata per
dicendum crudelem in modum dilaniata est. Testes sunt reliquae Italie
urbes preter quas eo bello hostes fuerunt. Nullo unquam tem
pore non a etate a deo Italia lacerata est. Secutum est post tot clades
augusti Cesaris principatus eius imperio paululum a bellis Italia quievit
Sed dei providentia atque ope id accidisse constat ut pace toto orbe
composita noster salvator nasceretur. Subiere deinceps in imperium
plerique non omnes sed perniciose nascita ad principatum homines ferocia
ta Tiberii Caligule Nerones Vitellii Domitiani pluresque preterea
qui tum tyranni nequissimi tum non crudele vastum in humanis detestandum
nihil nisi de delenda urbe atque imperio cogitaret. Ad eorum vires imperii
labefactavit flagitiosi tum virorum excellentium cede debilitarunt
ut non sequentes principes si qui boni dabantur vix restaurari eo
rum inhumanitas posset. Ita non impuniret. Sed immanes feritate
bestie ad interitum urbis ad Italie vastitatem ad exitium omnium pre
cipue ad clarissimorum hominum necem tum modo nati interitumque vide
bantur quos a sapientibus ac prudentibus hominibus magis sanctitas coheret
quam voluntas. Addimaque tum incendia urbis calamitatibusque eius super
quo civitas omnis fere deleta est. Incendium sub Nerone imperan
te omnia ferme antiqua illa absumpsit edificia ac splendida monu
menta decorem omnia templa subverterit. Ex xiiii regionibus
septem solotenus delete tum paucorum tectorum vestigia super
fuere quamvis magis relicte quas et ipsas Vespasiani tempore post
incendii labes evertit. Secuta est ea urbis et imperii pestis
Constantinus qui Roma tum noverca relicta abiectaque illius
omni cura novam Romam in Tracia ubi Bisancium erat fundavit
quam ex re ruine urbis excidii Italie imperii debilitandi occasio
data est. Duo pro unico imperatores creabantur cum neque quam tanta

Cesar

Augustus

Bisancium

in uno esset omnis ut solus maiestati imperii reverentur/ Hinc dira
mala emanarunt et uno monstro duo sunt excitata quia viros
illustres sapientes pace et bello valentes tamquam pessimi carnificis
metuens perurgebat. Quo factum est ut consiliarius imperii ope-
ribus destitutis sapientum consiliis facultas daretur barbaris
nationibus ad Italiam invadendi ut quam intra cervices ad exer-
cendum ingenti imparatam crudelitatem ad defensionem impotens
miseriam profecto fuit ut urbis et Italie fortuna barbaris quam
tam malis principibus non Italis sed semibarbaris aut semi
tyrannis qui videbantur ad orbis interitum nati/ Hec longe
deflende videntur multiplices quas retuli superiorum temporum ca-
lamitates sed crudeliores multo atque acerbiores que sunt post-
modum secute Nam centum ferme annis urbs Roma quinquies

quotiens urbs est capta

a barbaris nationibus capta ac direpta est Magna cum totius
Italie ruina a Gothis qui per Pannoniam Honorii tempore in

Alaricus

Italiam descenderunt, urbem Alaricus deinde paucis post annis

Athaulphus

Athaulpho qui ei successerat duobus captam spoliatam direptam-

Genserinus

que fuisse constat Vandali postea Genserico duce ex Affri-
ca quo ex Hispania traiecerat navibus ad Italiam advecti Ro-
mam spoliant omnipaniq annos ferme quadraginta post urbem
ab Alarico antea captam hic per Campaniam cetera cum multa
urbium ruina depopulatus est in Affricam cum preda redisset Eu-

Odoacer ruthenus

doxiam antea Valentiniani uxorem secum duxit Odoacer deinde
Turingorum Erulorumque rex Italia petita superato apud Ticinum

Orestes

Oreste patricio Augustuloque ab imperio deiecto Roma potitur

Theodoricus

Sed a Theoderico Gottorum rege victus postea quam Itali-
am urbemque ingressus est anno apud Ravennam interfectus
causam prebuit Gottorum ducibus qui sibi Ravenne sedem regni

Totila

constituerat Italiam vastandi/ Totila postremo rex horum
omnium crudelissimus superiorum reliquiis in unum coactis Post in-
teritum urbium cladem inquit iram hanc ceterum fuisse tradunt
urbem a se obsessam ac fame ad deditionem compulsam

Roma desita

truculentior quam ceteri diripiens muros evertit domos in-
cendit captivos abducit tanta usus crudelitate ut Roma qua-
draginta dies absque habitatore ullo permanserit feris tantum
et bestiis habitaculum facta/ Inde paulo post ad urbem ceterasque
minores atque imperii urbes/ adeo multis calamitatibus tempestatibus
debilitata ut nichil post non posse in magis tenere Denique
 / Gottorum regibus aliquamdiu paruit/ tum variis imperatoribus
ac tyrannis quorum libidini exposita non solum imperio amisso

longobardi

sed vix se alienis viribus sustentat/ hiis urbibus Italie vasta-
tionibus Longobardorum mendacio accessit/ gentis barbare ac
ferocis que magne Italie portioni dominata est/ Omnemque
Cisalpine Gallie regionem que nunc Lombardia est ab eis cognominata

omnem quoque superi maris ferme tractum ab Ravenna Brundusium
usque tenuere ducentos paulo amplius annos in Italia regnarunt
et Romanis et summis pontificibus infestorum ac perniciei infesti quod
accidit ut ad comprimendas eorum iniurias cum Pipinus tum Karo- Pipinus
Karolus qui postea est Imperator factus in Italiam accitus devicto Karolus
desiderio eam ab longobardorum servitute liberaret / Maurorum quoque mul-
titudo ingens et antea et paulo post Italiam iam debilitatam
invasit Beneventum ac Materam plerasque vicinas urbes ab eis
vi captas diutius tenuere / eversa portuensi civitate Romanum agrum
sepissime incursantes / Basilicam sancti petri omnibus spoliavere
ornamentis / Quare permotus tunc Leo pontifex vaticanum Leo
muro cinxit quo tutior esset locus a Barbarorum incursu
Neque tamen devictis longobardis aut mauris expulsis quies
Italie data est aut urbi pace frui licuit Nam post Imperium
Karolo demandatum, pars grecis imperatoribus pars successoribus
Karoli parebat qua ex re dissensiones ac bella cum in urbe
tum aliis in locis exoriebantur plures in Italia tyranni reges et
imperatores denique fuerunt a quibus sepe vexata atque exinanita
est ea pars Italie que hodie regnum Neapolitanum appellatur Neapolitanum reg(num)
Bello intestino fessa, altera factio viribus inferior accitis a Ro-
berto ac Richardo normannorum ducibus / qui eo cum pluribus
sue gentis militibus ante millesimum et tricentesimum annum tran-
sierat Petiit ut duorum inter eos bella urgeret / qui Nor-
manis successerat Duces paulo post calamitates suas opes a deo
armis auxerunt Ut postea Rogerius per anacletum pontificem Anacletus
duobus de regnis dominus rex sit factus Ad Regnum postea bel-
lo sepissime appetitum et ad nostram usque etatem diverse gentis Re-
ges in eo haud parvo etiamnum tempore regnarunt / finitime regiones pro-
vincieque in ditionem romane ecclesie cesserunt / Etruria summatim
quiete ipsi Ut de superiorum temporum calamitate sileamus Conspicimus
Etrusci frequentibus intestinis bellis hactenus pugnarunt / Nulla civi-
tas etrusca est que non de suis exagitaverint fraudes
que ad hec nostra urbs magnum illius Florentia parte potita est
Sed usque ad hoc tempus appellari possumus perpetua inquietudine / Genua quoque non post
trecentesimum annum contigit ut non aliud eius cives / vel domestico
vel externo bello laboraret Janua ligurum urbs hodie mari Janua
plurimum potens paulo supra quingentesimum annum classe maurorum
capta spoliata atque eversa est / Lumbardie que cum diversis urbes Lumbardia
tum imperatorum tum tyrannorum quibus subdite fuerint longo
tempore sevitia fuit afflicte / Ut de superioribus eorum malis taceam Mediolanum
Fridericus primus urbem mediolanum / triennio obsessam fame ad Fridericus
deditionem compulit / In qua incensis rebus divitibus edificiis civi-
bus captis eius sevicia debachata est / Tante vastitati pa-
pie placentie addidit ruinas / Nonnulle preterea ab imperatoribus

obsesse captaeque civitates diversis malis conflictate sunt. Plurima eius gentis loca vel imperatorum vel tyrannorum, qui sua quisque
[Ezolinus] opida per vim ceperunt, variae potentie crudelitatem. Ezolinus
romanus vir omnium crudelissimus cum paulo supra centesimum annum pa-
[Padua] tavinorum tyrannidem occupasset, ad undecim milia civium in unum lo-
cum sub specie consilii tractos combussisse fertur. Eandem urbem dudum bel-
lo fatigatam una cum eius principe Francisco comes virtutum cepit.
Pauloque post eodem nomine filius cum eam recuperasset non multos post
annos Veneti longa obsidione fessam receperunt. Dedit ea
Franciscus dux qui Venetias cum duobus filiis deductus in
carcere postmodum strangulatus fuit non parvum vestigium qualis
sit fortune fides. Nulla fere sub alpibus Gallie civitas aut bar-
barorum aut ytalorum obsidionem direptionemque effugit. Patavium
Verona Brixia Mediolanum Ticinum Cremona Parma Placentia
Mutina reliqueque quoque eius provincie urbes sunt fame experte fre-
quentes subire calamitates. Nos ipsi hoc nostro seculo quotiens Italiam
bellis flagrantem vidimus cum hostium rabie cum domesticis factionibus
absumptam. Possem referre bella que inter nos et vicecomitum
familiam iam annos nonaginta in quibus omnis fere
Italia comprehensa est viguerunt, nisi longa futura esset historia.
[Cecilia] Quid loquar de Cecilia que portio Italie habetur. Nescio
ullam orbis partem crudeliores tyrannos expertam. Experto preterea
est undique mari et omnibus expeditionibus exposita ut omnes in eam
impetum pirate faciant. A Grecis a Carthaginensibus a Romanis
possessa deserta ac lacerata est et infinitis pene calamitatibus
confecta ut miseriarum illius quodammodo omni tempore fuisse videatur. Pos-
sem insuper ceterarum nationum recensere et domi et foris et
arma multorum sepe excitata. Quid crudelius bello
civili quod inter Gallicos dudum magnum cum principe et hominum et urbium
[Bohemia] est exortum. Possem hic adicere regni Bohemorum paucisque prin-
cipum querelam deflendam multorum strage hominum calamitate. Sed vereor
ne hec ipsa que rerum audieritis vobis attulerint satietatem. Hoc
unum dixisse sat erit nullam umquam civitatem nullam orbis partem
nullam gentem a miseria fuisse intactam sed continuis subiectam
[Matheus] calamitatibus extitisse. Hec Matheus. Permissa sunt a te inquit
Poggius commodiora ac pretiosiora ut mihi quidem videtur dampna ma-
laque quibus totus orbis est conflictatus. In quibus maxima clades
generum continetur. Que enim sunt ista commodiora inquam a me omissa.
Pestilentie fames terre motus quibus plurime maximeque civitates
everse sunt et ingens strages hominum consecuta. Verum ut ea prius
a me recenseantur quid crudelius de terremotibus quos me-
minerunt diu aut excogitari potest terre motibus quibus diversis temporibus
variis in locis urbes legimus fuisse prostratas. Nonnullis annis
quievit a bellis Asia tempore Mithridatis cum interim a deo quassata

terremotibus est eius regnum ut plures urbes et centum viginti ho-
minum milia perisse dicantur. Augusti tempore trallis in asia in
Cypro plures urbes motu terre corruerunt. Imperante tyberio tre-
decim asie civitates in quibus appollonia ephesus magnesia
sardis Cesarea philadelphia egene Rethicra molus temn-
une mirenia dua hircania simul motu sunt absumpte Bithinia
quoque in salvatoris passione concussa. Sub neronis imperio laodice-
am hierapolim colossem motus similis prostravit. Preterea
insuper vespasiani principatus urbes eversas conspexit. Eadem
clade sub trayano quattuor urbes perierunt Elea mirea Cyme pi-
tane et anthiochia subversa. Hadrianus quoque etate terremotum
dampna censit in Cesaree ac nicopolis ruina. In pii an-
thonini imperii sui cladibus fuit insignis. Rodus et smirna urbes
conciderunt. Et in tyro ac sydone ex edificiorum collapsu multa hominum
milia tum debilitata tum extincta sunt. Quod etiam contigit
Imperante Constancio Constantini filio in multis Asie urbibus
in quibus horribili motu terre plurima hominum milia interierunt. Hac
clade in nicomedia fundicus eversa secuta est. Nicenus quoque urbs
magna ex parte collapsa est. Valentiniano ac valente regnantibus
terre motu per universum orbem facto mare litus egressum Sicilie
multarumque insularum urbes cum innumerabili populo oppressit [illegible] &
nus penitus eversa. Archadii honoriique etate plurime europe
regiones motus terre concusserunt ac maiore murorum ac turrium
urbium partim plurimaque edificia tum prostrata tum quassata sunt
et que europe [illegible] ferme ipsa sua dampna passa est. Elica
in peloponnesso ysocratis ac platonis tempore elicem et buram
urbes euboee maritimas cum habitatoribus terre hyatus absorbuit
et ubi antea urbes erant nunc maris navigiis pervium factum est
et a miele a serpentibus delete. Opinionem insuper ac [illegible]-
noricorum tresque circa galathiam urbes sub traiano motu terre
dirupte. Post peste dirachium est collapsum et plures campanie
urbes eversis tum pompeiane sunt paludes plures fuisse urbes [illegible]
Ravenna his adiicienda est que maiori ex parte collapsa fu-
erit. Dictum est antea dalmatia magnam partem maritime [illegible]
ac vastasse dicitur et Bithinia quoque oppida complura obrutus
plurimaque aquarum inundacione absorbuta ac collapsa sunt. Quid
a tot tantisque calamitatibus post pestilencie et famis quibus multi
mortales periere urbe etiam romana cum a totila obsideretur a deo
oppressit et multi natorum corpora manducaverunt quod etiam in obsidione
Iherosolime contigisse Eusebius auctor est tanta in famis
in cunctis viguit ut multi infantis filiorum igni assi comederentur
sit ipsa multa etiam milia hominum in ea perisse fame legimus.
Tempus etiam Heraclii et opinor tempore a deo percussum ut non multe
dierum ultra decem milia hominum interiret adeoque vis morbi [illegible]

Augustus
Tyberius
Nero
Vespasianus
M. anthonius
Constantius
Valentinianus va[lens]
Isocrates
Plato
Rome
[illegible]
Eusebius
Eulmer

Rex anglie
Rothomagus

fuerit plures veluti capite se in tiberim precipitarunt. Sed quid
antiquam oram narro nuper cum rex anglie Rothomagum gallie
urbem obsideret, tredecim milia hominum paucis diebus fames ab
sumpsit. Denique pluribus ciuitatibus per obsidionem longiorem acci
disse, nos singularum urbium priuatas calamitates. Refert Pli
nius tres et quinquaginta populos antiquos in latio deletos quorum
nulla extat memoria. Fateor et hijs maiores inter clades re
liquas orbis partes perpessas indubitandum est, que quia litterarum lu
ce caruerunt in obscuro latent, que recensio rerum scriptorum
monimenta celebriora reddiderunt. Ubique in terram celestium vices
suas ostendunt. Nulleque ob eam causam regiones terremotus
pestilencias famem bella sediciones subterfugere valuerunt, quo
patet totius orbis calamitosam vitam fuisse et hanc quam miseriam
omnem esse comprehensam huius generis societate. Que cum dixisset
Tum cum intelligis inquit Cosme quantis incommodis quantis peri
culis quantis fortune mansibus quam asperis atrocibusque condicioni
exposita sit mortalium vita in qua nil sane tutum nil securum
nil firmum nil certum a natura nobis datur quam propter desipere
michi videntur qui longam etatem longiusque vite curriculum opes
diuicias dignitates tantopere expetunt et votis adeuntes expe
sunt ipsi sibi foueam in quam incidant preparantes. Tum Cosmus
non recuso inquit que a vobis satis diligenter disputata sunt a
me vero antea de virorum felicitate dicta eo spectarunt ut eli
gerem opus vestram potius quam ut meam sententiam ferrem.
Video enim ut antiquiora postponam de quibus satis copiose
disseruistis tum ytalie tum huic urbi tempore nostro quam mediocrem
teneant raro illam quietem que a bellis nostra etate que a variis
calamitatibus data sed per eam aut lacessitam appetitaque externis
armis aut alios lacessisse sedicionibus quoque domesticis et ciuili
discordia sepius laborasse adeo ut nullis seculis non liceret
longiore quiete frui. Sed que iam remedia nos posset ab hijs
vite molestijs tutos reddere omnibus enim tum animi tum corporis
infirmitatibus si bonos medicos nacti sumus cura salutaris
adhiberi potest. Non est inquit desperandum quin aliqua nostri morbi
reperiantur quibus ab iniuria fortune purgamur et in magis esse recte que a vite
petantur necesse est certa esse videntur. Nullaque presidia aduersus
tempus iniustum fidelia. Vera inquit Matheus Cosme sententia
videtis et de subsidio a vite in rebus humanis asserere esse petendum
Verum considerantes in hac quietis vite arbitrates. Visum est hec
aduersa ob eam rem euenire mortalibus et aliquando nos esse homines memi
nerimus hoc est imbecillis nature et misere vite esse que ex temporibus
te persepe conficiatur utque a fortune bonorum que caduca sunt cupi
ditate auertamus animum et cogitaciones nostras quantumuis ad meliora eius
studia que ope que a rectis securi in veram nos libertatem vendicemus. Et

Plinius

Poggius

Cosmus

Matheus

erit si vitiorum reiecta contagione mentem ad sui met contemplationem cogitati-
onemque revocaverit si corporis sensus declinaverit ac spreta volu-
ptatum illecebris parebimus imperio rationis. Si virtutem itaque ducem nostrorum
operum fecerimus eius preceptis veluti bene vivendi magistre obsequimur.
Hec nos ab omni vite molestia ab omni perturbatione animi avocabit. Hec
ab omni metu reddet immunes. Hec arma subministrabit quibus
muniti contemnemus fortune tela. Hec admonebit opes supellectilem contemnendas
esse fortunis bonis utendum non tamquam nostris sed commodatis ad quem repetenda
cum libuerit dantis arbitrio paratam fore. Hec docebit eadem animi equi-
tate et possidenda ea et relinquenda esse. Multe sunt ut nostis excellentium viro-
rum doctrine quibus instruimur ad vitam bene et cum ratione degendam. Hac
preceptrice si nostros vite actus instituerimus omnem fortune impetum contem-
nemus. Id autem preceptum in promptu est habendum ut in animo agere [illegible]
ex quo una perferendi ratio oriatur fortune munera si adsunt ne
efferamur si desint leniter feramus. Illud etiam nobis arbitror pro-
futurum si cogitaverimus adversa quandoque dari nobis fortunas ut cum
ea forti animo congressi superiores sese virtute evadamus. Non enim
in secundis probatur virtus sed in adversis. Neque enim prosperis navigiis gubernato-
ris scientia inspicitur sed tempestate turbida et reflantibus ventis.
Non est tam valida fortune vis ut a forti et constanti viro non supe-
retur. In qua etiam cum ea colluctati victores evaserunt. Animus a for-
tune imperio liber est si opes aufert si vires si valitudinem
si uxorem si liberos equanimiter careamus muneribus suis. Existimemus
que id fieri dei providentia sine qua rebus nostris recte consulat / cum ipse solus
novit quid nobis sit profuturum. Nos nescimus nostras causas et forme
tamen plerumque vota nostra sepius contra nos vertuntur. Multa petimus
in perniciem nostram que impetrata sepius nos torquet excruciatque
ac miseria. Exoptamus fortunas opes magistratus imperia et cetera
quibus fortuna donatur. At ea pluribus hominibus tum
mortis tum exilij tum carceris tum mortis tum summe infelici-
tatis causa fuerunt. Fugiende igitur nobis fortune sunt insidie
et ea a nobis querenda atque expetenda prestare que vera iuris
sunt que neque vivos deserant neque mortuis auferantur. Hec
nobis virtus ac ratio prestabunt quarum qui sequetur instituta
earumque consiliis parebit securior vivet neque fortunas timebit
neque ulli subditus aut vite miserie aut infelicitati. Cum hec
dicta essent utrique interim domum quemisset qui Cosmi opera
consiliumque egerent. Tempus est inquit Matheus ut his [illegible]
cum satis ea mitius nos collocuti sumus. Ut libet Cosmus inquit
quamquam hi nostri sermones plurimum mihi voluptatis attulerint re-
liquorum vocis aliquando molestia non [illegible]

Deo gratias

R. Merbuch Cassigraunt de Nessa ortus decretorum doctor Canonicus [illegible]

Telos

M. T. Ciceronis de finibus bonorum et malorum liber primus incipit

Non eram nescius Brute, cum que summis
ingenijs exquisitaque doctrina philosophi
greco sermone tractavissent, ea latinis
litteris mandaremus: fore ut hic noster labor
in varias reprehensiones incurreret. Nam
quibusdam et hijs quidem non admodum indoctis totum
hoc displicet philosophari. Quidam autem non id tantum rep-
rehendunt si remissius agatur sed tantum studium tamque
multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt
etiam et quidam eruditi grecis litteris contempnentes latinas
qui se dicant in grecis legendis operam malle consumere.
Postremo aliquos futuros fore suspicor qui me ad alias
litteras vocent, genus hoc scribendi et si sit elegans
persone tamen et dignitatis esse negent. Contra quos
omnes breviter dicendum existimo. Quamquam philosophie vituperatori-
bus satis responsum est eo libro quo a nobis philosophia de-
fensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata
ab hortensio. Qui liber cum et tibi probatus videretur
et hijs quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi
veritus ne movere hominum studia viderer retinere non posse.
Qui autem si hoc maxime placeat, moderatius tamen
id volunt fieri difficilem quandam temperantiam postulant
in eo quod semel admissum coerceri reprimique non potest
ut propemodum iustioribus utamur illis qui omnino avocent
a philosophia quam hijs qui rebus infinitis modum constituant in
reque eo meliore quo maior sit mediocritatem desiderent. at / in re quaque concluserit quo a [illegible]
Sive enim ad sapientiam perveniri potest non paranda nobis
solum ea sed fruenda etiam sapientia est, sive hoc difficile
est tamen nec modus est ullus investigandi veri nisi
inveneris, et querendi defatigatio turpis est cum id quod
queritur sit pulcherrimum. Etenim si delectamur cum scribimus quis
est tam invidus qui ab eo nos abducat. Sin laboramus
quis est qui alienae modum statuat industrie. Nam ut
terentianus cremes non inhumanus qui novum vicinum
non vult fodere aut arare aut aliquid ferre denique non n-
illum ab industria sed ab illiberali labore deterret, sic isti
curiosi quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.
His igitur est difficilius satisfacere qui se latina scripta dicunt
contempnere in quibus hoc primum est in quo admirer cur in gravis-
admirer

summis rebus non delectet eos patrius sermo. cum ydem
fabellas latinas ad verbum de grecis expressas non inviti legant
Quis enim tam inimicus pene nomini romano est qui ennii
medeam aut antiopam pacuvii spernat aut reiciat
quod se ysdem euripidis fabulis delectari dicat latinas
litteras oderit. Synephebos ego inquit potius cecilii aut
andriam terentii quam utramque menandri le-
gam. a quibus ego tantum dissentio ut cum sophocles vel
al' t atilii — optime scripserit electram tamen male conversam atilii mihi
legendam putem. de quo lucilius ferreum scriptorem. verum
opinor scriptorem tamen ut legendus sit. Rudem enim esse
omnino — in nostris poetis aut inertissime segnitiei est aut fa-
stidii delicatissimi. Michi quidem nulli satis eruditi vi-
dentur quibus nostra ignota sunt. An utinam ne in nemore
nichilominus legimus quam hoc idem grecum. Que autem de bene
beateque vivendo a platone disputata sunt hec explicari
non placebit latine. Quid? si nos non interpretum fungimur
munere sed tuemur ea que dicta sunt ab hiis quos probamus
eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus
quid habent cur greca anteponant hiis que et splendide
dicta sint — neque sint conversa de grecis. Nam si dicent ab illis has res
esse tractatas. ne ipsos quidem grecos est cur tam longos
legant quam legendi sunt. Quid enim est a crisippo pretermissum
in stoicis. legimus tamen diogenem antipatrum mnesarchum pa-
netium multos alios in primisque familiarem nostrum possido-
nium. Quid theophrastus mediocriterne delectat cum tractat
locos ab aristotele ante tractatos. Quid epicurei num
desistunt de eisdem de quibus et ab epicuro scriptum est et ab
antiquis ad arbitrium suum scribere. Quod si greci leguntur a
grecis ysdem de rebus alia ratione compositis quid est
cur nostri a nostris non legantur. Quamquam si plane sic
verterem platonem aut aristotelem ut verterunt nostri poe-
te fabulas male credo mererer de meis civibus si ad
eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque
feci adhuc neque mihi tamen ne faciam interdictum puto
locos quidem quosdam si videbitur transferam et maxime
ab hiis quos modo nominavi cum inciderit ut id apte
fieri possit ut ab homero ennius afranius a menandro
solet. Nec vero ut noster lucilius recusabo quominus
omnes mea legant. Utinam esset ille persius. Scipio vero
et rutilius multo etiam magis quorum ille iudicium

reformidans tarentinis aut se et consentinis ac siculis scri-
bere facete is quidem sicut alias sed neque tam docti tunc
erant ad quorum iudicium elaboraret et sunt illius scripta
leviora ut urbanitas summa appareat doctrina mediocris
Ego autem quem timeam lectorem cum ad te ne grecis quidem
cedentem in philosophia audeam scribere Quamquam a te ipso id
quidem facio provocatus gratissimo michi libro quem ad me
de virtute misisti Sed ex eo credo quibusdam venire usu
ut abhorreant a latinis quod inciderunt in inculta quedam
et horrida de malis grecis latine scripta deterius quibus
ego assentior dummodo de eisdem rebus ne grecos quidem
legendos putent Res vero bonas verbis electis graviter or-
nateque dictatas quis non legat nisi qui se plane grecum
dici velit ut a scevola est pretor salutatus athenis al-
bucius quem quidem locum cum multa venustate et omni
sale idem lucilius apud quem preclare scevola grecum te al-
buci quam romanum atque sabinum municipem ponti tritani
centurionum preclarorum hominum ac primorum signiferumque
maluisti dici Grece ergo pretor athenis quod maluisti
te cum ad me accedis saluto chere inquam tite lictores tur-
ma omnis chorusque chere tite Hinc hostis mucii albucius
hinc inimicus sed iure mucius Ego autem mirari non queo
unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium
Non est omnino hic docendi locus sed ita sencio et sepe dis-
serui latinam linguam non modo non inopem sed locupletiorem
etiam quam grecam Quando enim vel nobis dicam aut orato-
ribus bonis aut poetis postea quidem quam fuit quem
imitarentur ullus orationis vel copiose vel elegantis
ornatus defuit Ego vero cum forensibus operis laboribus
periculis non deseruisse mihi videor presidium in quo a populo
romano locatus sum debeo profecto quantumcumque possim in eo
quoque laborare ut sint opera studio labore meo doctiores
cives mei nec cum istis tantopere pugnare qui grecam legere
malunt modo legant illa ipsa ne simulent et iis servire
qui vel utrisque litteris uti velint vel si suas habent illas
non magnopere desiderent Qui autem alia malunt scribere
a nobis equi esse debent quod et scripta multa sunt sicut plura
nemini e nostris et scribent fortasse plura si vita suppetet
Et tamen qui diligenter hec que de philosophia litteris mandamus
legere assueverit iudicabit nulla ad legendum his esse
potiora Quid enim in vita tantopere querendum quam cum

omnia in philosophia, tum id quod his libris queritur quid sit finis
quid extremum quid ultimum quo sint omnia bene vivendi recteque
faciendi consilia referenda quid sequatur natura ut summum ex
rebus expetendis quid fugiat ut extremum malorum Qua
de re cum sit inter doctissimos summa dissensio quis alienum pu-
tet eius esse dignitatis quam mihi quisque tribuit quid in omni
munere vite optimum et verissimum sit exquirere An partus an-
cille sit ne in fructu habendus disseretur inter principes civitatis
P. scevolam M. manilium ab hisque M. Brutus dissentiet quod
et acutum genus est et ad usus civium non inutile nosque ea
scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter et legemus
hec que vitam continet omnem negligentur Illa ut sint a
vendibiliora hec uberiora certe sunt quamquam id quidem licebit
his estimare qui legerint Nos autem hanc omnem questionem de fini-
bus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his
litteris arbitramur in quibus quantum potuimus non modo quid
nobis probaretur sed etiam quid a singulis philosophie disciplinis diceretur
persecuti sumus Ut autem a facillimis ordiamur prima ve-
niat in medium epicuri ratio que plerisque notissima est quam
a nobis sic intelliges expositam ut ab ipsis qui eam disci-
plinam probant non soleat accuratius explicari Verum enim
invenire volumus non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate
autem quondam a L. torquato homine omni doctrina erudito de-
fensa est epicuri sententia de voluptate a meque ei respon-
sum cum C. triarius in primis gravis et doctus adolescens ei
disputationi interesset Nam cum ad me in cumanum salutandi
causa uterque venisset pauca primo inter nos de litteris quarum
summum erat in utroque studium Deinde torquatus quoniam
nacti te inquit sumus aliquando ociosum certe audiam quid sit
epicurum nostrum non tu quidem oderis ut fere faciunt qui
ab eo dissentiunt sed certe non probes eum quem ego arbi-
tror unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum
liberasse et omnia tradidisse que pertinent ad bene beateque
vivendum Sed existimo te sicut nostrum triarium minus eo
delectari quod ista platonis aristotelis theophrasti orato-
ris ornamenta neglexerit Nam illud quidem adduci vix
possum ut ea que senserit ille tibi non vera videantur
Vide quantum inquam fallare torquate Oratio me istius philosophi non
offendit, nam et complectitur verbis quod vult et dicit pla-
ne quod intelligam et tamen a philosopho si offerat eloquentiam non
asperner si non habeat non admodum flagitem Re mihi

non eque satisfaciat et quidem locis pluribus. sed quot homines
tot sententie falli igitur possumus. Quamobrem inquit non
satisfacit. Te enim iudicem equum puto modo que dicat
ille bene noris. Nisi mihi phedrum inquam mentitum aut
zenonem putas. quorum utrumque audivi cum mihi nichil sa-
ne preter sedulitatem probarent. Omnes mihi epicuri sen-
tencie satis note sunt atque eos quos nominavi cum attico nostro
frequenter audivi cum miraretur ille quidem utrumque phe-
drum autem etiam amaret quottidieque inter nos ea que au-
diebamus conferebamus neque erat umquam controversia quid ego
intelligerem sed quid probarem. Quid igitur
est inquit audire enim cupio quid non probes. Principio
inquam in physicis quibus maxime gloriatur primum totus
est alienus democrito adycit perpauca mutans sed
ita ut ea que corrigere vult mihi quidem depravare vi-
deatur. Ille athomos quas appellat id est corpora indivi-
dua propter soliditatem censet in infinito inani in quo nihil est
summum nec infimum nec medium nec ultimum nec extremum
sit ita inferri ut concursionibus inter se coherescant ex quo
efficiantur ea que sint queque cernantur omnia eumque mo-
dum athomorum nullo a principio sed ex eterno tempore intelle-
gi convenire. Epicurus autem in quibus sequitur democritum
non fere labitur quamquam utriusque cum multa non probo tum
illud in primis quod cum in rerum natura duo querenda
sint unum que materia sit ex qua queque res efficiantur
alterum que vis sit que quidque efficiat de materia disse-
ruerunt vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc ge-
vicium est ille epicuri proprie ruine. Censet enim eadem illa
individua et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad
lineam hunc naturalem esse omnium corporum motum. Dein
ibidem homo acutus cum illud occurreret si omnia deorsum e regi-
one ferrentur et ut dixi ad lineam numquam fore ut atho-
mus altera alteram posset attingere itaque attulit rem comen-
ticiam declinare dixit athomum perpaulum quo nihil pos-
set fieri minus ita effici complexiones copulationes et adhesiones
athomorum inter se et quo efficeretur mundus omnesque partes
mundi queque in eo essent. Que cum res tota ficta sit
pueriliter tamen ne efficiat quod vult. Nam et ipsa declina-
cio ad libidinem fingitur ait enim declinare athomum sine
causa quo nihil turpius physico quam fieri sine causa
quicquam dicere. Et illum motum naturalem omnium ponderum ut ipse

constituit e regione inferiorem locum petentium sine causa eri-
puit athomis. Nec tamen id cuius causa hec finxerat
assecutus est. Nam si omnes athomi declinabunt nulle umquam
coherescent. Sive alie declinabunt alie suo nutu recte fe-
rentur primum erit hoc quasi provincias athomis dare que
recte vel oblique ferentur. Deinde eadem illa athomorum
in quo etiam democritus heret turbulenta concursio hunc
mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici cre-
dere aliquid esse minimum quod profecto numquam putavisset si a-
pollino familiari suo geometrica discere maluisset quam illum
etiam ipsum dedocere. Sol democrito magnus videtur quippe
homini erudito in geometriaque perfecto huic bipedalis
fortasse tantum enim censet esse quantus videtur vel paulo
aut maiorem aut minorem. Itaque mutat ea et corrumpit que
sequitur que sunt tota democriti athomi inanes imagines
que idola nominant quorum incursione non solum videamus
sed etiam cogitemus infinitio ipsa quam apiria vocant tota
ab illo est tum innumerabiles mundi qui oriantur et intereant
quottidie que etsi mihi nullomodo probantur tamen democ-
ritum laudatum a ceteris ab hoc qui eum unum secutus esset
nollem vituperatum. Iam in altera philosophie parte que est
querendi ac diffiniendi que logica dicitur iste vester plane
ut mihi quidem videtur inermis ac nudus est. Tollit
diffinitiones nihil de dividendo ac partiendo docet non
quomodo efficiatur concludaturque ratio tradit non qua via
captiosa solvantur ambigua distinguantur ostendit. Iudicia
rerum in sensibus ponit quibus si semel aliquid
falsi pro vero probatum sit sublatum esse omne iudicium
veri et falsi putat. Confirmat autem illud vel maxime
quod ipsa natura ut ait ille sciscat et reprobet id est
voluptatem et dolorem. Ad hec et que sequamur et que
fugiamus referri omnia. Quod quamquam aristippi est a cirenai-
cisque melius liberiusque defenditur tamen eiusmodi esse iudico
ut nihil homine videatur indignius. Ad maiora enim quedam
nos natura genuit et conformavit ut mihi quidem vi-
detur. Ac fieri potest ut errem sed ita prorsus existimo neque
eum vel eum torquatum qui hoc primus cognomen invenit
aut torquem illum hosti detraxisse ut aliquam ex eo per-
ciperet corpore voluptatem aut cum latinis tertio consulatu con-
flixisse apud veserim propter voluptatem. Quod vero securi
percussit filium privavisse se etiam videtur multis volupta-

tibus ut quidem nature patrio quoque amori pretulit ius maie-
statis atque imperii. Quid L. torquatus is qui consul cum cn.
octavio fuit cum illam severitatem in eo filio adhibuit quem
in adoptionem d. sillano emancipaverat ut eum macedonum
legatis accusantibus quod pecunias pretore in provincia cepisse
arguerent causam apud se dicere iuberet reque ex utraque parte
audita pronunciaret eum non talem videri fuisse in im-
perio quales eius maiores fuissent et in conspectum suum
venire vetuit Numquid videtur tibi de voluptatibus suis
cogitavisse Sed ut omittam pericula labores dolore etiam
que optimus quisque pro patria et pro suis suscipit ut non modo
nullam captet sed etiam preteriat omnes voluptates dolores
denique quosvis suscipere malit quam deserere ullam officii partem
Ad ea que hoc non minus declarat sed videntur leviora
veniamus Quid tibi torquate quid huic triario
litere quid historie cognitioque rerum poetarum evolutio quid
tanta tot versuum memoria voluptatis affert Nec mihi
illud dixeris hec enim ipsa mihi sunt voluptati et erant illa
torquatis numquam hoc ita defendit epicurus Nec vero tu
aut quisquam eorum qui aut saperet aliquid aut ista didi-
cisset Et quod quaeritur sepe cur tam multi sint epicurei sunt
alie quoque cause sed multitudinem hoc maxime allicit quod
ita putant dici ab illo recta et honesta que sint ea facere
per se ipsa leticiam id est voluptatem homines optimi non
intelligunt totam rationem everti si ita res se habeat Nam
si concederetur etiam si ad corpus nihil referatur ista sua spon-
te et per se esse iucunda per se esset et virtus et cognitio rerum quod minime ille vult expetenda Hec
igitur epicuri non probo inquam de cetero vellem equidem aut ipse
doctrinis esset instructior est enim quod ita tibi videri necesse est
non satis politus iis artibus quas qui tenent eruditi
appellantur aut ne deterruisset alios a studiis quamquam te vi-
deo minime esse deterritum Que cum dixissem magis ut
illum provocarem quam ut ipse loquerer tum Triarius leniter
arridens tu quidem inquit totum epicurum pene e philoso-
phorum choro sustulisti Quid ei reliquisti nisi te quoque ut
is modo loqueretur intelligere quid diceret Aliena dixit
in phisicis nec ea ipsa que tibi probarentur sed si qua
in his corrigere voluit deteriora fecit Disserendi autem ar-
tem nullam habuit voluptatem cum summum bonum diceret primo
in eo ipso parum vidit deinde hoc quoque alienum Nam
ante aristippus et ille melius ceterum qui detractis de home

sensibus adductus ad extremum eum indoctum fuisse fieri in-
quam o Triari nullo pacto potest ut non dicas quid non probes
eius a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse
si probarem que ille diceret cum presertim illa perdiscere ludus
esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt
vituperande. Maledicta contumelie tum iracundie contentiones concer-
tationesque in disputando pertinaces indigne philosophia mihi vi-
deri solent. Tum Torquatus prorsus inquit assentior.
Neque enim disputari sine reprehensione nec cum iracundia et
pertinacia recte disputari potest. Sed ad hec nisi molestum
est habeo que velim. At me inquam nisi te audire vellem
censes hec dicturum fuisse. Utrum igitur percurri omnem
Epicuri disciplinam placet an de una voluptate queri
de qua omne certamen est. Tuo vero id quidem arbitra-
tu. Sic faciam igitur inquit unam rem explicabo eamque
maximam de physicis alias. Et quidem tibi et declinati-
onem istam athomorum et magnitudinem solis probabo et
Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta.
Nunc dicam de voluptate nihil scilicet novi et tamen
que te ipsum probaturum esse confidam. Certe inquam pertinax
non ero tibique si mihi probabis ea que dicis libenter as-
sentiar. Probabo inquit ista modo sis equitate qua ostendis.
Sed uti oratione perpetua malo quam interrogare aut interrogari.
Ut placet inquam. Tum dicere exorsus est. Primum igitur inquit
agam sic ut ipsi auctori huius discipline placet. Consti-
tuam quid et quale sit id de quo querimus non quo ignorare
vos arbitrer sed ut ratione et via procedat oratio. Querimus
igitur quid sit extremum quod ultimum bonorum quod omnium philoso-
phorum sententia tale debet esse ut ad id omnia referri oporteat ipsum autem
nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit quod summum bonum esse
vult summumque malum dolorem idque instituit docere sic. Omne
animal simul atque natum sit voluptatem appetere eaque gaudere
ut summo bono dolorem aspernari ut summum malum et quantum
possit a se repellere idque facere nondum depravatum ipsa natura
incorrupte atque integre iudicante. Itaque negat opus esse ra-
tione neque disputatione quamobrem voluptas expetenda
fugiendusque dolor sit. Sentiri hec putat ut calere ignem
nivem esse albam dulce mel quorum nihil oportere exqui-
sitis rationibus confirmare tantum satis esse admonere.
Interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis et inter
mediocrem animi adversionem atque admonitionem. Altera occulta quedam

et quasi involuta aperiri altera prompta et aperta iudicari Etenim
quoniam detractis de homine sensibus reliqui nihil est necesse est
quid aut ad naturam aut contra sit a natura ipsa iudicari Vo-
luptatem eam et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse
fugiendum Ea quid percipit aut quid iudicat quo aut petat
aut fugiat aliquid praeter voluptatem et dolorem Sunt autem
quidam e nostris qui hec subtilius velint tradere et negent
satis esse quid bonum sit aut quid malum sensu iudicari sed
animo etiam ac ratione intelligi posse et voluptatem ipsam esse
per se expetendam et dolorem ipsum esse per se fugiendum Itaque
aiunt hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse
notionem ut alterum esse appetendum alterum esse aspernandum sentiamus
Alii autem quibus ego assentior cum a philosophis tam pluribus permul-
ta dicantur cur nec voluptas in bonis sit numeranda
nec in malis dolor non existimant oportere nimium nos
cause confidere sed ut argumentandum et accurate disserendum
et rationibus conquisitis de voluptate et dolore disputan-
dum putant Sed ut perspiciatis unde omnis iste natus sit
error voluptatem accusantium doloremque laudantium totam rem
aperiam eaque ipsa que ab illo inventore veritatis et quasi ar-
chitecto beate vite dicta sunt Nemo enim ipsam voluptatem
quia voluptas sit aspernatur aut odit aut fugit sed quia
consequuntur magni dolores eos qui voluptatem ratione sequi
nesciunt Nec porro quisquam est qui dolorem ipsum quia dolor sit
amet consectetur adipisci velit sed quia nonnumquam eius-
modi tempora incidunt ut labore et dolore magnam aliquam querat
voluptatem Ut enim ad minima veniam quis nostrum exercitationem
ullam corporis suscipit laboriosam nisi ut ex aliquid ex
ea commodi consequatur Quis autem vel eum iure reprehende-
rit qui in ea voluptate velit esse quam nihil molestie con-
sequatur vel illum qui dolorem eum fugiat quo voluptas nulla
pariatur At vero eos et accusamus et iusto odio dignissimos
ducimus qui blanditiis presentium voluptatum deleniti atque cor-
rupti quos dolores et quas molestias excepturi sint
obcecati cupiditate non provident similique sunt in culpa
qui officia deserunt mollitia animi et laborum ac dolorum
fuga Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio
Nam libero tempore cum soluta nobis est eligendi optio cumque
nihil impedit quo minus id quod maxime placeat facere
possimus omnis voluptas assumenda est omnis dolor repelle-
ndus Temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis

aut rerum necessitatibus sepe evenit ut voluptates repudiande
sint et molestie non recusande. Itaque earum rerum hic tenetur
a sapiente delectus ut reiciendis voluptatibus maiores ali-
as consequatur aut perferendis doloribus asperiores repellat.
Hanc ego cum teneam sententiam quid est cur verear ne ad eam
non possim accomodare torquatos nostros quos tu paulo an-
tum memoriter tum etiam erga nos amice et benivole
collegisti. Nec me tamen laudandis maioribus meis cor-
ripuisti nec segniorem ad respondendum reddidisti. Quorum
facta quemadmodum queso interpretaris. Sicine eos censes
aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos
aut in sanguinem suum tam crudeles fuisse nihil ut de utili-
tatibus nihil ut de commodis suis cogitarent. At id ne
fere quidem faciunt ut ita ruant itaque turbent ut earum
motus et impetus quo pertineat non intelligamus. Tu tam
egregios viros censes tantas res gessisse sine causa.
Que fuit causa mox videro. Interea hoc tenebo si ob
aliquam causam ista que sine dubio preclara sunt fecerint virtutem
iis per se ipsam causam non fuisse. Torquem detraxit hosti
et quidem se texit ne interiret. At magnum periculum adiit
in oculis quidem exercitus. Quid ex eo est consequutus.
Laudem et caritatem que sunt vite sine metu degende pre-
sidia firmissima. Filium morte multavit. Si sine causa
nollem me ab eo ortum tam importuno tamque crudeli.
Sin ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam
exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contine-
ret saluti prospexit civium qua intelligebat contineri
suam. Atque ad hec ratio late patet. In quo enim maxime
consuevit iactare se vestra oratio tua presertim qui studio-
se antiqua persequeris claris et fortibus viris comme-
morandis eorumque factis non emolumento aliquo sed ipsius
honestatis decore laudandis id totum evertitur eo delectu
rerum quem modo dixi constituto ut aut voluptates
omittantur maiorum voluptatum adipiscendarum causa aut
dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.
Sed de clarorum hominum factis illustribus et gloriosis satis
hoc loco dictum sit. Erit enim iam de omnium virtutum cursu
ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem expli-
cabo voluptas ipsa que qualisque sit ut tollatur error
omnis imperitorum intelligaturque ea que voluptaria de-
licata mollis habeatur disciplina quam gravis quam continens

tum sequar. Non enim hanc solam sequitur que suaviter aliqua naturam ipsam monet et cum iocunditate quadam percipitur sensibus sed maximam illam voluptatem habemus que percipitur omni dolore detracto. Nam cum privamur dolore ipsa liberatione et vacuitate omnis molestie gaudemus. Omne autem id quo gaudemus voluptas est et omne quo offendimur dolor doloris omnis privatio recte nominata est voluptas. Ut enim cum cibo et potione fames sitisque depulsa est ipsa detractio molestie consecucionem affert voluptatis sic in omni re doloris amocio successionem efficit voluptatis. Itaque non placuit epicuro medium esse quiddam inter dolorem et voluptatem. Illud enim ipsum quod quibusdam medium videtur si cum omni dolore careret non modo voluptatem esse verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit quemadmodum sit affectus eum necesse est aut in voluptate esse aut dolore. Omni autem privatione doloris putat epicurus terminari summam voluptatem ut postea variari voluptas distinguique possit augeri amplificarique non possit. At etiam athenis ut a patre audiebam facete et urbane stoicos irridente statua in ceramico crisippi est sedentis porrecta manu que manus significet illum in hac esse rogatiuncula delectatum. Numquid nam manus tua sic affecta quemadmodum affecta nunc est desiderat. Nichil sane. At si voluptas esset bonum desideraret. Ita credo. Non est igitur voluptas bonum. Hoc ne statuam dicturam quidem pater aiebat si loqui posset. Verum conclusum est enim contra cirenaicos satis acute nihil ad epicurum. Nam si ea sola voluptas esset que quasi titillaret sensus ut ita dicam et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur nec manus esse contenta posset ulla vacuitate doloris sine iocundo motu voluptatis. Sin autem summa voluptas est ut epicuro placet nihil dolere primum tibi recte crisippe concessum est nihil desiderare manum cum ita esset affecta secundum non recte si voluptas esset bonum fuisse desideraturam. Idcirco enim non desideraret quia quod dolore caret id in voluptate est. Extremum autem esse bonorum voluptatem ex hoc facillime perspici potest. Constituamus aliquem magnis multis perpetuis fruentem et animi et corporis voluptatibus nullo dolore nec impediente nec impendente quem tandem hoc statu prestabiliorem aut magis expetendum possumus dicere. Inesse enim necesse est in eo

qui ita sit affectus et firmitate animi nec mortem nec
dolorem timeat quod mors sensu careat dolor in longi-
quitate leuis in grauitate breuis soleat esse ut eius magnitudinem
celeritas diuturnitatem alleuacio consoletur Ad ea cum ac-
cedit et neque diuinum numen horreat nec preteritas vo-
luptates effluere paciatur earumque assidua recordacione le-
tetur quid est quod huc possit quod melius sit accedere
Statue contra aliquem confectum tantis animi corporis
doloribus quanti in hominem maxime cadere possunt nulla
spe proposita fore leuius aliquando nulla preterea neque pre-
senti neque expectata voluptate quid eo miserius fingi
aut dici potest Quod si vita doloribus referta ma-
xime fugienda est summum profecto malum est viuere
cum dolore Cui sentencie consentaneum est ultimum esse
bonorum cum voluptate viuere Nec enim habet nostra mens
quicquam ubi consistat tamquam in extremo Omnesque et metus
et egritudines ad dolorem referuntur neque preterea res est ul-
la que sua natura aut sollicitare possit aut angere Pre-
terea et appetendi et refugiendi et omnino rerum geren-
darum inicia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore
quod cum ita sit perspicuum est omnes rectas res atque lau-
dabiles eo referri ut cum voluptate viuatur Quoniam autem
id est vel summum bonorum vel ultimum vel extremum
quod greci telon nominant quod ipsum nullam ad aliam
rem ad id autem res feruntur omnes fatendum est esse
summum bonum iocunde viuere Id qui in una virtute ponit
et splendore nominis capti quid natura postulet non in-
telligunt errore maximo si epicurum audire voluerint
liberabuntur Iste enim vestre eximie pulcre virtutes nisi
voluptatem efficerent quis eas aut laudabiles aut ex-
petendas arbitraretur Ut enim medicorum scienciam
non ipsius artis sed bone valitudinis causa probamus
et gubernatoris ars quia bene nauigandi racionem
habet utilitate non arte laudatur sic sapiencia que ars
viuendi putanda est non expeteretur si nihil effi-
ceret Nunc expetitur quod est tamquam artifex conquiren-
de et comparande voluptatis Quam autem dicam volupta-
tem videtis ne inuidia verbi labefactetur oracio mea Nam
cum ignoracione rerum bonarum et malarum maxime hominum
vita vexetur ob eumque errorem et voluptatibus maximis
sepe priuentur et durissimis animi doloribus torqueantur sapiencia

Sapiencia

est adhibenda quo et terroribus cupiditatibusque detractis
et omnium falsarum opinionum temeritate derepta certissimam se
nobis ducem prebeat ad voluptatem Sapiencia enim est
una que mesticiam pellat ex animis que nos exhor-
rescere metu non sinat qua preceptrice in tranquillitate
vivi potest omnium cupiditatum ardore restincto Cupiditates
enim insaciabiles que non modo singulos homines sed uni-
versas familias evertunt totam etiam labefactant rem p.
Ex cupiditatibus odia dissidia discordie sediciones bella nascu-
ntur nec he se se solum foris iactant nec tamen in alios ceco
impetu incurrunt sed intus etiam in animis inclusi inter se
dissident atque discordant ex quo vitam amarissimam necesse est
effici ut sapiens solum amputata circumcisaque inanitate
omni et errore nature finibus contentus sine egritudine possit
et sine metu vivere Que est enim aut utilior aut ad
bene vivendum aptior particio quam illa qua est usus Epi-
curus qui unum genus posuit earum cupiditatum que
essent et naturales et necessarie alterum que naturales essent
nec tamen necessarie quarum ea racio est ut necessarie nec
opera multa nec expensa expleantur Nec naturales
quidem multa desiderant propterea quod ipsa natura divicias
quibus contenta sit et parabiles et terminatas habet
Inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis
inveniri potest Quod si vitam omnem perturbari videmus
et errore et inscientia sapienciamque esse solam que nos a li-
bidinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius
fortune modice ferre doceat iniurias et omnes monstrat
vias que ad quietem et tranquillitatem ferant quid est
cur dubitemus dicere et sapienciam propter molestiam esse fu-
giendam Eademque ratione ut temperanciam quidem propter se expe-
tendam esse dicemus Sed quia pacem animis afferat et
eos quasi concordia quadam placet ac leniat Temperancia
est enim que in rebus aut expetendis aut fugiendis
ut racionem sequamur monet Nec enim satis est iu-
dicare quid faciendum non faciendumve sit sed stare
etiam oportet in eo quod sit iudicatum Plerique autem
quod tenere atque servare id quod statuerunt non possunt
victi et debilitati obiecta specie voluptatis tradunt se libidi-
nibus constringendos nec quid eventurum sit provident
ob eamque causam propter voluptatem et parvam et non necessariam
et que vel aliter pararentur et qua etiam carere possent

sive dolorem sive in morbos incidunt tum in damna tum
in dedecora incurrunt saepe etiam legum iudiciorumque poenis
obligantur Qui autem ita frui voluptatibus volunt ut
nulli propter eas dolores consequantur et qui suum iudicium re-
tinent ne voluptate victi faciant id quod sentiant non esse
faciendum voluptatem maximam adipiscuntur praetermittenda vo-
luptate Idem etiam dolorem saepe perpetiuntur ne si id non
faciant incidant in maiorem Ex quo intelligitur nec in tem-
perantiam propter se fugiendam temperantiamque expetendam non
quia voluptates fugiat sed quia maiores consequatur
Eadem fortitudinis ratio reperietur Nam neque laborum per-
functio neque perpessio dolorum per se ipsa allicit nec patientia
nec assiduitas nec vigiliae nec ea ipsa que laudatur
industria ne fortitudo quidem sed ista sequimur ut sine
cura metuque vivamus animumque et corpus quantumque effi-
cere possumus molestia liberemus Ut enim mortis metu omnis
quiete vite status perturbatur et ut succumbere doloribus
eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est ob eamque de-
bilitatem animi multi parentes amicos nonnulli patriam plerique autem
se ipsos penitus perdiderunt sic robustus animus et excelsus est liber
cura et angore cum et mortem contemnit qua qui quidem affecti
sunt in eadem causa sunt qua antequam nati et ad dolores
ita paratus est ut meminerit maximos morte finiri
parvos multa habere intervalla requietis mediocrium nos
esse dominos ut si tollerabiles sint feramus si minus equo
animo e vita cum ea non placeat tamquam e theatro exeamus
Quibus rebus intelligitur nec timiditatem ignaviamque vitu-
perari nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine sed illas
reici que dolorem pariant has optari quia voluptatem
Iustitia restat ut de omni virtute sit dictum Sed similia
fere dici possunt Ut enim sapientiam temperantiam fortitudinem copu-
latas esse docui cum voluptate ut ab ea nullo modo nec divelli
nec distrahi possint sic de iustitia iudicandum est que non
modo numquam nocet cuiquam sed contra semper afficit quod tum in
sua atque natura quod tranquillet animos tum spe nihil earum
rerum defuturum quas natura depravata desideret quemadmodum
temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et
semper sollicitant turbulenteque sunt sic cuius in mente consedit
hoc ipso quod adest turbulenta non potest esse Et si vero
molita quippiam est quamvis occulte fecerit numquam tamen confidet
id fore semper occultum plerumque improborum facta primo suspicio

insequitur. Deinde sermo atque fama accusator tum in-
dex. Multi etiam ut te consule ipsi se indicaverunt. Quod si
qui satis animi contra hominum sibi conscientiam septi esse et
muniti videntur deorum tamen horrent easque ipsas sollici-
tudines quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur a
diis immortalibus supplicii causa importari putant. Que
autem tanta ex improbis factis ad minuendas vite mo-
lestias accessio fieri potest quanta ad augendas cum conscientia
factorum tum pena legum odioque civium. Et tamen in quibusdam
neque honoris neque imperii neque libidinum neque epularum nec
reliquarum cupiditatum quas nulla preda umquam improbe
parta minuit sed auget potius atque inflammat ut coercen-
di magis quam dedocendi esse videantur. Invitat igitur
bene sanos ratio vera ad iustitiam equitatem fidem. Neque homini
infanti aut impotenti iniuste facta conducunt qui nec fa-
cile efficere possit quod conetur nec optinere si effecerit. Et
opes vel fortune vel ingenia liberalitati magis conveniunt
qua qui utuntur benivolentiam sibi conciliant et quod aptissimum
est ad quiete vivendum caritatem presertim cum omnino nulla sit
causa peccandi. Que enim cupiditates a natura proficiscuntur
facile explentur sine ulla iniuria. Que autem inanes
sunt iis parendum non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt
plusque in ipsa iniuria detrimenti est quam in his rebus
emolumenti que pariuntur iniuria. Itaque ne iustitiam quidem
recte quis dixerit per se ipsam optabilem sed quia iocunditatis
vel plurimum afferat. Nam diligi et carum esse iocundum est
propterea quod tutiorem vitam et voluptatem efficiat pleniorem. Itaque
non ob ea solum incommoda que eveniunt improbis fugien-
dam improbitatem putamus sed multo etiam magis quod cuius
in animo versatur numquam sinit eum respirare numquam acquiescere.
Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus in qua maxime ceto-
rum philosophorum exultat oratio reperire potest exitum nisi derigatur
ad voluptatem. Voluptas autem est sola que nos vocet ad
se et alliciat suapte natura non potest esse dubium quin
id summum sit atque extremum bonorum omnium beateque vivere nihil
aliud sit nisi cum voluptate vivere. Huic certe stabilique sententie
que sint coniuncta explicabo brevi. Nullus in ipsis error est
finibus bonorum et malorum id est in voluptate aut dolore.
Sed in his rebus peccant cum e quibus hec efficiantur ignorant.
Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e cor-
poris voluptatibus et doloribus. Itaque concedo quod modo dicebas

rede tamse si qui in iis aliter existimant quos quidem video esse multos sed imperitos. Quamquam autem et letitiam nobis voluptas animi et molestiam dolor affert eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore et ad corpus referri. Nec ob eam causam non multo maiores esse voluptates et dolores animi quam corporis. Nam corpore nihil nisi presens et quod adest sentire possumus animo autem et preterita et futura. Ut enim eque doleamus animo cum corpore dolemus fieri tamen permagna accessio potest si aliquod eternum et infinitum impendere malum nobis opinemur. quod idem licet transferre in voluptatem ut maior sit si nihil tale metuamus. Iam illud quidem perspicuum est maximam animi aut voluptatem aut molestiam plus aut ad beatam aut ad miseram vitam afferre momenti quam eorum utrumvis si eque diu sit in corpore. Non placet autem detracta voluptate egritudinem statim consequi nisi in voluptatis locum dolor forte successerit. At contra gaudere nosmet omittendis doloribus etiam si voluptas ea que sensum moveat nulla successerit eoque intelligi potest quanta voluptas sit non dolere. Sed ut iis bonis erigimur que expectamus sic letamur iis que recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur. Sapientes bona preterita grata recordatione renovata delectant. Est autem situm in nobis ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac suaviter meminerimus. Sed cum ea que preterierunt acri animo et attento intuemur tum fit ut egritudo sequatur si illa mala sint si bona leticia. O preclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam. Cum enim certe nihil homini possit melius esse quam vacare omni dolore et molestia perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus videtisne quam nihil pretermittatur quod vitam adiuvat quo facilius id quod propositum est summum bonum consequamur. Clamat epicurus is quem vos nimis voluptatibus deditum esse dicitis non posse iucunde vivi nisi sapienter honeste iuste nisi iucunde. Neque enim civitas in seditione beata esse potest nec in discordia dominorum domus quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare partem aliquam liquide voluptatis et libere potest. Atqui pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre nihil tranquilli potest. Quod si corporis gravioribus morbis vite iucunditas impeditur quanto magis animi morbis impediri necesse est. Animi autem morbi sunt cupiditates immense

et inanes diuiciarum glorie dominacionis libidinosarum eciam cupi-
ditatum. Accedunt egritudines molestie merores qui exedunt
animos conficiuntque curis hominum non intelligencium nihil do-
lendum esse animo quod sit a dolore corporis presenti futurove
seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum
aliquo laborat. Nemo igitur est non miser. Accedit eciam
mors que quasi saxum tantalo semper impendet. Tum
superstitio qua qui est imbutus quietus esse numquam potest.
Preterea bona preterita non meminerunt presentibus non fruuntur
futura modo expectant que quia certa esse non possunt
conficiuntur et angore et metu maximeque cruciantur cum
sero senciunt frustra se aut pecunie studuisse aut imperiis
aut opibus aut glorie. Nullas enim consequuntur voluptates
quarum potiendi spe inflammati multos labores magnos
quam susceperant. Ecce autem alii minuti et angustique et omnia semper
desperantes aut maliuoli inuidi difficiles lucifugi ma-
ledici monstruosi. Alii autem eciam amatoriis leuitatibus
dediti alii petulantes alii audaces proterui idem inte-
perantes et ignaui numquam in sententia permanentes. Quas
ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestie. Igitur
neque stultorum quisquam beatus nec sapientum non beatus
multoque hoc melius nos veriusque quam stoici. Illi
enim negant bonum quicquam esse nisi nescio quam illam
umbram quod appellant honestum non tam solido quam
splendido nomine virtutem autem nixam hoc honesto nullam
requirere voluptatem atque ad beate viuendum se ipsa esse con-
tentam. Sed possunt hec quadam ratione dici non modo
non repugnantibus nobis verum etiam approbantibus. Sic
enim ab epicuro sapiens semper beatus inducitur finitas habet
cupiditates negligit mortem de diis immortalibus sine ullo
metu vera sentit non dubitat si ita melius sit migrare
de vita. His rebus instructus semper est in voluptate. Ne-
que enim tempus est ullum quo non plus habeat voluptatum quam
dolorum. Nam et preterita grate meminit et presentibus ita potitur
ut animaduertat quanta sint ea quamque iocunda nec pendet
ex futuris sed expectat illa fruitur presentibus ab iisque
vitiis que paulo ante collegi abest plurimum et cum stul-
torum vitam cum sua comparat magna afficitur voluptate.
Dolores autem si qui incurrunt numquam vim tantam ha-
bent ut non plus habeat sapiens quod gaudeat quam
quod angatur. Optime vero Epicurus qui exiguam dicit

fortunam intervenire sapienti maximas vero et gravissimas
res consilio ipsius et ratione administrari neque maiorem
voluptatem ex infinito tempore etatis percipi posse quam
ex hoc percipiatur quod videamus esse finitum In dyale-
tica autem vestra nullam vim existimavit esse nec ad me-
lius vivendum nec ad commodius disserendum In phisicis
quod plurimum posuit ea scientia et verborum vis et natura
orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici
Omnium autem rerum natura cognita levamur superstitione
liberamur mortis metu non conturbamur ignoratione rerum e qua
est qua ipsa horribiles existunt sepe formidines Denique
etiam morati melius erimus cum didicerimus quid natura
desideret Tum vero si stabilem scientiam rerum tenebimus
servata illa que quasi delapsa de celo est ad cognitionem
omnium regula ad quam omnia iudicia rerum dirigentur
numquam ullius ratione victi sententia desistemus Nisi autem
rerum natura perspecta erit nullo modo poterimus sensuum iudicia
defendere Quicquid porro animo cernimus id omne oritur a sen-
sibus qui si omnes veri erunt ut Epicuri ratio docet tum
denique poterit aliquid cognosci et percipi Quos qui tollunt
et nihil posse percipi dicunt hi remotis sensibus ne id
ipsum quidem expedire possunt quod dixerunt Preterea
sublata cognitione et scientia tollitur omnis ratio et vite degende
et rerum gerendarum Sic e phisicis et fortitudo sumitur
contra mortis timorem et constantia contra metum religionis
et sedatio animi omnium rerum occultarum ignoratione subla-
ta et moderatio natura cupiditatum generibusque earum explica-
tis et ut modo docui cognitionis regula et iudicio ab eadem
illa constituto veri a falso distinctio traditur Restat locus
huic disputationi vel maxime necessarius de amicicia
quam si voluptas summum bonum sit affirmatis nullam
omnino fore De qua Epicurus quidem ita dicit omnium
rerum quas ad beate vivendum sapientia comparaverit nichil
esse maius amicicia nichil uberius nichil iocundius Nec
vero hoc ratione solum sed multo magis vita et factis
et moribus comprobavit quod quam magnum sit ficte
veterum fabule declarant in quibus tam multis tamque
variis ab ultima antiquitate repetitis tria vix amicorum
paria reperiuntur ut ad Horestem pervenias profectus a The-
seo At vero Epicurus una in domo et ea quidem angu-
sta quam magnos quantaque amoris conspiratione

consentientes tenuit amicorum greges quod fit nunc etiam ab epicureis. Sed ad rem redeamus de omnibus dicere non necesse est. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicicia disputatum. Alii cum eas voluptates que ad amicos pertinerent negarent esse per se ipsas expetendas tamquam nostras expeteremus quo loco videtur quibusdam stabilitas amicicie vacillare. Tuentur tamen eum locum seque facile ut michi videtur expediunt. Ut enim virtutes de quibus ante dictum est sic amiciciam negant a voluptate posse discedere. Nam cum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit racio ipsa monet amicicias comparare quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest. Atque ut odia et invidie despicaciones adversantur voluptatibus sic amicicie non modo fautrices fidelissime sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis quam sibi quibus non solum presentibus fruuntur sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicicia firmam et perpetuam iocunditatem vite tenere possumus neque vero ipsam amiciciam tueri nisi eque amicos et nosmet ipsos diligamus idcirco et hoc ipsum efficitur in amicicia et amicicia cum voluptate connectitur. Nam et letamur amicorum leticia eque ut nostra et pariter dolemus angoribus. Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum quo in se ipsum quosque labores propter suam voluptatem susciperet eosdem suscipiet propter amici voluptatem. Queque de virtutibus dicta sunt quemadmodum eas semper voluptatibus inhererent eadem de amicicia dicenda sunt. Preclare enim epicurus his pene verbis eadem inquit sciencia confirmavit animum ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum que perspexit in hoc ipso vite spacio amicicie presidium esse firmissimum. Sunt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra vestra convicia sed tamen satis acuti qui verentur ne si amiciciam propter nostram voluptatem expetendam putemus tota amicicia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulacionesque et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem. Cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit tum amorem efflorescere tantum ut etiam si nulla sit utilitas ex amicicia tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca si fana si urbes si gymnasia si campum si canes si equos si ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare solemus quanto id in hominum consuetudine facilius

fieri potuit et iustum Sunt autem qui dicunt fedus esse quoddam
sapientium ut ne minus amicos quidem quam se ipsos diligant
quod et posse fieri intelligimus et sepe cum videmus et per-
spicuum est nihil ad iocunde vivendum reperiri posse quod coniun-
ccione tali sit aptius Quibus ex omnibus iudicari potest non
modo non impediri racionem amicicie si summum bonum in volu-
ptate ponatur sed sine hoc institucionem amicicie omnino non pos-
se reperiri Quapropter si ea que dixi sole ipso illustriora et cla-
riora sint si omnia dixi hausta e fonte nature si tota oracio
nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat id est incorru-
ptis atque integris testibus si infantes pueri mute etiam
bestie pene loquuntur magistra ac duce natura nihil esse
prosperum nisi voluptatem nihil asperum nisi dolorem
de quibus neque depravate iudicant neque corrupte nonne
ei maximam graciam habere debemus qui hec exaudita
quasi voce nature sic eam firme graviterque comprehenderit
ut omnes bene sanos in viam placate tranquille quiete
beate vite deduceret Qui quod tibi parum videtur erudi-
tus ea causa est quod nullam erudicionem esse duxit nisi
que beate vite disciplinam iuvaret An ille tempus in
poetis evolvendis ut ego et Triarius te hortatore
facimus consumeret In quibus nulla solida utilitas est
omnisque puerilis delectacio aut se ut Platoni musicis
geometria numeris astris contereret Que et a falsis
initiis profecta vera esse non possunt et si essent vera nihil
afferrent quo iocundius id est quo melius viveremus
Eas ergo artes persequeretur vivendi artem tantam tam-
que operosam et perinde fructuosam relinqueret Non ergo
Epicurus ineruditus sed ii indocti qui que pueros non
didicisse turpe est ea putant usque ad senectutem esse disce-
nda Que cum dixisset Explicavi inquit sentenciam meam
et eo quidem consilio tuum iudicium ut cognoscerem que-
niam ut id meo arbitratu facerem ante hoc tempus numquam
est data

29 Hic cum uterque me intuetur seseque ad au-
diendum significarent paratos Primum
inquam deprecor ne me tamquam philosophum putetis
scholam vobis aliquam explicaturum quod
ne in ipsis quidem philozophis magnopere umquam probavi

Quando enim Socrates qui parens philosophie iure dici potest
quicquam fecit tale Eorum erat iste mos qui tunc sophiste
nominabantur quorum e numero primus est ausus Leontinus
Gorgias in conventu poscere questionem id est iubere dicere
qua de re quis vellet audire audax negocium dicerem
impudens nisi hoc institutum postea translatum ad phi-
lozophos nostros esset Sed et illum quem nominavi et
ceteros zophistas ut e platone intelligi potest lusos
videmus a Socrate Is enim percontando atque interrogando
elicere solebat eorum opiniones quibuscum disserebat ut
ad hec que ii respondissent si quid videretur diceret Qui
mos cum a posterioribus non esset retentus archesilaus
eum revocavit instituitque ut ii qui se audire vellent non
de se quererent sed ipsi dicerent quid sentirent quod cum
dixissent ille contra Sed qui audiebant quoad poterant
defendebant sententiam suam Apud ceteros autem philosophos
qui quesivit aliquid tacet quod quidem iam fit etiam
in achademia Ubi enim is qui audire vult ita dixit Vo-
luptas mihi videtur esse summum bonum perpetua oratione contra
disputatur ut facile intelligi possit eos qui aliquid sibi
videri dicant non ipsos in ea sententia esse sed audire vel-
le contraria Nos commodius agimus Non enim plus torquatus
dixit quid sentiret sed etiam cur Ego autem arbitror quamquam
admodum delectatus sum eius oratione perpetua tamen commo-
dius cum in rebus singulis insistas et intelligas quid
quisque concedat quid abnuat ex rebus concessis concludi
quod velis et ad exitum pervenire Cum enim fertur quasi tor-
rens oratio quamvis multa cuiusque modi rapiat nihil tamen
teneas nihil apprehendas Nusquam orationem rapidam coerceas
Omnis autem inquirendo que via quadam et ratione habetur
oratio prescribere primum debet ut quibusdam in formulis ea res
agatur ut inter quos disseritur conveniat quid sit id
de quo disseratur Hoc positum in phedro a platone probavit
epicurus sensitque in omni disputatione id fieri oportere Sed
quod proximum fuit non vidit Negat enim diffiniri rem pla-
cere sine quo interdum fieri non potest ut inter eos qui ambigunt
conveniat quid sit id de quo agatur velut in hoc ipso
de quo nunc disputamus Querimus enim finem bonorum
Possumusne hunc scire qualis sit nisi contulerimus inter nos
cum finem bonorum dixerimus quid finis quid etiam sit ipsum bonum
Atqui hec patefactio quasi rerum opertarum cum quid

sit appetitur. diffinitio est qua tu etiam imprudens utebare non nunquam.
Nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive ultimum diffinie-
bas id esse quo omnia que recte fierent referrentur neque id
ipsum usque referretur, preclare hoc quidem. bonum ipsum etiam
quid esset fortasse si opus fuisset diffinisses aut quod esset natura
appetendum aut quod prodesset aut quod iuvaret aut quod li-
beret. Modo id nisi molestum est quoniam tibi non omnino displi-
cet diffinire et id facis cum vis. Velim diffinias quid sit vo-
luptas de quo est omnis hec questio. Quasi quis est inquit
qui quid sit voluptas nesciat. aut qui quo magis id intelli-
gat diffinitionem aliquam desideret. Me ipsum esse dicerem inquam
nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem et satis
firme conceptam animo atque comprehensam. Nunc autem
dico ipsum Epicurum nescire et in eo nutare eumque qui crebro
dicat diligenter oportere exprimi quis subiecta sit vocibus non
intelligere interdum quid sonat hec vox voluptatis id est que res
huic voci subiciatur. Tum ille ridens hoc inquit optimum
ut is qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicit
id extremum id ultimum bonorum id ipsum quid qualeve sit ne-
sciat. Atqui inquam aut Epicurus quid sit voluptas aut
omnes mortales qui ubique sunt nesciunt. Quonam inquit
modo. Quia voluptatem hanc esse sentiunt omnes quam
sensus accipiens movetur et iocunditate quadam perfun-
ditur. Quid ergo inquit istam voluptatem epicurus ignorat.
Non semper inquam nam interdum nimis etiam novit quip-
pe qui testificetur ne intelligere quidem se posse ubi sit
aut quod sit ullum bonum preter illud quod cibo et po-
tione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur.
An hec ab eo non dicuntur. Quasi me pudeat inquit
istorum aut non possim quemadmodum dicantur ostendere.
Ego vero non dubito inquam quin facile possis. Nec est
quod te pudeat sapienti assentiri qui se unus quod
sciam sapientem profiteri sit ausus. Nam metrodorum
non putant ipsum professum sed cum appellaretur ab epicuro
repudiare tantum beneficium noluisse. Septem autem illi non
suo sed populorum suffragio omnium nominati sunt. Verum
hoc loco sumo verbis his eandem certe vim voluptatis
epicurum nosse quam ceteros. Omnes enim iocundum
motum quo sensus hilaretur greci hedonem latine vo-
luptatem vocant. Quid est igitur inquit quod requiras.
Dicam inquam et quidem discendi causa magis quam quo te

aut Epicurum reprehensum velim. Ego quoque inquit di-
dicerim libentius si quid attuleris quam te reprehenderim.
Tenes ne igitur inquam hieronimus rhodius quid dicat
esse summum bonum quo putet omnia referri oportere.
Teneo inquit finem illi videri nihil dolere. Quid idem
iste de voluptate quid sentit. Negat eam esse inquit
propter se ipsam expetendam. Aliud igitur censet esse gau-
dere aliud non dolere. Et quidem inquit vehementer
errat. Nam ut paulo ante docui augende voluptatis
finis est doloris omnis amotio. Non dolere inquam
istud quam vim habeat postea videro aliam vero vim
voluptatis esse aliam nihil dolendi nisi valde perti-
nax fueris concedas necesse est. Atqui reperies inquit
in hoc quidem pertinacem. Dici enim nihil potest verius.
Est ne queso inquam sitienti in bibendo voluptas. Quis
inquit istud possit negare. Eademne restincta siti. Immo
alio genere. Nam restincta sitis stabilitatem voluptatis
habet. Habet igitur inquit. Illa autem voluptas ipsius
restinctionis in motu est. Cur igitur inquam res tam
dissimiles eodem nomine appellas. Quid pauloante in-
quit dixerim nonne meministi cum omnis dolor detractus
esset variari non augeri voluptatem. Memini vero in-
quam. Sed tu istud dixisti bene latine parum plane. Varietas
enim latinum verbum est idque proprie quidem in disparibus
coloribus dicitur sed transfertur in multa disparia.
Varium poema. varia oratio. varii mores. varia fortuna.
voluptas etiam varia dici solet cum percipitur e multis
dissimilibus rebus dissimiles efficientibus voluptates.
Eam si varietatem diceres intelligerem ut etiam non dicen-
tem te intelligo. Ista varietas que sit non satis perspicio
quod ais cum dolore careamus tum in summa voluptate non
esse. Cum autem vescamur hiis rebus que dulcem motum
afferant sensibus tum esse in motu voluptatem sed non
augeri illam non dolendi voluptatem quam cur voluptatem
appellas nescio. An potest inquit ille quicquam esse suavius
quam nihil dolere. Immo sit sane nihil melius inquam
nondum enim id quero. Num propterea idem voluptas est
quod ut ita dicam indolentia. Plane idem inquit et
maxima quidem qua fieri nulla maior potest. Quid
dubitas igitur inquam summo bono a te ita constituto ut id
totum in non dolendo sit id tenere unum id tueri id defende-

Illud enim nature est tamen metuendum in matronarum cetu
sit voluptate in virtutum concilium adducta Sed tamen dicitur
invidiosum nomen est infamie subiectum Itaque hoc fre-
quenter dici solet a vobis non intelligere nos quam
dicat Epicurus voluptatem quod quidem mihi si quando
dictum est (est autem dictum non parum) sepe et si satis
clemens sum in disputando tamen interdum soleo subirasci
Ego ne non intelligo quid sit hedone grece latine
voluptas Utrum tandem linguam nescio Deinde quid
sit ut ego nesciam sciant omnes quicumque epicurei esse
voluerunt Quod nostri quidem vel optime disputant
nihil opus esse eum qui philosophus futurus sit scire litteras Ita-
que ut maiores nostri ab aratro adduxerunt Cincinnatum
illum ut dictator esset sic vos de pelagis omnibus col-
ligitis bonos illos quidem mores sed certe non pereru-
ditos Ergo illi intelligunt quid Epicurus dicat ego non
intelligo Ut scias me intelligere primum idem esse volu-
ptatem dico quod ille hedonem et quidem sepe querimus
verbum latinum parem greco et quod idem valeat hic nihil
fuit quod quereremus Nullum inveniri potest quod magis idem
declarat latine quod grece quam declarat voluptas Huic
verbo omnes qui ubique sunt qui latine sciunt duas res subici-
unt leticiam in animo commocionem suavem iocunditatis in cor-
pore Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi leticiam
nimiam dicit eandem quam ille Cecilianus qui omnibus
leticiis letum esse narrat Sed hoc interest quod voluptas
dicitur etiam in animo viciosa res ut stoici putant qui
eam sic diffiniunt Sublacionem animi sine racione opinan-
tis se magno bono frui Non dicitur leticia nec gaudium
in corpore meo autem voluptas omnium latine loquencium
more ponitur cum percipitur ea que sensum aliquem moveat
et iocunditas Hanc quoque iocunditatem si vis transferre
in animo Iuvare enim in utroque dicitur ex eo quod iocun-
dum modo intelligas inter illum qui dicat tanta leticia
auctus sum ut nihil constet et eum qui nunc demum
mihi animus ardet quorum alter leticia gestiat alter do-
lore crucietur esse illud medium quamquam hec inter nos
noticia admodum est qui nec letetur nec angatur Ite-
que inter eum qui potiatur corporis expetitis volup-
tatibus et qui crucietur summis doloribus esse eum qui
utroque careat Satis ne igitur videor vim verborum tenere

An sum etiam nunc vel grece loqui vel latine docendus
Et tamen vide ne si ego non intelligam quid epicurus
loquatur cum grece ut videor luculenter sciam sit ali-
qua culpa eius qui ita loquatur ut non intelligatur
Quod duobus modis sine reprehensione fit si aut hy
de industria facias ut heraclitus cognomento qui scotinus
perhibetur quia de natura nimis obscure memoravit aut cum
rerum obscuritas non verborum facit ut non intelligatur oratio
qualis est in thimeo platonis Epicurus autem ut opinor
nec non vult si possit plane et aperte loqui nec de re
obscura ut phisici aut artificiosa aut mathematici sed
de illustri et facili etiam in vulgus pervulgata loquitur
Quamquam non negatis nos intelligere quid sit voluptas
sed quid ille dicat E quo efficitur non ut nos non intelli-
gamus que vis sit istius verbi sed ut ille suo more lo-
quatur nostrum negligat Si enim idem dicat quod hiero-
nimus qui censet summum bonum esse sine ulla molestia
vivere cur mavult dicere voluptatem quam vacuitatem
doloris ut ille facit qui quid dicat intelligit Sin autem
voluptatem putat dicit adiungendam illam que in mo-
tu sit Sic enim appellat hanc dulcem in motu illam
nihil dolentis in stabilitate Quid tendit cum efficere
non possit ut cuiquam qui ipse notus sibi sit hoc est
qui suam naturam sensumque perspexerit vacuitas do-
loris et voluptas eadem esse videantur hoc est vim af-
ferre torquate sensibus extorquere ex animis cognitiones
verborum quibus imbuti sumus Quis enim est qui non
videat hec esse in natura rerum tria unum cum in voluptate
sumus alterum cum in dolore tertium hoc in quo nunc quidem
sumus Credo quidem vos nec in dolore nec in voluptate
ut in voluptate sit qui epuletur in dolore qui torqueatur
Tu autem inter hec tantam multitudinem hominum interiectam non vides
nec letantium nec dolentium Non prorsus inquit omnesque
qui sine dolore sint in voluptate et ea quidem summa
esse Dicis ergo in eadem voluptate eum qui alteri misceat
mulsum ipse non sitiens et eum qui sitiens illud bibat
Tum ille finem inquit interrogandi si videtur quod quidem
ego a principio ita me malle dixeram hoc ipsum provi-
dens dialecticas captiones Rethorice igitur inquam nos
mavis quam dialectice disputare Quasi vero inquit per-
petua oratio rethorum solum non etiam philosophorum sit Zenonis

est in qua hec posita omnem vim loquendi ut iam ante
Arestoteles in duas tributa esse partes. Dicendi Rethoricam
palme dialecticam pugni similem esse dicebat quod latius
loquerentur rethores dialectici autem compressius Obsequar
igitur voluntati tue dicamque si potero rhetorice sed hac
rethorica philosophorum non nostra illa forensi quam necesse est cum
populariter loquatur esse interdum paulo hebetiorem
Sed dum dialecticam torquate contemnit epicurus que una
continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit scientiam
et iudicandi quale quid sit et ratione ac via dispu-
tandi ruit in dicendo ut mihi quidem videtur nec ea
que docet vult ulla arte distingui ut hec ipsa que modo
loquebamur summum a nobis bonum voluptas dicitur ape-
riendum igitur quid sit voluptas aliter enim explicari quod
queritur non potest quam si explicavisset non tam hesitaret
aliter enim eam voluptatem tueretur quam Aristippus id est
qua sensus dulciter ac iocunde movetur quam etiam pecu-
des si loqui possent appellarent voluptatem aut si ma-
gis placeret suo more loqui quam ut omnes Danai atque
micenenses attica pubes reliquique greci qui hoc
anapesto citantur hoc non dolere solum voluptatis
nomine appellaret illam aristippeam contemneret aut si utrum-
que probaret ut probat coniungeret doloris vacuitatem cum
voluptate et duobus ultimis uteretur Multi enim et
magni philozophi hec ultima bonorum iuncta fecerunt
ut arestoteles qui virtutis usum cum vite perfecte pro-
speritate coniunxit Calipho adiunxit ad honestatem vo-
luptatem Diodorus ad eandem honestatem addidit vacu-
itatem doloris Idem fecisset epicurus si sententiam hanc que
nunc hieronimi est coniunxisset cum aristippi veteri sententia
Illi enim inter se dissentiunt propterea singulis finibus utuntur et
cum uterque grece egregie loquatur nec aristippus qui
voluptatem summum bonum dicit in voluptate ponit non dolere
neque hieronimus qui summum bonum statuit non dolere vo-
luptatis nomine umquam utitur pro illa indolencia quippe
qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem
Due enim sunt res quoque ne tu verba solum putes Unum
est sine dolore esse alterum cum voluptate vos ex his tam
dissimilibus rebus non modo nomen unum nam id
facilius paterer sed etiam rem unam ex duobus facere
conamini quod fieri nullo modo potest hec qui utrumque probat am-

labus debuit uti sicut facit rem que tamen dividit vis
tu in ipsam eam voluptatem que eodem modo nos appellamus
laudat locis plurimis audet dicere ne suspicari quidem se
ullum bonum seiunctum ab illo aristippeo genere voluptatis
quamquam ibi hoc dicat ubi omnis eius est oratio de summo bono In
alio vero libro in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis
quasi oracula edidisse sapientie dicitur scribit his verbis que
nota tibi profecto torquate sunt Quis enim vestrum non
edidicit epicuri cyrias doxas id est maxime ratas
quia gravissime sunt ad beate vivendum breviter enuntiate se
ntentie Animadverte igitur recte ne hanc sententiam interpreter
Si ea que sunt luxuriosis efficientia voluptatum liberarent
eos deorum et mortis et doloris metu docerentque qui essent
fines cupiditatum nichil haberemus quod reprehenderemus cum undique complerentur
voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens
aut egrum id est aut malum hoc loco tenere se triarius
non potuit Obsecro inquit torquate hec dicit epicurus
quod michi quidem visus est cum sciret velle tamen confitentem
audire torquatum At ille non pertimuit saneque diffidenter
istis quidem ipsis verbis inquit Sed quid sentiat non vi
detis Si alia sentit inquam alia loquitur numquam intelligam
Idque si ita dicit non esse reprehendendos luxuriosos si sapientes
sint dicit absurde similiter et si dicat non reprehendendos
parricidas si nec cupidi sint nec deos metuant nec mor
tem nec dolorem Et tamen quid attinet luxuriosis ul
lam exceptionem dari aut fingere aliquos qui cum luxuriose
viverent a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat
cetera caverent Sed tu nonne reprehenderes epicure luxuriosos
ob eam ipsam causam quod ita viverent ut persequerentur cuius
que modi voluptates cum esset presertim ut ais tu summa vo
luptas nichil dolere At qui reperiemus asotos primum
ita non religiosos ut edant de patella deinde ita mor
tem non timentes ut illud in ore habeant ut ex hymnide
michi sex menses satis sunt vite septimum orco spondeo
Iam doloris medicamenta illa epicurea tamquam de narthecio
proment si gravis brevis si longus levis Unum nescio quo
possit si luxuriosus sit finitas cupiditates habere Quid ergo
attinet dicere nichil haberem quod reprehenderem si finitas
cupiditates haberent hoc est dicere non reprehenderem aso
tos si non essent asoti Isto modo ne improbos quidem
si essent viri boni Hic homo severus luxuriam ipsam

scipionem reprehendenda non putat Et hercule torquate ut
verum loquamur si summum bonum voluptas est rectissime
non putat Nolo enim mihi fingere assotos ut soletis qui
in mensam vomant et qui de conviviis auferantur cru-
dique postridie se ingurgitent qui solem ut aiunt nec oc-
cidentem umquam viderit nec oriente qui consumptis patrimo-
niis egeant Nemo nostrum istius generis assotos iocunde
putat vivere mundos elegantes optimis cocis pistoribus
piscatu aucupio venatore his omnibus exquisitis in tantis
crudelitate quibus vinum diffusum e pleno sit hirsipho
ut ait Lucilius cui nihil dempsit vis et sacculos abstu-
lerit vel adhibentes ludos et que sequuntur illa quibus detractis
clamat Epicurus se nescire quid sit bonum Adsint etiam for-
mosi pueri qui ministrent Respondeant his vestis argentum
Corinthium locus ipse edificium hos assotos bene quidem vivere
aut beate numquam dixerim Ex quo efficitur non ut voluptas
ne sit voluptas sed ut voluptas non sit summum bonum Nec
ille qui Diogenem stoicum adolescens post autem Panetium
audierat Lelius eo dictus est sapiens quod non intellige-
ret quod suavissimum esset Nec enim sequitur ut cui cor sapi-
at ei non sapiat palatus sed quia parvi id duceret
O lapathe ut iactare non es satis cognitu qui sis in quo
cognitu Lelius clamores sophos ille solebat edere com-
pellans gumias ex ordine nostros Preclare Lelius et
recte sophos illudque vere o publi o gurges galloni
es homo miser inquit cenasti in vita numquam bene cum omnia
in isto consumis squilla atque acupensere cum decimano
Is hec loquitur qui in voluptate nihil ponens negat eum
bene cenare qui omnia ponit in voluptate et tamen non negat
libenter umquam cenasse Gallonium mentiretur enim
sed bene Ita graviter et severe voluptatem secernit a bo-
no Ex quo illud efficitur qui bene cenent omnes libenter cenare
qui libenter cenent non continuo bene Semper Lelius bene
quid bene dicet Lucilius cocto condito sed cedo caput cene
sermone bono quid ex eo si si quaeris libenter Veniebat
enim ad cenam ut animo quieto satiaret desideria nature Recte
ergo is negat umquam bene cenasse Gallonium recte miserum
cum presertim in eo omne studium consumeret quem libenter cenasse
nemo negat Cur igitur non bene quia quod bene id recte fru-
galiter honeste ille porro male prave nequiter turpiter
cenabat Non igitur nec lapathi suavitatem acupenseri ete ali-

eo Gallonio Lelius anteponebat quod non faceret si in voluptate summum bonum poneret. Removenda est igitur voluptas non solum ut recte sequamur sed etiam ut loqui deceat frugaliter. Possumus ne ergo in vita summum bonum dicere cum id ne in cena quidem posse videamur? Quomodo autem philosophus loquitur tria genera cupiditatum naturales et necessarias naturales non necessarias nec naturales nec necessarias. Primum divisit ineleganter duo enim genera que erant fecit tria hoc est non dividere sed frangere rem. Qui si diceret cupiditatum esse duo genera naturales et inanes naturalium item duo necessarias et non necessarias confecta res esset. Viciosum est enim in dividendo partem in genere numerare. Sed hoc sane concedamus. Contemnit enim disserendi elegantiam confuse loquitur. Gerendus est mos modo recte sentiat. Et quidem ego non nimium probo et tamen patior philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis enim est in quo sit cupiditas quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit sed finite et adulter verum habebit modum et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est que non interitum afferat pravitatis sed sit contenta mediocritate viciorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo elegantiam desidero. Appellet hec desideria nature cupiditatis nomen servet alio ut eam cum de avaricia cum de intemperantia cum de maximis viciis loquitur tamquam capitis accuset. Sed hec quidem liberius ab eo dicuntur et sepius quod equidem non reprehendo est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere. Sed tamen ex eo quod eam voluptatem quam omnes gentes hoc nomine appellant videtur amplexari sepe vehementius in magnis interdum versatur angustiis ut hominum consciencia remota nihil tam turpe sit quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde ubi erubuit vis enim est permagna nature confugit illuc ut neget accedere quicquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro inquit de nomine. Quid quod res alia tota est? Reperiam multos vel innumerabiles potius non tam curiosos nec tam molestos quam vos estis quibus quidquid velim facile persuadeam. Quid ergo dubitamus quin si non dolere voluptas sit summa non esse in voluptate dolor sit maximus? Cur id non ita fit? Quia dolori non voluptas contraria est sed doloris privatio. Hoc vero non videre maximo argumento esse voluptatem illam qua sublata neget se intelligere

omnino quid sit bonum. Eam autem ita persequitur que palato
percipiatur que auribus ceteram addit que si appelles ho-
nos presfandus sit. Hoc igitur quod solum bonum severus
et gravis philosophus novit idem non videt ne expetendum quidem
esse quod eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus
cum dolore careamus. Quam hec sunt contraria hic si diffinire
vel dividere didicisset si loquendi vim si denique consue-
tudinem verborum teneret numquam in tantas salebras incidisset.
Nunc vides quid faciat quam nemo umquam voluptatem appellavit
et hanc in motu voluptatem que duo sunt unum facit.
Sic enim has suaves et quasi dulces voluptates
appellat. Interdum ita extenuat ut M. Curium putes lo-
qui interdum ita laudat ut quid preterea sit bonum neget se
posse ne suspicari quidem. Que iam oratio non a philozopho
aliquo sed a censore opprimenda est. Non est enim vicium
in oratione solum sed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit
modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc loco
discipulos querere videtur ut qui assoti esse velint philo-
zophi ante fiant. A primo ut opinor animantium ortu pe-
titur origo summi boni. Simul atque natum animal est gaudet vo-
luptate et eam appetit ut bonum aspernatur dolorem ut ma-
lum. De malis autem et bonis ab hiis animalibus que non-
dum depravata sint ait optime iudicari. Hec et tu ita po-
suisti et verba vestra sunt. Quam multa viciosa. Summum enim bo-
num et malum vagiens puer utra voluptate diiudica-
bit stante an movente. Quoniam si diis placet ab Epicuro
loqui discimus. Si stante hoc natura videlicet vult salvam esse
se quod concedimus. Si movente quod tamen dicitis nulla
turpis voluptas erit que pretermittenda sit et simul non proficis-
citur animal illud modo natum a summa voluptate que est a te
posita in non dolendo. Nec tamen argumentum hoc Epicu-
rus a parvis petivit aut etiam a bestiis que putat esse
specula nature ut diceret ab hiis duce natura hanc voluptatem
expeti nihil dolendi. Neque enim hec movere potest appetitum
animi nec ullum habet ictum quo pellat animum status
hic non dolendi. Itaque in hoc eodem peccat Hieronimus.
At ille pellit qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus
semper hoc utitur ut probet voluptatem natura expeti quod ea
voluptas que in motu sit et parvos ad se alliciat et
bestias non illa stabilis in qua tantum inest nihil dolere. Qui
igitur convenit ab alia voluptate dicere naturam proficisci in alia

summum bonum ponere. Depravari vero nullo iudicio puto. Quam-
vis enim depravate non sint, prave esse tamen possunt, ut bacil-
lum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud
ita natum. Sic ferarum natura non est illa quidem depra-
vata mala disciplina sed natura sua. Nec vero ut vo-
luptatem expetat natura movet infantem, sed tantum ut se ipse
diligat, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal simul
ut ortum est et se ipsum et omnes partes suas diligit, duasque
maxime sunt amplectitur, animum et corpus, deinde utriusque
partes. Nam sunt in animo precipua quedam et in corpore,
que cum leviter agnovit, tunc discernere incipit, ut ea que
primo data sunt natura appetat asperneturque contraria. In his
primis naturalibus voluptas insit necne magna questio
est. Nihil vero putare esse preter voluptatem, non membra,
non sensus, non ingenii motum, non integritatem corpo-
ris, non valetudinem, summe mihi videtur inscitie. Atque ab isto
capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et ma-
lorum. Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt
que paulo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum aca-
demicorum et peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum
naturam vivere, id est virtute adhibita frui primis a natura da-
tis. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem, Dio-
dorus vacuitatem doloris. His omnibus quos dixi consequentes
sunt fines bonorum: Aristippo simplex voluptas, Stoicis
consentire nature, quod esse volunt e virtute, id est ho-
neste vivere cum intelligentia rerum earum que natura e-
venirent, eligere ea que essent secundum naturam reicienteque
contraria. Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus
Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius;
tres in quibus honestas cum aliqua accessione, Pole-
monis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auc-
tor, posita in decore tota, id est honestate. Nam Pyrrho,
Aristo, Herillus iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt,
ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hie-
ronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus
extremum esset. Epicurus autem cum in prima commendatione vo-
luptatem dixisset, si eam quam Aristippus, idem tenere debuit
ultimum bonorum quod ille; si eam quam Hieronymus, fecisset
idem, ut voluptatem illam Aristippi in prima commendatione pone-
ret. Nam quod ait sensibus ipsis iudicari voluptatem bonum
esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus quam nobis leges

permittit probatum et litium iudicat summum. Nichil non pos-
sum iudicare nisi quod nostri iudicium in quo fecisti iudices
soleat cum sumas premiat adde si quid mei iudicium est Si-
n non fuit eorum iudicium iudicium nihilo magis hoc non addi-
to illud est iudicium quod iudicant sensus dulce amarum
leve asperum prope longe stare moveri quadratum rotun-
dum. Quam iste pervertant sententiam ratio adhibita
primum humanarum divinarumque rerum scientia que potest ap-
pellari vite sapientia. Deinde adiunctis virtutibus quas
ratio rerum scientiarum omnium dominas in voluptatum satelli-
tes et ministras esse voluisti quarum adeo omnium sententia pro-
nuntiabit primum de voluptate nichil esse ei loci non
modo ut sola ponatur in summum bonum sede qua querimus
sed ne illo quidem ut ad honestatem adiungatur de vacui-
tate doloris eadem sententia est. Reicietur etiam et carnea-
des nec illa de summo bono ratio aut voluptatis et
non dolendi nec precepts aut voluptatis experetis probabitur
Ita relinquentur due de quibus etiam atque etiam consideret.
Aut enim statuet nihil esse bonum nisi honestum nihil ma-
lum nisi turpe cetera aut omnino nihil habere momenti aut
tantum ut nec expetenda nec fugienda sed digenda modo
aut reicienda sint aut anteponet ea quam cum hone-
state ornatissimam tum etiam ipsis initiis nature et totius
perfectione in te locupletatam videbit quod eo loquitur dilucidius
faciat si perspexerit rerum inter eas verborumne sit con-
troversia. Huius ego nunc auctoritatem sequens idem faciam.
Quamvis enim potero minuam contentiones omnesque simplices
sententias eorum in quibus nulla est virtutis adiunctio
omnino a philosophia semovendas puto. Primum Aristippi Cyre-
naicorumque omnium quos non est veritum in ea voluptate
que maxima dulcedine sensum moveret summum bonum ponere
contemnentes istam vacuitatem doloris. Hii non viderunt
ut ad cursum equum ad arandum bovem ad indagandum
canem sic hominem ad duas res ut ait Aristoteles in-
telligendum et agendum esse natum quasi mortalem deum.
Contraque ut tardam aliquam et languidam pecudem
ad pastum et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal
ortum esse voluerunt quo nihil mihi videtur absurdius.
Atque hoc contra Aristippum qui eam voluptatem non modo
summam sed solam etiam ducit quam omnes unam appellamus
voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille ut dixi

vitiose. Hec enim figura corporis nec ratio excellens ingenii
humani significat ad hanc unam rem natum hominem ut fru-
eretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus cui summum
bonum est idem quod vos interdum vel potius nimium sepe di-
citis nihil dolere. Non enim si malum dolor carere eo malo
satis est ad bene vivendum. Hoc diceret potius Ennius nimium
boni est cui nihil est mali. Nos beatam vitam non depulsione
mali sed adeptione boni iudicemus nec eam cessando sive
gaudendo ut Aristippus sive non dolendo ut hic sed a-
gendo aliquid considerandove queramus. Que possunt eadem
contra Carneadem illud summum bonum dici quod is non tam
ut probaret protulit quam ut Stoicis quibus cum bellum
gerebat opponeret. Id autem eiusmodi est ut additum ad
virtutem auctoritatem videatur habiturum expleturumque cumu-
late vitam beatam de quo omnis hec questio est. Nam qui ad vir-
tutem adiungunt vel voluptatem quam unam virtus minimi
facit vel vacuitatem doloris que etiam si malo caret tamen
non est summum bonum accessione utuntur non ita probabi-
li nec tamen cur id tam parce tamque restricte faciant in-
telligo. Quasi enim emendum sit quod addant ad virtutem
primum vilissimas res addunt deinde singulas potius quam
omnia que prima natura approbavisset ea cum voluptate coniunge-
rent. Que cum Aristoni et Pirrhoni omnino visa sunt pro
nichilo ut inter optime valere et gravissime egrotare nihil
prorsus dicerent interesse recte iam pridem contra eos de-
situm est disputare. Dum enim in una virtute sic omnia
esse voluerunt ut eam rerum selectione expoliaret
nec ei quicquam aut unde oriretur daret aut ubi ni-
teretur virtutem ipsam quam amplexabantur sustulerunt.
Herillus autem ad scientiam omnia revocans unum quoddam
bonum vidit sed nec optimum nec quo vita gubernari possit.
Itaque hic ipse iampridem est reiectus. Post enim Chrisip-
pum non sane est disputatum. Restamus igitur nos. Nam
cum academicis incerta luctatio est qui nihil affirmant
et quasi desperata cognitione certi id sequi volunt quod-
cumque verisimile videatur. Cum Epicuro autem hoc plus e
negotii quod est duplici genere voluptatis coniunctus est
quodque et ipse et amici eius et multi postea defen-
sores eius sententie fuerunt. Et nescio quomodo qui au-
ctoritatem ~~minimam~~ minimam habet maximam vim populus
cum illis facit quos nisi redarguimus omnis virtus omne decus

omne vite laus desideranda est Ita ceterorum sententiis se-
motis relinquitur non mihi cum torquato sed virtuti ad
voluptatem certacio quam quidem certacionem homo et acutus
et diligens crisippus non contempnit . totumque discrimen sum-
mi boni in earum comparacione positum putat Ego autem
existimo si honestum esse aliquid ostendero quod sit
ipsum vi sua propter seque expetendum iacere vestra omnia ita-
que eo quale sit breviter ut tempus postulat constituto acce-
dam ad omnia tua torquate nisi memoria forte defe-
cerit tamen est ut suggeras Honestum igitur id intelligimus
quod tale est ut detracta omni utilitate sine ullis pre-
miis fructibus ue per se ipsum possit iure laudari quod
quale sit non tam diffinitione qua sum usus intelligi potest
quamquam aliquantum potest quam communi omnium iudicio
et optimi cuiusque studiis atque factis . qui permulta ob eam
ipsam causam misericordia faciunt quia decet quia re-
ctum quia honestum est et si nullum consecuturum emo-
lumentum vident homines enim et si multis aliis tamen hoc
uno a bestiis plurimum differunt quod racionem habeant
a natura mentem datam et acrem et vigentem celerri-
meque multa simul agitantem et ut ita dicam sagacem que
et causas rerum et consequentes videat et similitudines
transferat et disiuncta coniungat et cum presentibus futura
copulet omnemque complectatur vite consequentis statum
eademque racio fecit hominem hominum appetentem cumque
his natura et sermone et usu congruentem et profectus a
caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se
implicet primum civium deinde omnium mortalium societate
atque ut ad archytam scripsit plato non sibi se soli natum
meminerit sed patrie sed suis ut perexigua pars ip-
si relinquatur Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit
hominum veri inveniendi quod facillime apparet cum
vacui curis etiam quid in celo fiat scire avemus
his initiis inducti omnia vera diligimus id est fide-
lia simplicia constantia tum vana falsa fallencia
odimus ut fraudem per iurium maliciam iniuriam
Eadem racio habet in se quiddam amplum atque magnifi-
cum ad imperandum magis quam ad parendum accom-
modatum omnia humana non tollerabilia solum sed etiam
levia ducens . altum quoddam excelsum nichil timens ne-
mini cedens semper invictum Atque his tribus generibus

honestorum notavit quartum sequitur et in eadem pulchritudine et
aptum ex illis tribus in quo est ordo et moderatio cuius simi-
litudine perspecta in formarum specie a dignitate transitum est ad
honestatem dictorum atque factorum Nam ex his tribus lau-
dibus quas ante dixi et temeritatem reformidat et non
audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere vereturque
quicquam aut facere aut eloqui quod parum virile vi-
deatur Habes undique expletam et perfectam torquate for-
mam honestatis que tota his quattuor virtutibus que
a te quoque commemorate sunt continetur Hanc se tuus e-
picurus omnino ignorare dicit quam aut qualem esse
velint qui honestate summum bonum metiantur Si enim
ad honestatem omnia referant neque in ea voluptatem
dicunt inesse ait eos inani voce sonare his enim ipsis
verbis utitur neque intelligere neque videre sub hac voce ho-
nestatis que sit subicienda sententia Ut enim consuetudo loquitur
id solum dicitur honestum quod est populari fama gloriosum
quod inquit quamquam voluptatibus quibusdam est sepe
iocundius tamen expetitur propter voluptatem Videsne quam
sit magna dissensio Philosophus nobilis a quo non solum
grecia et italia sed etiam omnis barbaria commota est
honestum quod sit id non est in voluptate negat se
intelligere nisi forte aliud quod multitudinis rumore lau-
detur Ego autem hoc etiam turpe esse sepe iudico et
si quando turpe non sit tum non esse non turpe
cum id a multitudine laudetur Quod sit ipsum per se rectum atque
laudabile non ob eam causam tamen illud dici honestum esse quia
laudetur a multis sed quia tale sit ut etsi ignorarent
id homines vel si obmutuissent pulchritudine sua tamen esset
specieque laudabile Itaque idem natura victus cui obsisti non
potest dicit alio loco id quod a te etiam paulo ante dictum
est non posse iocunde vivi nisi etiam honeste Quid
nunc honeste dicit idem ne quod iocunde Ergo ita
non posse honeste vivi nisi honeste vivatur an nisi
populari fama Sine ea igitur iocunde negat pos-
se vivere Quid turpius quam sapientis vitam ex insipi-
entium sermone pendere Quid ergo hoc loco intelligit
honestum Certe nihil nisi quod possit ipsum propter se iure
laudari Nam si propter voluptatem que est ista laus que
possit e macello peti Non is vir est ut cum hone-
state eo loco habeat ut sine ea neget iocunde posse

vivi illud honestum quod populare sit sentiat et sine ea
iucunde neget posse vivi. Aut quid aliud honestum
intelligat nisi quod sit tale ipsum per se ut sua vi sua
natura sua et sponte laudabile. Itaque torquate cum diceres
clamare epicurum non posse iucunde vivi nisi honeste
et sapienter et iuste viveretur tu ipse mihi gloriari vide-
bare tanta vis inerat in verbis propter earum rerum que
significabantur his verbis dignitatem ut altior fieres ut nunc
insisteres ut nos intuens quasi testificarere laudari hone-
statem et iustitiam aliquando ab epicuro. Quam te dece-
bat hiis verbis uti quibus si philosophi non uterentur philosophia omnino
non egeremus. Istorum enim verborum amore que perraro ap-
pellantur ab epicuro sapientie fortitudinis iustitie temperantie pre-
stantissimis ingeniis homines se ad philosophie studium contule-
runt. Oculorum inquit plato est in nobis sensus acerrimus
quibus sapientiam non cernimus quam illa ardentes amores ex-
citaret sui si videretur. Cur tandem an quod ita callida
est ut optime possit architectari voluptates. Cur iustitia
laudatur an unde est hoc contritum vetustate proverbium
quicum in tenebris hoc dicitur in una re latissime patet
ut in omnibus factis re non teste moveamur. Sunt enim
levia et perinfirma que dicebantur a te animi consci-
entia improbos excruciari tum etiam pene timore qua aut
afficiantur aut semper sint in metu ne afficiantur aliquando. Non
oportet timidum aut imbecillo animo fingi non bonum
illum virum qui quicquid fecerit ipse se cruciet omniaque formidet
sed callide omnia referentem ad utilitatem acutum versutum
veteratorem facile ut excogitet quo occulte sine teste
sine ullo conscio fallat. An tu me de L. tubulo
putas dicere qui cum pretor questionem inter sicarios ex-
ercuisset ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam
ut anno proximo P. scevola tribunus plebis ferret ad plebem
vellent ne de ea re queri quo plebiscito decreta
a senatu est consuli questio Cn. cepioni profectus in exi-
lium tubulus statim nec respondere ausus. Erat enim
res aperta. Non igitur de improbo sed callido impro-
bo querimus qualis Q. pompeius in federe numantino
infitiando fuit. Nec vero omnia timente sed primum qui
animi conscientiam non curet quam scilicet comprimere nihil est
negotii. Is enim qui occultus et tectus dicitur tantum abest
ut se indicet perficiet etiam ut dolere alterius improbe facto videatur

Quid n est aliud esse versutum Memini me adesse P. Sexti-
lio Ruffo cum is rem ad amicos ita defferat se esse
heredem q fabio gallo. cuius in testamento scriptum esset
se ab eo rogatum ut omnis hereditas ad filiam perueniret. Id
Sextilius factum negabat poterat aut impune quis
n redargueret Nemo nostrum negabat eratque verisimilius hunc
mentiri cuius interesset quam illum qui id se rogasse scripsis-
set quod debuisset rogare Addebat etiam se in lege vo-
coniam iuratum contra eam facere non audere nisi aliter
amicis videretur Aderamus nos quidem adolescentes sed e-
tiam multi amplissimi viri quorum nemo censuit plus
fadie dandum quam posset ad eam lege voconia perue-
nire Tenuit permagnam Sextilius hereditatem Unde
si secutus esset eorum sententiam qui honesta et recta emo-
lumentis omnibus et commodis anteponerent ne nummum quidem
vnum attigisset Num igitur postea censes anxio animo aut
sollicito fuisse nihil minus Contraque illa hereditate dives ob
eamque rem letus Magni enim estimabat non modo non
contra leges sed etiam legibus partam que quidem vel cum peri-
culo est querenda nobis est enim effectrix multarum et magnarum
voluptatum Ut igitur illis qui recta et honesta que sunt
ea statuunt per se expetenda adeunda sunt quevis pericula
decoris honestatisque causa sic vestris qui omnia voluptate
metiuntur pericula adeunda sunt ut adipiscantur magnas
voluptates Si magna res magna hereditas agetur cum pecunia
voluptates pariantur plurime Idem erit epicuro vestro
faciendum si suum finem bonorum sequi volet quod scipioni
magna gloria proposita si hannibalem in affricam retraxisset.
Itaque quantum adiit periculum ad honestatem enim
ille omnem conatum suum referebat non ad voluptatem
Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus
cum causa si opus fuerit dimicabit Occultum facinus esse
potuerit gaudebit Deprehensus omnem penam contemnet
Erit enim instructus ad mortem contemnendam ad exilium
ad ipsum etiam dolorem quem quidem vos cum improbis penam
proponitis impetibilem facitis cum sapientem semper boni plus
habere vultis tollerabilem Sed finge non solum callidum
eum qui aliquid improbe faciat verum etiam prepotentem ut M.
crassus fuit qui tamen solebat uti suo bono ut hodie
est noster pompeius cui recte facienti gratia est habenda
esse enim quam vellet iniquus iustus poterat impune

Quam multa vero iniuste fieri possunt que nemo possit
reprehendere Si te amicus tuus moriens rogaverit ut
hereditatem reddas sue filie nec usquam id scripserit ut scrip-
sit fadius nec cuiquam dixerit quid facies tu quidem
reddes ipse epicurus fortasse redderet ut sex. pe. duceus
Sex. f. is qui hunc nostrum reliquit effigiem et humanitatis
et probitatis sue filium tum doctus tum omnium vir optimus
et iustissimus cum sciret nemo eum rogatum a c. plotio
equite romano splendido nursino venit ad mulierem venit
eique nihil opinanti viri mandatum exposuit here-
ditatemque reddidit Sed ego ex te quero quoniam idem tu certe
fecisses nonne intelligis eo maiorem vim esse nature
quod ipsi vos qui omnia ad vestrum commodum et ut ipsi dici-
tis ad voluptatem referatis tamen ea faciatis e quibus ap-
pareat non voluptatem vos sed officium sequi plusque
rectam naturam quam rationem pravam valere Si scieris
inquit carneades aspidem occulte latere uspiam et vel-
le imprudentem super eam assidere cuius mors emolumen-
tum tibi futura sit improbe feceris nisi monueris ne assi-
deat sed impunite tamen scisse enim te quis con-
arguere possit Sed nimis multa perspicuum est enim nisi
equitas fides iustitia proficiscantur a natura et si omnia hec
ad utilitatem referantur virum bonum non posse reperiri
Sed de iis rebus satis multa in nostris de rep. sunt dicta
a lelio Transfer idem ad modestiam vel temperantiam que
moderatio est cupiditatum rationi obediens Satisne ergo
pudori consulat si quis sine teste libidini pareat An
est aliquid per se ipsum flagitiosum etiam si nulla comitetur
infamia Quid fortes viri voluptatumne calculis sub-
ductis prelium ineunt Utrum tandem censes torquate
imperiosum illum si nostra verba audiret tuam ne de se oratio-
nem libentius auditurum fuisse an meam cum ego dicerem
nihil eum fecisse sua causa omniaque rei p. tu contra nihil nisi sua
Si vero id etiam explanare velles apertius diceres nihil
eum fecisse nisi voluptatis causa Quo modo eum tandem laturum
fuisse existimas Esto fecerit si ita vis torquatus propter su-
as utilitates malo enim dicere quam voluptates in tanto
presertim viro Num etiam eius collega p. decius princeps
in ea familia consulatus cum se devoveret et equo admis-
so in mediam aciem latinorum irruebat aliquid de su-
is voluptatibus cogitabat Ubi ut eam caperet aut quando

cum sciret confestim esse moriendum eamque mortem ardentiore
studio peteret quam epicurus voluptatem petendam putat. Quod
quidem eius factum nisi esset iure laudatum non esset imi-
tatus quarto consulatu suo filius. Neque porro ex eo
natus cum pyrrho bellum gerens consul cecidisset in proelio
seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. Conti-
neo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est leonidas e-
paminondas tres aliqui aut quattuor ego si nostros
colligere coepero perficiam illud quidem ut se virtuti tradat con-
stringenda voluptas sed dies me deficiet et ut a. varius
qui est habitus iudex durior dicere consessori so-
lebat cum datis testibus alii tamen citarentur aut hoc testium satis est
aut nescio quid satis sit sic a me satis testium est datum.
Quid enim te torquate dignissimum maioribus tuis voluptasne
induxit ut adolescentulus eriperes P. sille consulatum
quem cum ad patrem tuum rettulisses fortissimum virum qualis
ille vel consul vel civis cum semper tum post consulatum fuit
quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus ut omnibus potius
quam ipsis nobis consuluerimus. At quam pulchre dicere videbare
cum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et
maximis voluptatibus nullo nec praesenti nec futuro dolore ex al-
tera autem cruciatibus maximis toto corpore nulla nec adiuncta
nec sperata voluptate et quaerebas quis aut hoc miserior
aut superiore illo beatior foret. Deinde concludebas sum-
mum malum esse dolorem summum bonum voluptatem. L. torquatus balbus
fuit lanuvinus quem meminisse tu non potes. Is ita vi-
vebat ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas
qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum et eius ge-
neris intelligens et copiosus ita non superstitiosus ut
illa plurima in sua patria sacrificia et fana contemneret.
Ita non timidus ad mortem ut in acie sit ob rem publicam
interfectus. Cupiditates non epicuri divisione finiebat
sed sua satietate. Habebat tamen rationem valitudinis utebatur
iis exercitationibus ut ad cenam et sitiens et esuriens veniret
eo cibo qui et suavissimus esset et idem facillimus ad concoquendum
vino et ad voluptatem et ne noceret. Cetera illa adhibebat quibus
demptis negat se epicurus intelligere quid sit bonum. Aberat
omnis dolor qui si adesset nec molliter ferret et tamen me-
dicis plus quam philosophis uteretur. Color egregius integra vali-
tudo summa gratia vita denique conferta voluptatum omnium
varietate. Hunc vos beatum. Ratio quidem vestra sic cogit.

Ego huic quem anteponam non audeo dicere dicet pro
me ipsa virtus nec dubitabit isti vestro beato M. regulum
anteponere quem quidem cum sua voluntate nulla vi coa-
ctus preter fidem quam dederat hosti ex patria carthaginem
revertisset tum ipsum cum vigiliis et fame cruciaretur clamat
virtus beatiorem fuisse quam potantem in rosa thorium bella
magna gesserat bis consul fuerat triumpharat Nec
tamen sua superiora illa tam magna neque tam preclara duce-
bat quam illum ultimum casum quem propter fidem constantiamque sus-
ceperat qui nobis miserabilis videtur audientibus illi per-
petienti erat voluptarius Non enim hilaritate nec lascivia nec
risu aut ioco comite levitatis sed sepe etiam tristes fir-
mitate et constantia sunt beati Stuprata per vim lucre-
tia a regis filio testata cives se ipsa interemit hic
dolor populi romani duce et auctore bruto causa civitati et
libertatis fuit ob eiusque mulieris memoriam primo anno
et vir et pater eius consul est factus Tenuis L.
virginius unusque de multis LX anno post libertatem
receptam virginem filiam sua manu occidit potius quam
ea P. claudii libidini qui tum erat summo imperio dederetur
Aut hec tibi torquate sunt vituperanda aut patrocinium
voluptatis repudiandum Quod autem patrocinium aut
que ista causa est voluptatis que nec testes ullos
e claris viris nec laudatores poterit adhibere Ut enim
nos ex annalium monimentis testes excitamus eos
quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis
qui voluptatis nomen audire non possent sic in vestris
disputationibus historia mutata est Nunquam audi-
vi in epicuri scola licurgum solonem miltiadem themi-
stoclem epaminondam nominari qui in ore sunt cetero-
rum omnium philosophorum Nunc vero quoniam hec nos etiam
tractare cepimus suppeditabit nobis atticus ex thesauris
suis quos et quantos viros habemus testium satis est Nonne
melius est de his aliquid quam tantis voluminibus de
themistocle loqui Sunt ista grecorum quamquam ab his
philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus Sed tamen
est aliud quod nobis non liceat liceat illis Pugnant
stoici cum peripateticis alteri negant quicquam esse bonum nisi
quod honestum sit alteri plurimum se et longe longeque
plurimum tribuere honestati Sed tamen et in corpore et extra
esse quedam bona et certamen honestum et disputatio

splendida omnis est enim de virtutis dignitate contentio At
eum tuus ne dicat nulla sunt audienda etiam de ob-
scenis voluptatibus de quibus ab epicuro sepissime dicitur
Non potes ergo ista tueri torquate mihi crede nisi
si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris Pudebit
inquam illius tabule quam cleantes sane commode verbis
depingere solebat Iubebat eos qui audiebant secum ipsos
cogitare pictam in tabula voluptatem pulcherrimo
vestitu et ornatu regali in solio sedentem presto esse v-
irtutes ut ancillas que nihil aliud agerent nullum suum
officium ducerent nisi ut voluptati ministrarent et eam tantum
ad aurem admonerent si modo id pictura intelligi pos-
set ut caveret nequid perficeret imprudens quod offenderet
animos hominum aut quicquam e quo oriretur aliquis dolor Nos
quidem virtutes sic nate sumus ut tibi serviremus aliud
negotii nihil habemus At negat epicurus hoc enim ve-
strum lumen est quemquam qui honeste non vivat iocunde pos-
se vivere quasi ego id curem quid ille aiat aut ne-
get Illud quero quid ei qui in voluptate summum bonum po-
nit consentaneum sit dicere quid afferes cur torius po-
stumius curtius cur omnium magister oratus non iocun-
dissime vixerit Ipse negat ut ante dixi luxuriosorum
vitam reprehendendam nisi plane fatui sint id est nisi
cupiant aut metuant quarum ambarum rerum cum medicinam
pollicetur luxurie licentiam pollicetur His rebus detractis
negat se reperire in asotorum vita quod reprehendat Non
igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut re-
tinere virtutem Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet
qui ne malum habeat abstineat se ab iniuria Iam cre-
do nemo pius est qui pietatem cavet Cave quicquam
putes esse verius Nec enim dum metuit iustus est et
certe si metuere destiterit non erit Non metuet autem sive
celare poterit sive opibus magnis quicquid fecerit obtinere certeque
mallet existimari bonus vir ut non sit quam esse
ut non putetur Ita quod certissimum est pro vera iusti-
tia simulationem nobis iustitie traditis precipitisque quodam
modo ut nostram stabilem conscientiam contemnamus aliorum
errantem opinionem aucupemur Que dici eadem de ceteris
virtutibus possunt quarum omnium fundamenta nos in voluptate tamquam in
aqua ponitis Quid enim fortem nec possumus dicere eun-
dem illum torquatum Delector enim quamquam te non possum ut

ais corrupte delectatur inquam et familia mea et nomine et
hercule michi vir optimus nostrique amantissimus. A. torquatus
versatur ante oculos. cuius quantum studium et quam
insigne fuit erga me temporibus illis que nota sunt omnibus
scire necesse est utrumque nostrum que michi ipsi qui volo et esse
et haberi gratus grata non essent nisi eum perspicerem mea causa
michi amicum fuisse non sua nisi hoc dicis sua quod
interest omnium recte facere. Si id dicis vicimus. Id enim vo-
lumus id contendimus ut officii fructus sit ipsum officium. Hoc
ille tuus non vult omnibusque ex rebus voluptatem quasi mercedem
exigit. Sed ad illum redeo. Si voluptatis causa cum gallo a-
pud amenem depugnavit provocatus et ex eius spoliis sibi
et torquem et cognomen induit nullam aliam ob causam nisi
quod ei viro talia facta digna videbantur forte non puto
Iam si modestia si pudicitia si uno verbo temperantia pe-
ne aut infamie metu coercebuntur non sanctitate sua se
tuebuntur. Quod adulterium quod stuprum que libido non
se proripiet ac proiciet aut occultatione proposita aut impunita-
te aut licentia. Quid illud torquate quale tandem videtur
te isto nomine ingenio gloria que facis que cogitas que con-
tendis quo referas cuius rei causa perficere que conaris ve-
lis quod optimum denique in vita iudices non audere in con-
ventu dicere. Quid enim mereri velis iam cum magistratum
inieris et contionem ascenderis. Est enim tibi et dicendum
que sis observaturus in iure dicendo et fortasse etiam si tibi
erit visum aliquid de maioribus tuis et de te ipso dices
more maiorum. Quid merearis igitur ut dicas te in eo
magistratu omnia voluptatis causa facturum esse te nichil
fecisse in vita nisi voluptatis causa. An me inquis tam
amentem putes ut apud imperitos isto modo loquar. At
tu eadem ista dic in iudicio aut si coronam times dic in sena-
tu. Numquam facies. Cur nisi quod turpis est oratio. Mene er-
go et triarium dignos existimes apud quos turpiter loquare.
Verum esto verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem nec nos for-
tasse intelligimus. Hoc enim identidem dicitis non intellige-
nos voluptatem quam dicatis. Rem videlicet difficilem et obscu-
tam. Individua et intermundia que nec sunt ulla nec
possunt esse intelligimus. Voluptas que omnibus passeribus nota est
a nobis intelligi non potest. Quid si efficio ut fateare me
non modo quid sit voluptas scire est enim iocundus motus
in sensu sed etiam quid eam tu velis esse. Tum enim eam ipsam

uerbis quam ego modo dixi et nomen imposuit in motu ut
sit et faciat aliquam varietatem tum aliam quandam summam vo-
luptatem cui addi nil possit eam tum adesse cum dolor
omnis absit eamque stabilem appellas Sit sane ista volup-
tas Dic quouis conuentu te omnia facere ne doleas Si ne hoc
quidem satis ample satis honeste dici putas dic te omnia
in isto magistratu et in omni vita utilitatis tue cause fa-
cturum nihil nisi quod expediat nihil denique nisi tua causa
quem clamorem contionis aut quam spem consulatus eius
qui tibi paratus summus e futuram putes Eamne ratio-
onem sequere qua tecum ipso et cum tuis utare profiteri
aut et in medium proferre non audeas At vero illa que
peripatetici que stoici dicunt semper tibi in ore sunt in iudiciis
in senatu officium equitatem dignitatem fidem recta honesta
digna imperio digna populo romano omnia pericula pro rep. mo-
ri pro patria Hec cum loqueris nos barones stupemus
tu videlicet tecum ipse rides Nam inter ista tam magnifi-
ca verba tamque preclara non habet ullum voluptas bonum non modo
illam quam omnes urbani rustici omnes inquam qui latine
loquuntur voluptatem vocant Sed nec quidem stabilis quam
preter vos nemo appellat voluptatem Vide ne non debeas
verbis nostris uti si incessum fingeres quo grauior uidere non
esses tui similis Verba tu fingas et ea dicas que non
sentias aut etiam ut vestitum sic sententiam habeas ali-
am domesticam aliam forensem ut in fronte ostentatio sit
intus veritas occultetur Vide quesso rectumne sit Mihi qui-
dem he vere videntur opiniones que honeste que laudabiles
que in senatu que apud populum que in omni cetu con-
cilioque profitende sint ne id non pudeat sentire quod non
pudeat dicere Amicicie vero locus ubi esse potest aut quis amicus
esse cuiquam que non ipsum amet propter ipsum Quid autem est ama-
re e quo nomen amicicie ductum est nisi velle bonis aliquem
affici quam maximis etiamsi ad se ex his nihil redeat Quid
prodest inquit mihi meo esse animo ymmo videri for-
tasse Esse enim nisi eris non potes esse Qui autem esse
poteris nisi amor te ipse ceperit quod non sub dubia utilitatis
ratione effici solet sed ipsum ex se oritur et sua sponte na-
scitur At enim sequor utilitatem manebit ergo amicicia tam
diu quamdiu sequetur utilitas et si utilitas amiciciam constituerit
tollet eadem Sed quid ages tandem si utilitas ab amicicia
ut fit sepe defecerit relinques Que ista amicicia est tenebis

Cui querunt aliud nisi de amicitia paranda utilitatis causa expetenda. Vides ne modum verum si amicitiam despicientes tueri possim aut ista res digna odio est. Nequid est turpe mihi quod est sine quo in commodo afficiare non relinques amicitiam ne sine fructu alligatum sibi ut moneat operabitur. Quod si non modo utilitatem tibi nullam afferet sed iacture rei familiaris erunt faciende labores suscipiendi adeundum vite periculum ne tum quidem te respicies et cogitabis sibi quemque natum esse et suis voluptatibus. Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico ut pythagoreus ille fecit siculo tyranno aut pylades cum sis dices te esse horestem ut moriare pro amico aut si esses horestes pyladem refelles et te indicares et si id non probares quo minus ambo una necaremini non precarere faceres tu quidem torquate hec omnia. Nihil enim arbitror magna laude dignum quod te pretermissurum credam aut mortis aut doloris metu. Non queritur autem quid nature tue consentaneum sit sed quid disciplinae. Ratio ista quam defendis precepta que didicisti que probas funditus evertunt amicitiam quamvis eam epicurus ut facit in celum efferat laudibus. At coluit ipse amicitias quasi quis illum negat et bonum virum et comem et humanum fuisse. De ingenio eius in his disputationibus non de moribus queritur. Sit ista in grecorum levitate perversitas qui maledictis insectantur eos a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis in amicis tuendis fuerit tamen si hec vera sint nihil enim affirmo non satis acutus fuit. At multis se probavit et quidem iure fortasse sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte vel studio vel quavis scientia vel in ipsa virtute optimum quodque rarissimum est. At mihi quidem quod et ipse bonus vir fuit et multi epicurei fuerunt et hodie sunt et in amicitiis fideles et in omni vita constantes et graves nec voluptate sed officio consilia moderantes. Hec videtur maior vis honestatis et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam ut eorum vita refellatur oratio. atque ut ceteri existimantur dicere melius quam facere sic hi mihi videntur facere melius quam dicere. Sed hec nihil sane ad rem. Illa videamus que a te de amicitia dicta sunt e quibus mihi unum videbar ab ipso epicuro dictum cognoscere amicitiam a voluptate non posse divelli ob eamque rem colendam esse quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset nec iocunde quidem posset. Satis est ad hoc responsum

Attulisti aliud humanius horum recentiorum numquam dictum ab
ipso illo quod sciam. primo utilitatis causa amicum expeti cum
autem usus accessisset tum ipsum amari per se etiam omissa
spe voluptatis hoc etsi multis modis reprehendi potest tamen
accipio quod dant. Mihi enim satis est ipsis non satis. Nam
aliquando posse recte fieri dicunt nulla expectata nec quesita
voluptate. Posuisti autem dicere alios fedus quoddam inter
se facere sapientes ut quemadmodum sint in se ipsos animati eo-
dem modo sint erga amicos id et fieri posse et sepe esse
factum et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc
fedus facere si potuerunt faciant etiam id ut equitatem
modestiam virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. At vero
si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicicias colemus
si nulla caritas erit que faciat amiciciam ipsam sua sponte vi
sua ex se et propter se expetendam dubium est quin fundos
et insulas amicis anteponamus. Licet hic rursus ea com-
memores que optimis verbis ab epicuro de laude amicicie dicta
sunt. Non quero quid dicat sed quid convenienter racioni pos-
sit et sententie sue dicere. Utilitatis causa amicicia est quesita. Num
igitur utiliorem tibi hunc triarium putas esse posse quam si
tua sint puteolis granaria. Collige omnia que soletis
presidium amicorum satis est tibi in te satis in legibus satis et
in mediocribus amiciciis presidium. Iam contemni non poteris
odium autem et invidiam facile vitabis. Ad eas enim res ab
epicuro precepta dantur et tamen tantis vectigalibus
ad libertatem utens etiam sine hac piladea amicicia multorum
te benivolentia preclare et tuebere et munies. At quicum
ioca seria ut dicitur quicum archana quicum occulta omnia
tecum optime. Deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac ista esse
non importuna. Quid ad utilitatem tante pecunie. Vides igitur
si amiciciam sua caritate metiare nihil esse prestancius. Sin emolu-
mento summas familiaritates prediorum fructuosorum mercede
superari. Me ipsum igitur ames oportet non mea si veri amici
futuri sumus. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus.
Perfecto enim et concluso neque virtutibus neque amiciciis usquam
locum esse si ad voluptatem omnia referantur. Nil preterea magnopere
dicendum. At tamen ne cui loco non videatur esse responsum pau-
ca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. Quoniam igitur
omnis summa philosophie ad beate vivendum refertur idque unum ex-
petentes homines se ad hoc studium contulerunt beate autem
vivere alii in alio vos in voluptate ponitis. Item contra omnem

infelicitate in dolore Sed primum videamus beate vivere nostrum quale
sit Atque hec dubitans ut opinor si modo sit aliquid esse beatum
id oportere totum poni in potestate sapientis Nam si amitti vi-
ta beata potest beata esse non potest Quis enim confidit sibi id
stabile et firmum permansurum quod fragile et caducum sit Qui
autem diffidit perpetuitati bonorum suorum timeat necesse est
ne aliquando amissis illis sit miser Beatus autem esse in
maximarum rerum timore nemo potest Nemo igitur esse beatus
potest Neque enim in alia parte sed in perpetuitate temporis vita beata dici
solet hec appellatio omnino vita beata nisi confecta atque abso-
luta nec potest quisquam alias beatus esse alias miser Qui enim
existimabit se miserum esse beatus non erit Nam cum semel est
suscepta vita beata tam permanet quam ipsa illa effectrix
beate vite sapientia neque expectat ultimum tempus etatis Quod
Cresso scribit herodotus preceptum Solone Ceterum quemadmodum
tute dicebas negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad beate
vivendum aliquid afferre Nec minorem voluptatem percipi in
brevitate temporis quam si illa sit sempiterna Nec dicit inconstan
tissime Cum enim summum bonum in voluptate ponat negat in-
finito tempore etatis voluptatem fieri maiorem quam finito atque mo-
dico Qui bonum omne in virtute ponit is potest dicere
perfici beatam vitam perfectione virtutis Neque enim in summo bono aff-
erre incrementum diem Qui autem voluptate vita effici beatam
putabit qui sibi is conveniet si negabit voluptatem esse lon-
ginquitate augeri nec dolorem quidem An dolor longissimus
quisque miserrimus Voluptatem non optabiliorem diuturnitas
facit Quid est igitur cur ita semper deum appellet Epicurus beatum
et eternum Dempta enim eternitate nihilo beatior iuppiter quam
Epicurus Uterque enim summo bono fruitur id est voluptate At
enim hic etiam dolore At eum nihil facit aut enim se se ustum
quam hoc suave dicturum Qua igitur re a deo vincitur si
si eternitate non vincitur in qua quid est boni preter summam
voluptatem et eam sempiternam Quid ergo atque gloriose loquimur
nisi constanter loquamur In voluptate corporis addam si vis
animi dum ea ipsa ut volunt sit quod et corpore sit
est vivere beate Quid ipsa voluptate perpetuam quis potest
prestare sapienti Nam quibus rebus efficiuntur voluptates hee
non sunt in potestate sapientis Non enim in ipsa sapientia posi-
tum est beatum esse sed in his rebus quas sapientia comparat ad
voluptatem Totum autem id externum et quod externum id in casu
est Ita fit beate vite domina fortuna quam Epicurus ait exi-

quam intueri sapienti. Age inquies ista parva sunt
Sapientem locupletat ipsa natura cuius divitias epicurus
parabiles esse docuit. Hec bene dicuntur nec ego repugno
sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim tenuissimo victu
id est contemptissimis escis et potionibus minorem voluptatem
percipi quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego
si negaret quicquam interesse ad beate vivendum quali
uteretur victu concederem laudarem etiam. Verum enim diceret.
Idque socratem qui voluptatem nullo loco numerat audio dicen-
tem cibi condimentum esse famem potionis sitim. Sed qui ad
voluptatem omnia referens vivit ut gallonius loquitur ut fru-
gi ille piso non audio, nec enim eum quod sentiat dicere
existimo. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod par-
vo esset natura contenta. Certe nisi voluptatem tanti estima-
retis. Non minor inquit voluptas percipitur tam ex vi-
lissimis rebus quam ex preciosissimis. Hoc est non modo cor
non habere sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem
ipsam contemnunt hiis licet dicere se accipenserem mene
non anteponere. Cui vero in voluptate summum bonum
est huic omnia sensu non ratione sunt iudicanda. Eaque dicen-
da optima que sint suavissima. Verum isto modo consequatur summas
voluptates non modo parvo sed fere nichilo si potest. Sit vo-
luptas non minor in nastruciis quo vesci persas esse
solitos scribit xenophon quam in syracusanis mensis
que a platone graviter vituperantur. Sit inquam tam facilis quam
vultis comparatio voluptatis. Quid de dolore dicemus cuius
tanta tormenta sunt ut in hiis beata vita si modo dolor sum-
mum malum est esse non possit. Ipse enim metrodorus pe-
ne alter quam epicurus beatum esse describit his verbis
cum corpus bene constitutum sit et sit exploratum ita futurum
an id exploratum cuiquam potest esse quo modo sese habiturum sit
corpus non dico ad annum sed ad vesperum. Dolor ergo
id est summum malum metuetur semper etiam si non aderit. Iam enim
adesse poterit. Qui potest igitur habitare in beata vita si
summi mali metus. Traditur inquit ab epicuro ratio
neglegendi doloris. Iam id ipsum absurdum maximum malum
negligi. Sed que tandem ista ratio est. Maximus dolor inquit
brevis est. Primum quid tu dicis breve. Deinde dolorem
quem maximum. Quid enim summus dolor plures dies manere
non potest. Vide ne etiam menses. Nisi forte eum dicis qui
simul atque arripuit interficiat. Quis istum dolorem timet. Illum

mallem leuaret quo optimum atque humanissimum virum Cn
Octavium M f familiarem meum confici vidi Nec vero
semel nec ad breve tempus sed et sepe plane et diu Quos
dii immortales ille cum omnes artus ardere viderentur cru-
ciatus perferebat nec tamen miser esse quia summum id malum
non erat tantum modo laboriosus videbatur At miser si
in vitiosa et flagitiosa vita afflueret voluptatibus Quod
autem magnum dolorem brevem longinquum levem esse dici-
tis id non intelligo quale sit Video enim et magnos
et eosdem bene longinquos dolores Quorum alia
toleratio est verior qua uti vos non potestis qui hone-
statem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quedam precepta
sunt ac pene leges que effeminari virum vetant in
dolore Quamobrem turpe putandum est non dico do-
lere Nam id quidem est interdum necesse sed saxum illud Lemnium
clamore philophetero funestare quod eiulatu et questu
gemitu fremitibus resonando mutum flebiles voces
refert Huic epicurus precentet et si potest cui inperi-
no morsu vene viscerum imbute tetros cruciatus cient
Sic epicurus philoteta Si gravis dolor brevis At iam de-
cimum annum in spelunca iacet Si longus levis dat e-
nim intervalla et relaxat Primum non sepe Deinde que
est ista relaxatio et preteriti doloris memoria recens est
et futuri atque impendentis torquet timor Moriatur inquit
fortasse id optimum Sed ubi illud plus semper voluptatis Sed
enim ita est vide ne facinus facias cum mori suadeas
potius Ergo illa dicantur turpe esse viro debilitari
dolore frangi succumbere Nam ista vestra si gravis brevis
si longus levis dictata sunt Virtutis magnitudinis animi
paciencie fortitudinis fomentis dolor mitigari solet Audi
ne longe abeam moriens quid dicat epicurus et intelli-
gas eius facta cum dictis discrepare Epicurus hermarcho sa-
lutem Cum ageremus inquit vite beatum et eundem supremum
diem scribebamus hec Tanti autem morbi aderant vesice et
viscerum ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere Tace
miserum hominem Si dolor summum malum est dici aliter non
potest Sed audiamus ipsum Compensabatur inquit tamen cum his
omnibus animi leticia quam capiebam memoria racionum in-
ventorum nostrorum Sed tu ut dignum est tua erga
me et erga philosophiam voluntate ab adolescentulo suscepta
fac ut metrodori tueare liberos Non ergo iam epaminonde

Mantinea sit atque ipse cum vulnere exanimari se videret Nol
Leonide mortem huius morti antepono quorum alter
cum vidisset Lacedemonios apud se ut primum despexit
quesivit salvusne esset clipeus cum salvum esse flen-
tes sui respondissent rogavit essentne fusi hostes cum-
que id quoque ut cupiebat audivisset evelli iussit eam
qua erat transfixus hastam Ita multo sanguine profuso
in leticia et in victoria est mortuus Leonidas autem
rex Lacedemoniorum se in termophilis trecentosque eos
quos eduxerat Sparta cum esset proposita aut fuga
turpis aut gloriosa mors opposuit hostibus Preclare
mortes sunt imperatorie philosophi autem in suis lectulis ple-
rumque moriuntur Refert tamen quo modo Beata sibi videtur esse morien-
ti magna laus Compensabatur inquit cum summis dolori-
bus leticia Audio equidem philosophi vocem Epicure sed quod
tibi dicendum sit oblitus es Primum enim si vera sunt ea
quorum recordatione te gaudere dicis Hoc est si vera
sunt tua scripta et inventa gaudere non potes Nihil
enim iam habes quod ad corpus referas Est autem a te
semper dictum nec gaudere quemquam nisi propter corpus nec
dolere Preterita inquit gaudeo Quibusnam preteritis Si ad
corpus pertinentibus rationes tuas te video compensare
cum istis doloribus non memoriam corpore perceptarum volup-
tatum Sin autem ad animum falsum est quod negas animi
ullum esse gaudium quod non referatur ad corpus Cur
deinde Metrodori liberos commendas Quid in isto tuo e-
gregio officio et tanta fide sic enim existimo ad corpus
refers Huc et illuc Torquate vos versetis licet in hac
preclara epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens de-
cretis eius reperietis Ita redarguitur ipse a sese con-
vincunturque scripta eius probitate ipsius ac moribus Nam
ista commendatio puerorum memoria et caritas amicitie summorum
officiorum in extremo spiritu conservatio indicat innatam esse
homini probitatem gratuitam non invitatam voluptatibus
nec premiorum mercedibus evocatam Quod enim testimonium
maius querimus que honesta et recta sint ipsa esse op-
tabilia per sese cum videamus tanta officia morientis Sed
ut epistolam laudandam arbitror eam quam modo totidem fe-
re verbis interpretatus sum quamquam ea cum summa eius philosophia nullo modo congru-
ebat sic eiusdem testamentum non solum a philosophi gravitate sed
etiam ab ipsius sententia iudico discrepare Scripsit enim et multis

sepe vir et brevit' apteq3 in eo lib° que modo nostri
morte ad nos nihil ptinet hoc ipm eleganti9 poni
melius q3 potuit Nam quod ita positu est quod disso-
lutu sit id esse sine sensu id cuius modi est ut non
satis plane dicat quid sit dissolutu Sed tamen intel-
ligo quid velit Queo aut quid sit quod ea dissoluti-
one id est morte sensus oms extinguat' et ea reliq'
nihil sit oio quod ptineat ad nos tam ac curate
tamq3 diligenter caveat et sanciat ut anthimona-
tus et thimocrates heredes sui et hermachi sina dat
quod satis sit ad diem agendu natale suu q° tamus
mense gamelione Itemq3 omnibus mensibus vicesimo
die lune dent ad eoru epulas quia una secu philo-
zophati sint ut et sui et metrodori memoria colat'
Hec ego non possum dice' no ee hois et belli et hu-
mani sapientis vo nullo° phisici presertim que ille
vult se putar' illu esse cuiq3 natalie diei Quid ne
ne ponit esse dies sepius qui semel fuit certe
non pt An eiusde modi ne id quidem nisi ea mi-
ta amor intercesserint mita ut om sidera eode
unde pfecta sunt fiant ad unu tpus reursio Nullus
est igitur cuius q3 dies natalis At habetur et ego
fallo id nesciebam Sed ut sit etia ne post morte co-
latur Ideq3 testamento cavebit is qui nobis quasi
oraculu edederit nihil post mortem ad nos ptinere
Hec non erat eius qui in numerabiles mundos infinitas
q3 regiones quaru nulla eet ora nulla extremitas
mente pagrasset Numquid tale democritus ut ali-
os omitta hunc appello que ille unu secutus est Et
si dies notandus fuit eum ne potius quo natus
an eu quo sapiens factus est Non potuit inquies
fieri sapiens nisi natus eet Res tota torquate no
doctor homi velle post morte epulis celebrari
memoria sui nois Quos quidem dies quemadmodu
agatis et in quam homi facetosa urbanitate incu-
ratis non dico opus est litibus tantu dico magis
fuisse vrm age' epicuri natalem diem quam illum testamento
caveret ut ageretur Sed ut ad ppositu redeamus de do-
lore enim ea dicerem ad ipam eplam delati sumus
Nunc totu id concludi licet Qui in summo malo est is te
ea in eo est et est aliquis in dolore Non est igitur

sumus malum dolor Iam illud quale tandem est bona
preterita non effluere sapienti mala meminisse non oportere
Primum in nostra ne potestate est quod meminerimus Themi-
stocles quidem cum ei Simonides aut quis alius
artem memorie polliceretur oblivionis inquit mallem
Nam memini etiam que nolo oblivisci non possum que
nolo Magna hic ingenio sed res se tamen sic habet
ut nimis imperiose sit philosophi vetare meminisse Vides ne
ista sunt mallaria nostra ut imperes etiam si im-
peres quod facere non possum Quid si etiam iocunda
etiam memoria preteritorum malorum ut proverbia nonnulla
veriora sint quam vestra dogmata vulgo enim dicitur iocun-
de acti labores nec male Euripides Concludam si
potero latine Grece enim hunc versum noscis omnes suavis
est laborum preteritorum memoria Sed ad bona preterita rede-
amus que si a vobis talia dicerentur qualibus C. Marius
uti poterat ut expulsus egens in palude demersus
tropheorum recordatione levaret dolorem suum audirem et
plane probarem Nec enim absolvi beata vita sapientis neque
ad exitum perduci poterit si prima queque bene ab eo con-
sulta atque facta ipsius oblivione obruentur Sed vobis
voluptatum perceptarum recordatio beatam vitam facit et quidem
corpore perceptarum Nam si que sunt alie falsum est omnes
animi voluptates esse e corporis societate Corporis autem
voluptas etiam si preterita delectat non intelligo cur Ari-
stoteles Sardanapalli epigramma tantopere derideat in
quo ille rex Syrie glorietur se omnes secum libidinum
voluptates abstulisse Quod enim ne vivus quidem
diutius sentire poterat quam dum fruebatur quo modo id pe-
tuit mortuo permanere Fluit igitur voluptas corporis et prima
queque avolat ut auchat sepiusque relinquit causas peni-
tendi quam recordandi Itaque beatior Affricanus cum patria
illo modo loquens Desine Roma tuos hostes reliquaque pre-
clare Namque tibi monumenta mea pepere labores
Laboribus hic preteritis gaudet tu iubes voluptatibus hic
se ad eas revocat e quibus nihil umquam retulit ad cor-
pus tu totus hes in corpore Illud autem ipsum qui obti-
neri potest quod dicitis omnes animi et voluptates et dolo-
res ad corporis voluptates ac dolores pertinere Nihil te ne
delectat umquam video quicum loquar Te igitur torquet
igitur per se nihil delectat Omitto dignitatem honestatemque speciem

ipsas virtutes de quibus ante dictum est. Hec leviora ponam
poema orationem cum aut scribis aut legis cum omnium factorum
cum regionum conquiris historiam signum tabula locus ame-
nus ludi venatio villa Luculli. Nam si tuam dicerem
latebram haberes ad corpus ne diceres pertinere. Sed ea que di-
xi ad corpus ne refers. An est aliquid quod te sua
sponte delectet. Aut pertinacissimus fueris si in eo perstiteris
ad corpus ea que dixi referre aut deserueris totam E-
picuri voluptatem si negaveris. Quod vero late disputatum
est maiores esse voluptates et dolores animi quam corporis
quia trium temporum particeps animus sit corpore autem presentia
solum sentiantur quod fieri potest ut is qui propter me
aliquid gaudeat aio si voluptas animi ut dicitis oritur
propter voluptatem corporis et maior est animi voluptas quam
corporis ita fit ut gratulator letior sit quam is cui gratulatur.
Sed dum efficere vultis beatum sapientem cum maximas animo
voluptates percipiat omnibusque partibus maiores quam corpore
quid occurrat non videtis. Animi enim quoque dolores
percipiet omnibus partibus maiores quam corporis. Ita miser
sit aliquando necesse est is quem vos beatum semper vultis esse.
Hec vero id dum omnia ad voluptatem doloremque referetis
efficietis numquam. Quare aliud aliquod Torquate hominis summum
bonum reperiendum est. Voluptatem bestiis concedamus quibus vos
de summo bono testibus uti soletis. Quid si etiam bestie
multa faciunt duce sua queque natura partim indulgenter
ut in labore ut in gignendo in educando perfacile ap-
pareat aliud quoddam iis propositum non voluptatem. Partim cur-
sibus et peregrinatione letantur congregatione alie ce-
tum quodammodo civitatis imitantur. Videmus in quodam
volucrum genere nonnulla indicia pietatis cognitionem memoriam
in multis etiam desideria videmus. Ergo in bestiis erunt
secreta a voluptate humanarum quedam simulacra virtutum in ipsis
hominibus virtus nisi voluptatis causa nulla erit. Et hominem qui
ceteris animantibus plurimum prestat precipue a natura nihil da-
tum esse dicemus. Nos vero si quidem in voluptate
sunt omnia longe multumque superamur a bestiis quibus
ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque ha-
bundantes nihil laborantibus nobis autem aut vix aut
ne vix quidem suppetunt multo labore querentibus
nec tamen ullo modo summum pecudis bonum et hominis
idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus

est instructo in optimis actibus comprendis quod tanto con-
sensu honestissimorum studiorum tanto virtutum comitatu si ea
nulla ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur
Ut si Xerxes cum tantis classibus tantisque equestribus
et pedestribus copiis hellesponto iuncto athone perfosso
si maria ambulavisset si cum tanto impetu in greciam
venisset causam cuius quis ex eo quereret tantarum co-
piarum tantique belli mel se afferre ex hymetto volu-
isse diceret certe sine causa videtur tanta conatus
Sic nos sapientem plurimis et gravissimis actibus atque vir-
tutibus instructum et ornatum non ut illum maria pedi-
bus peragrantem classibus montes sed celum
totamque cum universa mari terram mente complexum vo-
luptatem petere si dicemus mellis causa dicemus tanta
molitum Ad altiora quedam et magnificentiora mi-
hi crede torquate nati sumus nec id ex animi solum
partibus in quibus inest memoria rerum innumerabilium
inte quidem infinita est coniectura consequentium non
non multum a divinatione differens Inest moderator
cupiditatis pudor inest ad humanam societatem iustitie
fida custodia inest in perpetiendis laboribus adeundisque
periculis firma et stabilis doloris mortisque con-
temptio Ergo hec in animis Tu autem etiam membra
ipsa sensusque considera que tibi ut reliquae corporis partes
non comites solum virtutum sed ministri etiam videbuntur
Quod si in ipso corpore multa voluptati preponenda sunt
ut vires valitudo velocitas pulchritudo quid tandem
in animis censes in quibus doctissimi viri illi veteres
inesse quoddam celeste et divinum putaverunt Quod
si esset in voluptate summum bonum ut dicitis optabile esset
in voluptate maxima nullo intervallo interiecto dies no-
ctesque versari cum omnes sensus dulcedine omni quasi
perfusi moverentur Quis est autem dignus nomine hominis
qui unum diem totum velit esse in isto genere voluptatis
Cyrenaici quidem non recusant vestri hec verecundius
illi fortasse constantius Sed lustremus animo non has
maximas artes quibus qui carebant inertes a maiori-
bus nominabantur Sed quero num existimes non dico
homerum archilochum pindarum sed phidiam polycletum
zeusim ad voluptatem artes suas direxisse Ergo opi-
fex plus sibi proponet ad formarum quam civis excellens

ad factorum pulchritudinem. Quae autem est alia causa
tanti erroris tam longe lateque diffusi nisi quod ii qui vo-
luptatem summum bonum esse decreverunt non cernunt eam partem animi
in qua inest ratio atque consilium sed eam cupiditate id
est cum animi levissima parte deliberant. Quaero enim de te si
sunt dii ut vos etiam putatis qui possint esse beati cum vo-
luptates corpore percipere non possint. Lege laudationes
Torquate non eorum qui sunt ab Homero laudati non Cyri
non Agesilai non Aristidis aut Themistoclis non Phi-
lippi non Alexandri lege nostrorum hominum lege vestrae fa-
miliae neminem videbis ita laudatum ut artifex callidus
comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia mo-
numentorum id significant velut hoc ad portam uno
cui plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.
Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur
primarium populi fuisse quod praestantissimus fuisset in confi-
ciendis voluptatibus. Ergo in his adulescentibus bonam spem
esse dicemus et magnam indolem quos suis commodis
inservituros et quicquid ipsis expediat facturos ar-
bitramur. Nonne videmus quanta perturbatio rerum omnium
consequatur quanta confusio. Tollitur beneficium tollitur
gratia quae sunt vincula concordiae. Hec enim si tua ob aliquam
cuiquam commodes beneficium illud habendum est sed fene-
ratio nec gratia deberi videtur ei qui sua ob aliquam causam
commodes beneficium illud habendum commodaverit. Maximas vero
virtutes iacere omnes necesse est voluptate dominante. Sunt
etiam turpitudines plurimae quae nisi honestas natura plurimum
valeat cur non cadant in sapientem non est facile de-
fendere. At ne plura complectar sunt enim innumerabilia
bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse
est quod iam a me expectare noli. Tute introspice
in mentem tuam ipse eamque omni cogitatione pertractans
percontare ipse te perpetuisne malis voluptatibus perfruens
in ea quam saepe usurpabas tranquillitate degere omnem aeta-
tem sine dolore assumpto etiam illo quod vos quidem
adiungere soletis sed fieri non potest sine doloris metu
An cum de omnibus gentibus optime mereri cum opem indige-
ntibus salutemque ferres vel Herculis perpeti aerumnas
sic enim maiores nostri labores non fugiendos tristissimo
tamen verbo aerumnas etiam in deo nominaverunt. Exigerem
ex te cogeremque ut responderes nisi vererer ne Herculem

ipsum ea que pro salute gentium summo labore gessisset
voluptatis causa gessisse diceres. Quae cum dixissem
Habeo inquit Torquatus ad quos ista referam et quamquam
aliquid ipse poteram tamen invenire malo paratiores. Fami-
liares nostros credo Sironem dicis et Philodemum cum
optimos viros tum doctissimos homines. Recte inquit in-
telligis. Age sane inquam sed erat equius Triarium a-
liquid de nostra dissensione iudicare. Eiuro inquit ar-
ridens iniquum. Hac quidem de re tu enim ista lenius
hic stoicorum more nos vexat. Tum Triarius post-
hac quidem inquit audacius. Nam hec ipsa mihi
erunt in promptu que modo audivi nec ante aggrediar
quam te ab istis quos dicis instructum videro.
Que cum essent dicta finem fecimus et ambulandi et
disputandi.

Voluptatem quidem Brute si ipsa pro se lo- 39
quatur nec tam pertinaces habeat patronos
concessuram arbitror convictam superiore libro
dignitati. Etenim sit impudens si in virtute
diutius repugnet aut si honestis iocunda anteponat
ut pluris esse contendat dulcedinem corporis et ex illa eave
ex ea natam leticiam quam gravitatem animi atque constantiam.
Quare illam quidem dimittamus et suis se finibus tenere
iubeamus ne blanditiis eius illecebrisque impediatur
disputandi severitas. Querendum est enim ubi sit illud summum
bonum quod reperire volumus quoniam et voluptas ab eo remota
est et eadem fere contra eos dici possunt qui vacuitatem
doloris finem bonorum esse voluerunt. Nec vero ullum
probetur summum bonum ut virtute careat qua nihil possit
esse praestantius. Itaque quamquam in eo sermone qui cum
Torquato est habitus non remissi fuimus tamen hec
acrior est cum stoicis parata contentio. Que enim de vo-
luptate dicuntur ea nec acutissime nec abscondite dis-
seruntur. Neque enim qui defendunt eam versuti in dis-
serendo sunt nec qui contradicunt causam difficilem re-
pellunt. Ipse etiam dicit Epicurus nec argumentandum quidem
esse de voluptate quod sit positum eius iudicium in sen-
sibus ut commoneri nos satis sit nihil attineat doceri.
Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio

Hec enim in torquati sermone quamquam implicata aut tortuosa
fuit magis ut mihi videtur delicata. Stoicorum autem
non ignoras quam sit subtile et spinosum potius disserendi
genus. Idque cum grecis tum magis nobis quibus etiam verba
parienda sunt imponendaque nova novis rebus nomina. Quod
quidem nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans in
omni arte cuius usus vulgaris communisque non sit multam novitatem
nominum esse cum constituantur vocabula earum rerum que in quaque
arte versentur. Itaque et dialectici et physici verbis utuntur hiis
que ipsi grecie nota non sunt. Geometre vero musici gramma-
tici etiam more quodam loquuntur suo. Ipseque rethorum
artes que sunt tote forenses atque populares verbis tamen in
dicendo quasi privatis utuntur ac suis. Atque ut omittam
has artes elegantes et ingenuas nec opifices quidem
tueri sua artificia possent nisi vocabulis uterentur nobis
incognitis usitatis sibi. Quin etiam agricultura que ab-
horret ab omni politiore elegantia tamen eas res in quibus
versatur nominibus notavit novis. Quo magis philosopho
hoc faciendum est. Ars est enim philosophia vite de qua
disserens arripere verba de foro non potest. Quamquam ex
omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt. Zeno
quamque eorum princeps non tam rerum inventor fuit quam
novorum verborum. Quod si in ea lingua quam plerique u-
beriorem putant concessum a grecia est ut doctissimi ho-
mines de rebus non pervulgatis inusitatis verbis utantur
quanto id vel nobis magis est concedendum qui ea
nunc primum audemus attingere. Et si quod sepe diximus
et quidem cum aliqua querela non grecorum modo sed
etiam eorum qui se grecos magis quam nostros haberi
volunt. Nos non modo non vinci a grecis verborum copia
sed etiam in ea esse superiores elaborandum est ut hoc
non in nostris solum artibus sed etiam in illorum ipsorum con-
sequamur. Quamquam ea verba quibus et instituto veterum
utimur pro latinis ut ipsa philosophia ut rethorica dialectica
grammatica geometria musica quamquam latine ea dici
poterant tamen quoniam usu percepta sunt nostra ducamus. Atque
hec quidem de rerum nominibus. De ipsis rebus autem
sepenumero Brute vereor ne reprehendar cum hec ad te scri-
bam qui tum in philosophia tum in optimo genere philosophi-
e tantum processeris. Quod si facerem quasi te erudiens iure
reprehenderer. Sed ab eo plurimum absum neque ut ea cognoscas

que tibi notissima sunt ad te mitto Sed quia facillime in
nomine tuo acquiesco et quia te habeo equissimum eorum
studiorum que mihi communia tecum sunt extimatorem
et iudicem Attendas igitur ut soles diligenter eamque
controversiam diiudicabis que mihi fuit cum avunculo tuo
divino ac singulari viro Nam in tusculano cum essem
vellemque bibliotheca pueri luculli quibusdam libris uti veni
in eius villam ut eos ipse ut solebam inde promerem
Quo cum venissem M cathonem quem ibi esse ne-
scieram vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum stoi-
corum libris Erat enim ut scis in eo exhausta aviditas
legendi nec satiari poterat Quippe qui ne reprehensionem
quidem vulgi inanem reformidans in ipsa curia sole-
ret legere sepe dum senatus cogeretur nihil opere reipublice
detrahens Quo magis tum in summo ocio maximaque
copia quasi helluari libris si hoc verbo tam in clara re uten-
dum est videbatur Quod cum accidisset ut alter alterum nec
opinato videremus surrexit statim Deinde prima illa
que in congressu solemus Quid tu inquit huc A villa
enim credo et si ibi esse te scissem ad te ipse venissem Heri
inquam ludis commissis ex urbe profectus veni ad vespe-
rum Causa autem fuit huc veniendi ut quosdam hinc
libros promerem Et quidem catho hanc totam
copiam iam lucullo nostro notam esse oportebit Nam
his libris eum malo quam reliquo ornatu ville delectari
Est enim mihi magne cure quamquam hoc quidem proprium tuum
munus est ut ita erudiatur ut et patri et scipioni nostro
et tibi tam propinquo respondeat Laboro autem non
sine causa Nam et avi eius memoria moveor Nec
enim ignoras quanti fecerim scipionem qui ut opinio mea
fert in principibus iam esset si viveret et lucullus mihi
versatur ante oculos vir tum omnibus excellens tum
mecum et amicicia et omni voluntate sententiaque
coniunctus Preclare inquit facis cum et eorum memo-
riam tenes quorum uterque tibi testamento liberos suos
commendavit et puerum diligis Quod autem meum munus
esse dicis non equidem recuso sed te adiungo socium
Addo etiam illud multa iam mihi dare signa puerum
et pudoris et ingenii sed etatem vides Video equidem
inquam sed tamen iam infici debet iis artibus quas
si dum est tener imbiberit ad maiora veniet paratior

Sic equidem ut Virgilianus...

Sic equidem diligenius sepiusque ista loquimur inter nos
agimusque communiter Sed residamus inquit si placet itaque
fecimus Tum ille tu autem cum ipse tantum librorum habeas
quos hic tandem requiris commentarios Quosdam inquam
aristotelicos quos hic sciebam esse veni ut auferrem quos
legerem dum essem ociosus quod quidem nobis sicut scis
non sepe contingit Quam vellem inquit ut te ad stoi-
cos inclinavisses Erat enim si cuiusquam certe tuum nihil
preter virtutem in bonis ducere Vide ne magis inquam
tuum fuit cum re eadem tibi quod mihi videtur non nova
te rebus nomina imponere Racio enim nostra consentit
oracio repugnat Minime vero ille inquit consentit
Quicquid enim preter id quod honestum sit expetendum esse
duxeris in bonis que numeraveris et honestum ipsum quasi
virtutis lumen extinxeris et virtutem penitus everteris
Dicuntur ista cato magnifice inquam Sed videsne
verum gloria tibi cum pyrrhone et aristone qui omnia
exequent esse communem De quibus cupio scire quid
sencias Ego ne queris inquit scire quid senciam quos
bonos viros fortes moderatos aut audivimus in repu-
blica fuisse aut ipsi vidimus qui sine ulla doctrina naturam
ipsam secuti multa laudabilia fecerunt eos melius
a natura institutos fuisse quam instituti potuissent a
philosophia si ullam aliam probavissent preter eam que
nichil aliud in bonis habet nisi honestum nihil nisi turpe
in malis Cetere philosophorum discipline omnino alia magis
alia minus Sed tamen omnes que rem ullam virtutis
expertem aut in bonis aut in malis numerent eos
non modo nihil adiuvare arbitror neque affirmare quo
meliores simus sed ipsam depravare naturam Nam
si hoc non obtineatur id solum bonum esse quod honestum
sit nullo modo probari possit beatam vitam virtute effi-
ci quod si ita sit cur opera philosophie sit danda nescio Si
enim aliquis sapiens miser esse possit ne ego istam
gloriosam memorabilemque virtutem non magno esti-
mandam putem Que adhuc a te catho dicta sunt
eadem inquam dicere posses si sequerere pyrrhonem aut a-
ristonem Nec enim ignoras his istud honestum non summum
modo sed etiam ut tu vis solum bonum videri quod si
ita est sequitur idipsum quod te velle video omnes semper
beatos esse sapientes Hos ne igitur laudas et hanc

eorum inquam sententiam sequi nos censes oportere Minime
vero istorum quidem inquit Licet enim virtutis hoc ipsum sit ea-
rum rerum que secundum naturam sunt habere delectum que omnia
sic exequimentur ut in utramque partem ita paria reddiderit
ut nulla sit ratio utentur eius virtute ipsam sustulerunt
Illud quidem inquam optime dicis Sed quero nonne tibi fa-
ciendum sit cum nihil dicant bonum quod non rectum ho-
nestumque sit reliquarum rerum discrimen omne tollenti Si
quidem inquit tollerem sed relinquo Quid tu modo
inquam Si una virtus unum istud quod honestum appellas
rectum laudabile decorum est enim notum quale sit pluribus
notatum vocabulis idem declarantibus Id ergo inquam
si solum est bonum quod habebis preterea quod sequare
aut si nihil malum nisi quod turpe inhonestum inde-
corum pravum flagitiosum fedum ut hoc quoque plu-
ribus nominibus insigne faciam Quid preterea dices esse
fugiendum Non ignoranti inquit tibi quod sim dicturus
sed aliquid ut ego suspicor ex mea brevi responsione
arripere cupienti non respondebo ad singula explicabo
potius quoniam otiosi sumus nisi alienum putas Zenonis
Stoicorumque sententiam Minime id quidem inquam alienum mul-
tumque ad ea que querimus explicatio tua ista proficiet
Experiamur igitur inquit etsi habet hec Stoicorum ratio
difficilius quiddam et obscurius Nam cum in greco sermo-
ne hec ipsa quondam rerum nova nomina non vide-
bantur que nunc consuetudo diuturna trivit quid
censes in latino fore faciendum Facillimum id quidem
est inquam Si enim Zenoni licuit cum rem aliquam inven-
isset inusitatam inauditum quoque ei rei nomen impo-
nere cur non liceat Catoni Nec tamen exprimi verbum
e verbo necesse erit ut interpretes indiserti solent cum
sit verbum quod idem declaret magis usitatum
Equidem soleo etiam quod uno greci si aliter non pos-
sum idem pluribus verbis exponere et tamen puto concedi no-
bis oportere ut greco verbo utamur si quando minus occurret
latinum Hec hec ephippiis et acratophoris potius
quam proegmenis et apoproegmenis concedatur Quamquam
hec quidem preposita recte et reiecta dicere licebit Bene
facis inquit quod me adiuvas et istis quidem que
modo dixisti utar potius latinis In ceteris subvenies
si me herentem videbis Sedulo inquam faciam Sed for-

tima forte Quae tenue queso Quid enim hoc agere possu-
mus dum ? Placet his inquit quorum ratio mihi pro-
batur simul atque natum sit animal hunc enim ordiendum est ipsum
sibi conciliari atque commendari ad se conservandum et ad
suum statum et ad ea que conservantia sunt status eius
diligenda Alienari autem ab interitu iis que rebus que in-
teritum videantur afferre Id ita esse sic probant quod an-
tequam voluptas aut dolor attigerit salutaria appetant
parvi aspernenturque contraria quod non fieret nisi statum
suum diligerent interitum timerent fieri autem non posse
ut appeterent aliquid nisi sensum haberent sui eoque se et sua
diligerent ex quo intelligi debet principium ductum esse a se
diligendi sui plerique stoici non putant voluptatem es-
se ponendam quibus ego vehementer assentior ne
si voluptatem posuisse natura in iis rebus videatur
que prime appetuntur multa turpia sequantur Satis
autem esse argumenti videtur quamobrem illa que na-
tura prima sunt a scita natura diligamus quod est nemo qui
cum utrumvis liceat aptas malit et integras omnes
partes corporis quam eodem usu imminutas et detortas
habere Rerum autem cognitiones vel si hec verba aut minus pla-
cent aut minus intelliguntur cathalepsis appellemus
licet eas igitur ipsas propter se asciscendas arbitramur
quod habeant in se quidam quasi complexum et conti-
nentem veritatem Id autem in parvis intelligi potest quos
delectari videamus etiam si eorum nihil intersit si quid
ratione per se ipsi invenerint Artes etiam ipsas propter
se assumendas putamus tum quia sit in iis aliquid
dignum assensione tum quod constent ex cognitionibus
et contineat quidam in se ratione constitutum et via
A falsa autem assensione magis nos alienatos esse
quam a ceteris rebus que sunt contra naturam arbitrantur
Iam membrorum id est partium corporis alia videntur
propter eorum usum a natura esse donata ut manus crura pedes
ut ea que sunt intus in corpore quorum utilitas quanta
sit a medicis etiam disputatur Alia autem nullam ob uti-
litatem quasi ad quendam ornatum ut cauda pavoni
plume versicolores columbis viris mamme atque barba
Hec dicuntur fortasse ieiunius Sunt enim quasi prima
elementa nature quibus ubertas orationis adhiberi vix potest
nec equidem eam cogito consectari Veruntamen cum de

rebus grandioribus dicat ipse res verba rapiunt. Ita
fit cum gravior tum etiam splendidior oratio. Est ut di-
cis inquam sed tamen omne quod de re bona dilucide dicitur
mihi preclare dici videtur. Istiusmodi autem res dicere
ornate velle puerile est plane autem et perspicue expe-
dire posse docti et intelligentis viri. Progrediamur
igitur quoniam inquit ab his principiis nature discessimus
quibus congruere debent que sequuntur. Sequitur autem
prima divisio hec. Estimabile esse dicunt sic enim ut o-
pinor appellamus id quod aut ipsum secundum naturam sit aut
tale quid efficiat ut delectatione dignum propterea sit quod
aliquod pondus habeat dignum estimatione quam ille
axiam vocat contraque inestimabile quod sit superiori
contrarium. Initiis igitur ita constitutis ut ea que secundum
naturam sunt ipsa propter se sumenda sint contraque item
reiicienda primum est officium id enim appello catheton
ut se conservet in nature statu deinceps ut ea teneat
que secundum naturam sint pellatque contraria que inven-
ta selectione et item reiectione sequitur. Sequitur de-
inceps cum officiis selectio. Deinde ea perpetua tum ad
extremum constans consentaneaque nature. In qua primum
inesse incipit et intelligendi quid sit quod vere bonum
possit dici. Prima est enim conciliatio hominis ad ea que
secundum naturam sunt. Simul autem cepit intelligentiam vel
notionem potius quam E. p. p. o. i. appellant ille viditque rerum
agendarum ordinem et ut ita dicam concordiam multo eam
pluris estimavit quam omnia illa que primum dilexerat atque
ita cogitatione et ratione collegit ut statueret in eo col-
locatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum
bonum quod cum positum sit in eo quod homologiam Stoici
nos appellemus convenientiam si placet. Cum igitur in eo
sit id bonum quo referenda sunt omnia honesta facta
ipsumque honestum quod in bonis ducitur quamquam post
oritur tamen id solum vi sua et dignitate expetendum est. Cum
vero illa que officia esse dixi proficiscantur ab initiis
nature necesse est ea ad hoc referri ut adipiscamur principi-
a nature. Nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum propterea quod non
inest in primis nature conciliationibus honesta actio consequens
enim est et post oritur ut dixi. Est tamen ea secundum naturam
multoque nos ad se expetendam magis hortatur quam
superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est ne

quasi sit qui existimet ut duo sint ultima bonorum Ut enim cui
propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam sicut
nos ultimum in bonis dicimus sic ille facere omnia que pos-
sit ut collineet huic in eiusmodi similitudine omnia
sint facienda ut collineet et tamen ut omnia faciat quo
propositum assequatur Sed hoc quasi ultimum quale nos
summum bonum in vita bonum dicimus Illud autem ut feriat
quasi seligendum non expetendum Cum autem omnia
officia a principiis nature proficiscantur ab hiisdem necesse
est proficisci ipsam sapientiam Sed quemadmodum sepe
fit ut is qui commendatus sit alicui pluris eum faciat
cum commendatus sit quam illud a quo sit minime mirum
est primo nos sapientie commendari ab initiis nature
Post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri quam illa sint
a quibus ad hanc venerimus Atque ut membra nobis ita
data sunt ut ad quandam rationem vivendi data esse
appareant sic appetitio animi que horme grece vocatur non
ad quodvis genus vite sed ad quandam formam vivendi
videtur data itemque et ratio et perfecta ratio Ut
enim histrioni actio saltatori motus non quivis sed certus
quidam est datus sic vita agenda est certo genere
quodam non quolibet quod genus conveniens consen-
taneumque dicimus Nec enim gubernationi aut medicine si-
milem sapientiam esse arbitramur sed actioni illi po-
tius quam modo dixi et saltationi ut arte ipsa insit
non foris petatur extremum id est artis effectio Et
tamen est etiam alia cum his ipsis artibus sapientie
dissimilitudo propterea quod in illis que recte facta sunt
non continetur tamen omnes partes e quibus constant que
autem nos aut recte facta dicimus si placet ille autem
appellant cathortomia omnes numeros virtutis continent
Sola enim sapientia in se tota conversa est quod idem in
ceteris artibus non fit Inscite autem medicine et guberna-
tionis ultimum cum ultimo sapientie comparatur Sapientia enim
et animi magnitudinem complectitur et iustitiam et ut
omnia que homini accidunt infra se esse iudicet quod idem
in ceteris artibus non contingit Tenere autem virtutes eas
ipsas quarum modo mentionem feci nemo poterit nisi sta-
tuerit nihil esse quod intersit aut differat aliud ab a-
lio preter honesta et turpia Videamus nunc quam sint pre-
clara illa his que iam posui consequentia Cum enim hoc

sit extremum Beatus non credo me eam diu quod telos greci
dicunt id dicere tum extremum tum ultimum tum summum Licebit etiam
finem pro extremo aut ultimo dicere Lu. non hoc sit extremum
congruenter nature convenienterque vivere necessario
sequitur omnes sapientes semper feliciter absolute fortunate
vivere nulla re impediri nulla prohiberi nulla egere
Quod autem continet non magis eam disciplinam
de qua loquor quam vitam fortunasque nostras id est ut
quod honestum sit id solum bonum iudicemus potest id quidem
fuse et copiose et omnibus electissimis verbis gravissimisque
sententiis rhetorice et augeri et ornari Sed conse-
ctaria me stoicorum brevia et acuta delectant Concludatur
igitur eorum argumenta sic Quod est bonum omne
laudabile esse quod autem laudabile est omne est hone-
stum bonum igitur quod est honestum est Satis ne hoc
conclusum videtur Certe Quid non efficiebatur ex his
duobus que erant sumpta nunc vides esse conclusum
Duorum autem e quibus effecta conclusio est contra
superius dici solet Non omne bonum esse laudabile
Nam quod honestum sit laudabile esse conceditur
Illud autem pro absurdum bonum esse aliquid quod non
expetendum sit aut expetendum quod non placens
aut si id non esset non etiam diligendum ergo et pro-
bandum ergo id etiam laudabile id autem honestum Ita fit ut quod
bonum sit id etiam honestum sit Deinde quero quis
aut de misera vita possit gloriari aut non de beata
De sola igitur beata ex qua efficitur gloriandum ut
ita dicam dignam esse beatam vitam quod non possit
quidem inhoneste vite iure contingere Ita fit ut ho-
nesta vita beata vita sit Et quoniam is cui contingit ut
iure laudetur habet insigne quiddam ad decus et gloriam
ut ob ea que tanta sint beatus dici iure possit idem
de vita talis viri rectissime dicatur Ita si beata vita
honestate cernitur quod honestum est id bonum solum habe-
dum est Quid vero negari nullo modo possit quin umquam
stabili et firmo et magno animo quem fortem virum
dicimus effici posse nisi constitutum sit non esse malum do-
lorem Ut enim qui mortem in malis ponit non potest
eam non timere sic nemo ulla in re potest id quod
malum esse decreverit non curare idque contemnere quo posi-
to et omni assensu approbato Illud sumitur eum qui magno

sit animo atque forti omnia que cadere in homine possint despicere et
pro nihilo putare. Que cum ita sint effectum est nihil
esse malum quod turpe non sit. Atque iste vir altus et
excellens magno animo vere fortis infra se omnia humana
ducens is inquam quem efficere volumus quem querimus certe
et confidere sibi debet et sue vite et acte et consequenti
et bene de se se iudicare statuens nihil mali posse in-
cidere sapienti. Ex quo intelligitur idem illud summum
bonum esse quod honestum sit idque esse beate vivere et ho-
neste id est cum virtute vivere. Nec vero ignoro varias phi-
losophorum fuisse sententias eorum dico qui summum bonum
quod ultimum appello in animo ponerent quas quamquam vitiose
quidam secuti sunt tamen non modo iis tribus qui virtutem
a summo bono segregaverunt cum aut voluptatem aut
vacuitatem doloris aut prima nature in summis bonis pone-
rent sed etiam alteris tribus qui mancam fore putaverunt
sine aliqua accessione virtutem ob eamque rem trium ea-
rum rerum quas supradixi singuli singulas addiderunt his
tamen omnibus eos antepono cuiusmodi sint qui summum bonum
in animo atque in virtute posuerunt. Sed tamen perabsurdi
et ii qui cum scientia vivere ultimum bonorum et qui nullam
rerum differentiam esse dixerunt atque ita sapientem beatum
fore nihil aliud alii momento ullo anteponentem ut
quidam achademici constituisse dicuntur extremum
bonorum et summum munus esse sapientis obsistere visis
assensusque suos firme sustinere. His singulis copi-
ose responderi solet. Sed que perspicua sunt longa
esse non debent. Quid autem apertius quam si se-
lectio nulla sit ab iis rebus que contra naturam sint
earum rerum que sint secundum naturam. Tollatur omnis
omnis ea que queritur laudaturque prudentia. Circum-
scriptis igitur his sententiis quas posui et iis si que simi-
les earum sunt relinquitur ut summum bonum sit vivere
scientiam adhibentem earum rerum que natura eveniant
seligentem que secundum naturam et si que contra naturam sunt
reicientem id est convenienter congruenterque nature
vivere. Sed in ceteris artibus cum dicitur artificiose
posterum quodammodo et consequens putandum est quod
illi epigennematicon appellant. Quod autem in quo
sapienter dicimus id a primo rectissime dicitur. Quicquid
enim a sapiente proficiscitur id continuo debet expletum

esse omnibus suis partibus. In eo non positum est id quod
dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est patriam
prodere parentes violare phana depopulari que sunt
in effectu sic timere sic merere sic in libidine esse peccatum
est etiam sine effectu. Verum ut hec non in posterius
et in consequentibus sed in primis continuo peccata sunt sic
ea que proficiscuntur a virtute susceptione prima non
perfectione recte sunt iudicanda. Bonum autem quod in hoc
sermone totiens usurpatum est id etiam diffinitione ex-
plicatur. Sed eorum diffinitiones paululum oppido inter se dif-
ferunt et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni
qui bonum diffinierit id quod esset natura absolutum.
Id autem sequens illud etiam quod prodesset ophelema enim
sic appellamus motum aut statum esse dixit e natura
absoluti. Cumque rerum notiones in animis fiant si aut
usu aliquid cognitum sit aut coniunctione aut similitudine aut
collatione rationis. hoc quarto quod extremum posui boni
noticia facta est. Cum enim ab his rebus que sunt
secundum naturam ascendit animus rationis collatione tum ad
notionem boni pervenit. Hoc autem ipsum bonum non ac-
cessione neque crescendo aut cum ceteris comparando sed propria vi
sua et sentimus et appellamus bonum. Ut enim mel etsi
dulcissimum est suo tamen proprio genere saporis non comparatione
cum aliis dulce esse sentitur sic bonum hoc de quo agimus
est illud quidem plurimi estimandum. Sed ea estimatio
que axia dicitur neque in bonis numerata sit nec
rursus in malis quantumcumque eo addideris in suo genere
manebit. Alia est igitur propria estimatio que genere
non crescendo valet. Nec vero perturbationes animorum que
vitam insipientium miseram acerbamque reddunt quas
greci pathe appellant. Poteram ego verbum ipsum
interpretans morbos appellare sed non conveniret ad omnia
Quis enim misericordiam aut ipsam iracundiam morbum
solet dicere. At illi dicunt pathos. Sit igitur perturbatio
que nomine ipso vitiosa declarari videtur. Nec hee pertur-
bationes vi aliqua naturali moventur. Omnesque hee sunt
genere quatuor partibus plures egritudo formido libido
quamque stoici communi nomine corporis et animi hedo-
nem appellant. Ego malo leticiam appellare quasi gestien-
tis animi elationem voluptuariam. Perturbationes
autem nulla nature vi commoventur omniaque ea sunt

opiniones et iudicia levitatis Itaque his sapiens semper vacabit
Omne autem quod honestum sit id esse propter se expetendum que
nobis est cum multorum aliorum philozophorum sentenciis
Preter enim tres disciplinas que virtutem a summo bono
excludunt ceteris omnibus philozophis hec est tuenda sen-
tencia. maxime tamen his stoicis qui nihil aliud in bonorum
numero nisi honestum esse voluerunt Sed hec quidem est per-
facilis et perexpedita defensio Quis est enim aut qui
unquam fuit aut avaricia tam ardenti aut tam effrenatis
cupiditatibus ut eandem illam rem quam adipisci scelere
quovis velit non multis partibus malit ad sese omni
impunitate proposita sine facinore quam illo modo perveni-
re Quam vero utilitatem aut quem fructum petentes
scire cupimus illa que nobis occulta sunt quomodo
moveantur quibusque de causis ea versentur in celo
Quis autem tam agrestibus institutis vivit. aut
qui contra studia nature tam vehementer obduruit
ut a rebus cognicione dignis abhorreat easque sine vo-
luptate aut utilitate aliqua non requirat et pro-
nihilo putet At quis est qui maiorum aut affrica-
norum aut eius quem tu in ore semper habes proavi
mei ceterorumque virorum forcium atque omni virtute prestancium
facta dicta consilia cognoscens nulla animo afficiatur
voluptate Quis autem honesta in familia institutus
et educatus ingenue . non ipsa turpitudine etiam si
eum lesura non sit offenditur Quis animo equo vi-
det eum quem impure ac flagiciose putet vivere Quis
non odit sordidos vanos leves futiles Quis autem
dicere potest si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse
statuerimus quo minus homines tenebras et solitudinem
nacti nullo dedecore se abstineant nisi eos per se feditate
sua turpitudo ipsa deterreat Innumerabilia dici possunt in
hanc sentenciam sed non necesse est Nihil est enim de quo
minus dubitari possit quam et honesta expetenda per se
et eodem modo turpia per se esse fugienda Constituto
autem illo de quo ante diximus quod honestum sit id esse
solum bonum intelligi necesse est pluris id quod honestum
sit estimandum esse quam illa media que ex eo compa-
rentur Stulticiam autem et temeritatem et iniusticiam et intem-
perantiam cum dicimus esse fugiendas propter eas res que ex
ipsis eveniant non ita dicimus ut cum illo quod positum

est solum id esse malum quod turpe sit hec pugnare videatur
oratio propterea quod ea non ad corporis incommoda re-
feruntur sed ad turpes actus que oriuntur e vicijs
Quas enim greci cacias appellant vicia malo quam mali-
cias nominare Nec tu inquit cato verbis illustribus et id
quod vis declarantibus Itaque mihi videris latine do-
cere philosophiam et ei quasi civitatem dare que quidem ad-
huc peregrinari rome videbatur nec offerre se se nostris
sermonibus et ista maxime propter limatam quandam et rerum et ver-
borum tenuitatem Scio enim esse quosdam qui quavis lingua
philosophari possint nullis enim particionibus nullis
diffinicionibus utuntur ipsique dicunt ea se modo probare
quibus natura tacita assenciatur Itaque in rebus minime
obscuris non multus est aput eos disserendi labor Qua-
re attendo te studiose et quecumque rebus his de quibus
hic sermo est nomina imponis memorie mando michi
enim ysdem istis fortasse iam utendum Virtutibus igitur
rectissime mihi videris et ad consuetudinem nostre oracionis
vicia posuisse contraria Quod enim vituperabile est per se ipsum
ideo ipso vicium nominatum puto vel etiam a vicio dictum vi-
tuperari Sin caciam maliciam dixisses ad aliud nos unum
certum vicium consuetudo latina traduceret Nunc enim omni vir-
tuti vicium contrario nomine opponitur Tum ille his igitur
ita positis inquit sequitur magna contencio que per-
tractata est a peripateticis mollius Est enim eorum
consuetudo dicendi non satis acuta propter ignoracionem dialetice
Carneades tuus egregia quadam exercitacione in dialeticis
summaque eloquencia in summum discrimen adduxit Propter-
ea quod pugnare non destitit in omni hac questione
que de bonis et malis appelletur non esse rerum stoi-
cis cum peripateticis controversiam sed nominum Michi
autem nihil tam perspicuum videtur quam has sentencias
eorum philosophorum re inter se magis quam verbis dissidere
maiorem multo habere stoicos et peripateticos rerum
omnino discrepanciam quam verborum Quippe cum peripatetici omn-
ia que ipsi bona appellant pertinere dicant ad bene
vivendum nostri vero quod extimacione aliqua omnino
dignum sit compleri vitam beatam putent An vero certius
quicquam potest esse quam illorum racio est eorum qui dolorem in
malis ponunt non posse sapientem beatum esse cum eculeo
torqueatur Eorum autem qui dolorem in malis non habent

ratio te cogit uti in omnibus tormentis conficiatur beata
vita sapienti Etenim si dolores eosdem tollerabilius patitur
qui excipit eos pro patria quam qui leviori de causa o-
pinio facit non natura vim doloris aut maiorem aut minorem
Ne illud quidem est consentaneum ut si cum tria genera bo-
norum sint que sententia est peripateticorum eoque beatior
quisque sit quo sit corporis aut externis bonis plenior
ut hoc idem approbandum nobis sit ut qui plura habeat
ea que in corpore magni estimantur sit beatior Illi
enim corporis commodis compleri vitam beatam putant nostri
nihil minus Nam cum ita placeat nec eorum quidem bo-
norum que nos bona vere appellamus frequentia beatio-
rem vitam fieri aut magis expetendam aut pluris estiman-
dam, certe minus ad beatam vitam pertinet multitudo cor-
poris commodorum Etenim si valere et sapere magis expe-
tendum sit quam sapere solum neque tamen si utrumque sit extima-
tione dignum pluris sit coniunctum quam sapere ipsum sepa-
ratim Nam qui valitudinem estimatione aliqua dignam
videamus neque tamen eam in bonis ponimus idem ce-
semus nullam esse tantam estimationem ut ea virtuti an-
ponatur quod idem peripatetici non tenent quibus
dicendum est que et honesta actio sit et sine dolore
eam magis expetendam quam si esset eadem actio cum
dolore Nobis aliter videtur recte secus ne postea Sed
potestne rerum maior esse dissensio Ut enim obscuratur
et effunditur luce solis lumen lucerne et ut interit magni-
tudine maris egei stilla muriae et ut in divitiis Croesi
teruncii accessio et gradus unus que est in ea via
que est hinc in Indiam sic cum sit is bonorum finis quem
Stoici dicunt Omnis ista rerum corporearum estimatio
splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur
atque intereat necesse est Et quemadmodum oportunitas
sic enim appellemus eucheriam non sit maior productione
temporis habent enim suum modum quecumque oportuna dicuntur
sic recta effectio cathorthosin enim ita appello quoniam rectum
factum cathortoma recta etiam effectio item convenientia
Denique ipsum bonum quod in eo positum est ut nature
consentiat crescendi accessionem nullam habet Ut enim
oportunitas illa sic hec de quibus dixi non fiunt temporis
productione maiora ob eamque causam Stoicis non videtur
optabilior nec magis expetenda beata vita si sit longa

quam si brevis utriusque sit ut si coturni laus illa es-
set ad pedem apte convenire neque multi coturni paucis
anteponerentur nec maiores minoribus Sic quorum om-
ne bonum convenientia atque oportunitate finitur nec plura
paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponentur Nec
vero satis autem dicunt si bona valitudo pluris estimanda sit
longa quam brevis Sapientiae quoque usus longissimus quisque
sit plurimi non intelligunt valitudinis estimationem spacio iudi-
cari virtutis oportunitate ut videantur qui illud dicant idem
hoc esse dicturi bonam mortem et bonum partum meliorem
longum esse quam brevem Non vident alia brevitate pluris e-
stimari alia diuturnitate Itaque consentaneum est his que
dicta sunt ratione illorum qui illum bonorum finem quod
appellamus extremum quod ultimum crescere putant posse
hisdem placere esse alium alio etiam sapientiorem Itemque
alium magis alio vel peccare vel recte facere quod nobis
non licet dicere qui crescere bonorum finem non putamus
Ut enim qui demersi sunt in aqua nihilo magis
respirare possunt si non longe absunt a summo ut iam iamque
possint emergere quam si etiam tum essent in profundo nec
catulus ille qui iam apropinquat ut videat plus cer-
nit quam his qui modo est natus Item qui processit ali-
quantum ad virtutis aditum nihilominus in miseria est quam
ille qui nihil processit Nec mirabilia videri intelligo
sed cum certe superiora firma ac vera sint his autem
ea consentanea et consequentia ne de eorum quidem ve-
ritate est dubitandum Sed quamquam negent nec virtutes
nec vicia crescere et tamen utrumque eorum fundi quodam modo
et quasi dilatari putant Divitias autem Diogenes
censet eam modo vim habere ne quasi duces sint ad
voluptatem et ad valitudinem bonam sed etiam ut in ea
contineant non idem facere eas in virtute neque in ceteris
artibus Ad quas esse ducem pecunia potest continere
autem non potest Itaque voluptas aut si bona valitudo
sit in bonis divitias quoque in bonis esse ponendas
At si sapientia bonum sit non sequi ut etiam divitias bonum
esse dicamus nec ab ulla re que non sit in bonis id quod
sit in bonis contineri potest ob eamque causam quia cogita-
tiones comprehensionesque rerum e quibus efficiuntur artes
ad petitiones movent cum divitiae non sint in bonis nulla
ars divitiis contineri potest c Quod si de artibus

Concedamus virtutis tamen non sit eadem ratio propterea
quod hec plurime commendationis et extimationis indigeat
quod idem in artibus non sit et quod virtus firmitatem
stabilitatem constantiam totius vite complectitur nec hec
eadem in artibus videamus Deinceps explicatur diffe-
rentia rerum quam si non ullam diceremus esse confunderetur omnis
vita ut ab aristone neque ullum sapientie munus aut opus
inveniretur cum inter res eas que ad degendam vitam
pertinerent nihil omnino interesset neque ullum delectum ha-
beri oporteret Itaque cum esset satis constitutum id solum
esse bonum quod esset honestum et id malum solum quod
turpe tum hec ut illa que nihil valent ad beate mi-
sereque vivendum aliquid tamen quo differrent esse volue-
runt ut essent eorum alia estimabilia alia contra alia
neutrum Queque autem estimanda essent eorum in aliis
satis esse cause quamobrem quibusdam anteponerentur sic
ut in valitudine et in integritate sensuum ut in doloris
vacuitate ut glorie divitiarum similium rerum Alia autem
non esse eiusmodi Itemque eorum que nulla estimatione
digna essent partim satis habere cause quamobrem rei-
cerentur ut dolorem morbum sensuum amissionem pau-
pertatem ignominiam similia eorum partim non Itemque hinc
esse illud exortum quod zeno proegmene contraque
quod approegmenon nominavit cum uteretur in lingua co-
piosa factis tamen nominibus ac novis quod nobis in hac
inopi lingua non conceditur quamquam tu hanc copi-
osiorem etiam dicere soles Sed non alienum est quo
facilius vis verbi intelligatur rationem huius verbi intelli-
gendi zenonis exponere Ut enim inquit nemo dicit
in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem
Id enim est proegmenon sed eos qui in aliquo honore
sunt quorum ordo proxime accedit ut secundus sit ad
regium principatum sic in vita non ea que primo ordine
loco sunt sed ea que secundum locum optinent proegmena
id est producta nominentur Que vel ita appellemus
Id enim erit verbum e verbo vel promota vel remota velut du-
dum diximus a preposita vel precipua et illa reiecta Re
enim intellecta in verborum usu faciles esse debemus Quoniam
autem omne quod est bonum primum locum tenere dicimus
necesse est nec bonum esse nec malum hoc quod prepositum
vel precipuum nominamus Itaque id diffinimus quod sit in-

differens cum estimatione mediocri. Quod enim illi adiaphora dicunt
id michi ita occurrit ut indifferens dicerem. Neque enim id fieri poterat
ullo modo ut nichil relinqueretur in mediis quod aut secundum naturam esset aut contra
nec cum id relinqueretur nichil in his poni quod satis estimabile esset
Nec hec posita non aliqua esse preposita. Recte igitur hec facta di-
stinctio est. Atque etiam ab his quo facilius res perspici possit hoc
simile ponitur. Ut enim inquiunt si hec fingamus esse quasi finem et ul-
timum ita iacere talum ut recte assistat qui ita talus erit
iactus ut cadat rectus prepositum quiddam habebit ad finem qui
aliter quam contra. Neque tamen illa prepositio tali ad eum quem dixi finem
pertinebit sic ea que sunt preposita referuntur illa quidem ad finem
sed ad eius vim naturamque nichil pertinet. Sequitur illa divisio
ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia. Sic enim appello
que telica dicuntur. Nam hoc ipsum instituamus ut placuit plu-
ribus verbis dicere quod uno non poterimus ut res intelligatur. Alia autem
efficientia que Greci poetica. Alia utrumque. De pertinentibus nichil est
bonum preter actiones honestas. De efficientibus nichil preter amicum. Sed et
pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse. Nam quia sapientia
est conveniens actio est in illo pertinenti genere quod dixi. Quod
autem honestas actiones affert et efficit id efficiens dici potest.
Hec que preposita dicimus partim sunt per se ipsa preposita partim
quod aliquid efficiunt partim utrumque. Per se ut quidam habitus oris
et vultus ut status et motus in quibus sunt et preponenda
quedam et reicienda. Alia ob eam rem dicentur preposita quod
ex se aliquid efficiant ut pecunia. Alia autem ob utramque rem
ut integri sensus ut bona valitudo. De bona autem fama quam
enim appellant eudoxiam aptius est hoc loco bonam famam
quam gloriam appellare. Crisippus quidem et Diogenes detracta utili-
tate ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant. Quibus
ego vehementer assentior. Qui autem post eos fuerunt cum
Carneadem sustinere non possent hanc quam dixi bonam fa-
mam ipsam propter se prepositam et sumendam esse dixerunt esseque
hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a paren-
tibus a propinquis a bonis etiam viris idque propter rem ipsam
non propter usum dicuntque ut liberis consultum velimus etiam si
postumi futuri sint propter ipsos sic future post mortem fame
tamen esse propter rem etiam detracto usu consulendum. Sed cum
quod honestum sit id solum bonum esse dicamus. Consentane-
um tamen est fungi officio cum id officium nec in bonis ponamus
nec in malis. Est enim aliquid in his rebus probabile
et quidem ita ut eius ratio reddi possit. Est autem officium

quod ita factum est ut eius facti probabilis ratio reddi possit. Ex quo intelligitur officium medium quoddam esse quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Quoniamque in hiis rebus que neque in virtutibus sunt neque in vitiis est tamen quoddam quod usui possit esse tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quedam et quidem talis ut ratio postulet agere aliquid et facere eorum. Quod autem ratione actum sit id officium appellamus. Est igitur officium eius generis quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Atque perspicuum est etiam illud in istis rebus mediis aliquid agere sapientem. Iudicat igitur cum agit officium illud esse. Quod quoniam numquam fallitur in iudicando erit in mediis rebus officium. Quod efficitur etiam hac conclusione rationis. Quoniam enim videmus esse quoddam quod recte appellemus id autem est perfectum officium. Erit autem etiam inchoatum ut si iuste depositum reddere. Illo enim addito iuste fiet recte factum. Per se autem hoc ipsum reddere in officio ponitur. Quoniamque non dubium est an in hiis que media dicimus sit aliud sumendum aliud reiciendum quicquid ita fit aut dicitur omne officio continetur. Ex quo intelligitur quoniam se ipsos omnes natura diligant tam insipientem quam sapientem sumpturum que secundum naturam sint reiecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis et insipientis ex quo efficitur versari in hiis que media dicamus. Sed cum ab hiis omnia proficiscantur officia non sine causa dicitur ad ea referri omnes nostras cogitationes. In his et excessum est vita et in vita mansionem. In quo enim plura sunt que secundum naturam sunt huius officium est e vita excedere. Ex quo apparet et sapientis esse aliquando officium excedere e vita cum beatus sit et stulti manere in vita cum sit miser. Nam bonum illud et malum quod sepe iam dictum est postea consequitur prima autem illa nature subiudicium sapientis et delectum cadunt estque illa subiecta quasi materia sapientie. Itaque et manendi in vita et migrandi ratio omnibus hiis rebus quas supra dixi metienda. Nam neque hiis qui virtute retinentur in vita neque hiis qui sine virtute sunt mors est appetenda. Et sepe officium est sapientis desciscere a vita cum sit beatus si id oportune facere possit quod est convenienter vivere nature. Sic enim censent opportunitatis esse bene vivere. Itaque a sapientia precipitur se ipsam si usus sit sapiens ut relinquat. Quamobrem cum vitiorum ista vis non sit ut causam afferant mortis voluntarie perspicuum est

etiam stultorum qui idem miseri sunt officium esse manere in vita si
sint in maiore parte earum rerum quas secundum naturam esse dicimus. Et
quia excedens e vita et manens eque miser est neque diuturni-
tas magis ei vitam fugiendam facit non sine causa dicitur his qui plu-
ribus naturalibus frui possint esse in vita manendum. Pertinere autem
ad rem arbitrantur intelligi natura fieri ut liberi a parentibus amen-
tur a quo initio profectam communem humani generis societatem
persequimur. Quod primum intelligi debet figura membrisque corpo-
rum que ipsa declarant procreandi a natura habitam esse
rationem. Neque vero hec inter se congruere possent ut natura
et procreari vellet et diligi procreatos non curaret. Atque
etiam in bestiis vis nature perspici potest quarum in fetu et
educatione laborem cum cernimus nature ipsius vocem vide-
mus. Quare perspicuum est natura nos a dolore abhorrere
sic apparet a natura ipsa ut eos quos genuerimus a-
memus impelli. Ex hoc nascitur ut etiam communis hominum
inter homines naturalis sit commendatio ut oporteat hominem
ab homine ob id ipsum quod homo sit non alienum videri.
Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata ut oculi ut
aures aliqua etiam ceterorum membrorum usum adiu-
vant ut crura ut manus sic immanes quedam
bestie sibi sole nate sunt. At illa que in concha
patula pina dicitur isque qui enat e concha qui quod
eam custodit pinotheres vocatur in eandemque cum se
recepit includit ut videatur monuisse ut caveret
itemque formice apes ciconie aliorum etiam causa quedam fa-
ciunt. Multo magis hec coniunctio est hominis. Itaque natura
sumus apti ad cetus ad concilia civitates. Mundum autem
censent regi numine deorum eumque quasi urbem
et civitatem hominum et deorum et unumquemque nostrum eius mundi
esse partem. Ex quo illud natura consequitur ut communem
utilitatem nostre anteponamus. Ut enim leges omnium salutem
singulorum saluti anteponunt sic vir bonus et sa-
piens et legibus parens et civilis officii non igna-
rus utilitati omnium plusquam unius alicuius aut sue con-
sulit. Nec magis vituperandus est proditor patrie
quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam
utilitatem aut salutem. Ex quo fit ut laudandus is sit
qui mortem oppetat pro re publica quod deceat cariorem esse
patriam nobis quam nosmetipsos. Quoniamque illa vox inhumana
et scelerata ducitur eorum qui negant se recusare

Quo nobis ipsis mortuis terrarum omnium deflagracio con-
sequatur quod vulgari quodam versu greco pronunciari
solet certe verum est etiam iis qui aliquando futuri sint
esse propter ipsos consulendum Et hac autem affectione
testamenta commendacionesque morientium nate sunt
Quodque nemo in summo solitudine vitam agere velit ne
cum infinita quidem voluptatum habundancia fa-
cile intelligitur nos ad communitatem congregacionemque
hominum et ad naturalem civitatem esse natos Impel-
limur autem natura ut prodesse velimus quam plurimis in primis-
que docendo racionibus prudencie tradendis Itaque non
facile est invenire qui quod sciat ipse non tradat al-
teri Ita non solum ad discendum propensi sumus verum
etiam ad docendum Atque ut tauris natura datum est ut
pro vitulis contra leones summa vi impetuque conten-
dant sic hii qui valent opibus atque id facere possunt
ut de hercule et de libero accepimus ad servandum ge-
nus humanum natura incitantur Atque ut iovem cum opti-
mum et maximum dicimus atque eundem et saluta-
rem hospitalem statorem hoc intelligi volumus
salutem hominum in eius esse tutela Minime autem
convenit cum ipsi inter nos abiecti neglectique simus
postulare ut diis immortalibus cari simus et ab iis
diligamur Quemadmodum igitur membris utimur
priusquam didicimus cuius ea utilitatis causa habeamus
sic inter nos natura ad civilem civitatem coniuncti et
consociati sumus Quod ni ita se haberet nec iusticie
ullus esset nec bonitati locus Et quomodo hominum inter
homines iuris esse vincula putant sic homini nihil
iuris esse cum bestiis Preclare enim chrisippus cetera
nata esse hominum causa et deorum eos autem civitatis
et societatis sue ut bestiis homines uti ad utilitatem
suam possint sine iniuria Quoniamque ea natura esset
hominis ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet
qui id conservaret eum iustum qui migraret iniustum
fore Sed quemadmodum theatrum cum commune sit recte tamen
dici potest eius esse eum locum quem quisque occuparit
sic in urbe mundove communi non adversatur ius
quominus suum quidque cuiusque sit Cum autem
ad tuendos conservandosque homines hominem natum
esse videamus Consentaneum est huic nature

Ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam atque ut
e natura vivat uxorem adiungere et velle ex ea li-
beros procreare. Ne amores quidem sanctos a sa-
piente alienos esse arbitrantur. Cynicorum autem
rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt
si quis eiusmodi forte casus inciderit ut id faciendum
sit, alii nullo modo. Ut ergo conservetur omnis hominis er-
ga hominem societas coniunctio caritas et emolumenta et
detrimenta que ophelemata et blamatha appellant
communia esse voluerunt. Quorum altera prosunt nocent
altera. Neque solum ea communia verum etiam paria esse di-
xerunt. Incommoda autem et commoda ita eum eucre-
stemata et dyscrestemata appello communia esse no-
luerunt, paria noluerunt. Illa enim que prosunt
aut que nocent aut bona sunt aut mala. Que sunt
paria necesse est. Commoda autem et incommoda in
eo genere sunt que preposita et reiecta diximus. Ea pos-
sunt paria non esse. Sed emolumenta communia esse
dicuntur. Recte autem facta et peccata non habentur
communia. Amicitiam autem adhibendam esse censent
quia sit ex eo genere que prosunt. Quamquam autem in
amicitia alii dicant eque caram sapienti esse rationem
amici ac suam, alii autem sibi cuique cariorem suam,
tamen hi quoque posteriores fatentur alienum esse
a iustitia ad quam nati esse videamur detrahere
quid de aliquo quod sibi assumat. Minime vero
probatur huic discipline de qua loquor aut iustitiam
aut amicitiam propter utilitates asciscit aut probari. Eedem
enim utilitates poterunt eas labefactare atque per-
vertere. Etenim nec iustitia nec amicitia esse omnino
poterunt nisi ipse per se expetantur. Ius autem quod
ita dicitur appellarique possit id esse natura. Alienumque
esse a sapiente non modo iniuriam cuiquam facere ver-
um etiam nocere. Nec vero rectum est cum amicis aut be-
ne meritis consentire aut coniungere iniuriam. Gravissime-
que et verissime defenditur numquam equitatem ab utilitate
posse seiungi. Et quicquid equum iustumque esset id etiam
honestum, vicissimque quicquid esset honestum id iu-
stum etiam atque equum fore. Ad easque virtutes de qui-
bus disputatum est dialecticam etiam adiungunt et physicam
easque ambas virtutum nomine appellant. Alteram quod ha-

Leat rationem ne cui falso assentiatur neve umquam capti-
osa probabilitate fallamur eaque que de bonis et mal[is]
didicerimus et tenere tueri possimus. Nam sine hac
arte quemvis arbitramur a vero abduci fallique pos-
se. Recte igitur cum omnibus in rebus temeritas ignorati-
oque viciosa est ars ea que tollit hec virtus nominata est.
Phisice quoque non sine causa tributus idem est ho-
nos propterea quod qui convenienter nature victurus sit ei
et proficiscendum est ab omni mundo et ab eius procura-
tione. Nec vero potest quisquam et de bonis et de mal[is]
vere iudicare nisi omni cognita ratione nature et vite etiam
deorum et utrum conveniat necne natura hominis
cum universa. Queque sunt vetera precepta sapientum qui
iubent tempori parere et sequi deum et se noscere et nichil
nimis. Hec sine phisicis quam vim habeant
et habent maximam videre nemo potest. Atque etiam ad iu-
sticiam colendam ad tuendas amicicias et reliquas
caritates quid natura valeat hec una cognitio potest
tradere. Nec vero pietas adversus deos nec quanta
iis gracia debeatur sine explicatione nature intelligi
potest. Sed iam sentio me esse longius provectum
quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis com-
positio discipline incredibilisque rerum traxit ordo quem
per deos immortales nonne miraris. Quid enim aut in
natura qua nichil est aptius nichil descriptius aut in
operibus manu factis tam compositum tamque compactum et co-
augmentatum inveniri potest. Quid posterius priori non convenit
quid sequitur quod non respondeat superiori. Quid
non sic aliud ex alio nectitur ut non si ullam
litteram moveris labent omnia. Nec tamen quicquam est
quod moveri possit. Quam gravis vero quam magnifica
quam constans conficitur persona sapientis qui cum ratio
docuerit quod honestum esset id esse solum bonum semper
sit necesse est beatus vereque ista nomina possideat
que irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appella-
bitur rex quam Tarquinius qui nec se nec suos re-
gere potuit. Rectius magister populi. Is enim est dictator
quam Silla qui trium pestiferorum viciorum luxurie
avaritie crudelitatis magister fuit. Rectius dives quam Crassus
qui nisi eguisset numquam Eufratem nulla belli causa tran-
sire voluisset. Recte eius omnia dicentur qui scit

ut soli omnes recte etiam pulchri appellabuntur ani-
mi liniamenta sunt pulchriora quam corporis recte
solus liber nec dominationi cuiusquam parens et nec o-
bediens cupiditati recte invictus cuius etiam si corpus
constringatur animo tamen vincula inici nulla possint
nec exspectet ullum tempus etatis ut tum denique iudi-
cetur beatus ne fuerit cum extremum vite diem morte
confecerit quod ille unus e septem sapientibus non
sapienter Cresum monuit Nam si beatus unquam
fuisset beatam vitam usque ad illum a Cyro extructum
rogum pertulisset Quod si ita est ut neque quisquam
nisi bonus vir et omnes boni beati sint quid phi-
losophia magis colendum aut quid est virtute di-
vinius etc.

Quae cum dixisset finem ille Ego autem
ne tu inquam Cato ista exposuisti tam
memoriter multa tam obscura dilucide
Itaque ut omittam omnino velle
aliquid aut parum sumamus ad cogi-
tandum Iam in diligenter et si minus vel Nam nos
id quidem audeo dicere Sed tamen acerrime non modo
fundatam verum etiam extructam disciplinam non est facile
perdiscere Tum ille tandem inquit tu ego te hac nova
lege videam eodem die accusatori respondere et tribus ho-
ris perorare In hac me causa defensurum putas quem
a te agetur non meliorem quam illa sunt que interdum
obtines Quare istam quam primum accedere tractatam persepe
et ab aliis etiam et a te ipso sepe Ut tibi deesse non pos-
sit oratio Tum ego non me hercule soleo temere contra
stoicos non quo illis ad modum assentiar Sed pudore
te impedior Ita multa dicunt que vix intelligam
Obscura inquit quedam esse confiteor Nec tamen ab illis ita
dicuntur de industria sed inest in rebus ipsis obscu-
ritas Cur igitur easdem res peripateticis nihil di-
centibus nihil illic est quod non intelligatur et ista
ne res inquit Iam parum differui non verbis stoicos
a peripateticis Sed universa re et tota sententia dissenti-
re Atqui inquam Cato si istud obtinueris traducas
me ad te totum licebit Putabam equidem satis inquit

me dixisse. Quae ad ea primum si videtur sin aliud quid
voles postea. Immo istud quidem inquam quo loco quartum
nisi iniquum postulo respondeo arbitratu meo. Ut pla-
cet inquit etsi enim illud erat aptius equum cuique concedere.
Existimo igitur Cato inquam veteres illos Platonis au-
ditores Speusippum Aristotelem Xenocratem deinde eo-
rum Polemonem Theophrastum satis et copiose et ele-
ganter habuisse constitutam disciplinam ut non esset
causa Zenoni cum Polemonem audisset cur et
ab eo ipso et a superioribus dissideret. Quorum fuit haec
institutio. In qua animadvertas velim quid putes mu-
tandum nec expectes dum ad omnia dicam que ante
dicta sunt. Universa enim illorum ratione cum tota vestra
confligendum puto qui cum viderent ita nos esse natos
ut et communiter ad eas virtutes nati essemus que note il-
lustresque sunt iustitiam dico temperantiam ceterasque generis
eiusdem que omnes similes artium reliquarum materia tan-
tum ad meliorem partem et tractatione differunt easque ip-
sas virtutes viderent nos magnificentius appetere et
ardentius habere etiam insitam quandam vel potius
innatam cupiditatem scientie. Natosque esse ad congregationem
hominum et ad societatem communitatemque generis humani eamque in
maximis ingeniis maxime elucere, totam philoso-
phiam tres in partes diviserunt quam partitionem
a Zenone esse retentam videmus. Quarum cum
una sit qua mores conformari putantur differo eam
partem que quasi stirps est huius questionis. Quid sit
enim finis bonorum mox hoc loco tantum dico a vete-
ribus Peripateticis Achademicisque qui re consentientes
vocabulis differebant eum locum quem civilem recte ap-
pellaturi videmur Greci politicon graviter et copiose
esse tractatum. Quam multa illi de re publica scripserunt quam
multa de legibus. Quam multa non solum precepta in
artibus sed etiam exempla in orationibus bene dicendi re-
liquerunt. Primum enim illa ipsa que subtiliter disserenda
erant polite apteque dixerunt tum diffinientes tum
partientes ut vestri etiam sed vos squalidius illorum
vides quam niteat oratio. Deinde ea que requi-
rebat oratione ornata et gravi quam magnifice sunt
dicta ab illis quam splendide de iustitia de fortitudine
de amicitia de etate degenda de philosophia de capessenda

Rei publice de tyrannia de fortune hominum de spiritus vellenam
ut Stoici nec ossa nudarunt sed eorum qui grata dici
ornate vellent cumdecate memoria dicere. Itaque que pos-
sunt eorum consolationes que etiam cohortationes que etiam
monita et consilia scripta ad summos viros. Erat enim
apud eos ut est ipsarum rerum natura sic dicendi exercita-
tio duplex. Nam quicquid queritur id habet generis ipsius
sine personis temporibus aut his adiunctis facti aut
iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exerce-
bantur eaque disciplina effecit tantam illorum in utroque
genere dicendi copiam. Totum genus hoc et Zeno et
ab eo qui sunt aut non potuerunt aut noluerunt certe
reliquerunt quamquam scripsit artem rhetoricam Cleantes
Chrisippus etiam sed sic ut si quis obmutescere concu-
pierit nil aliud legere debeat. Itaque vides quo loquan-
tur nova verba fingunt deserunt usitata et quanta co-
nantur mundum hunc omnem oppidum esse nostrum. Incendit
igitur eos qui audiunt. Vides quantam rem agit ut Cir-
cerellis qui habitet totum hunc mundum suum municipi-
um existimet quid ille incendat restinguet citius
si ardentem acceperit. Ista ipsa que tu breviter regem dicta-
torem divitem solum esse sapientem. A te quidem apte
ac rotunde quidem habes enim a rhetoribus illorum vero
ista ipsa quam exilia de virtutis vi quam tantam volunt
esse ut beatum per se efficere possit pungunt quasi aculeis
interrogatiunculis angustis quibus etiam qui asse-
ntiuntur nihil commutantur animo et idem abeunt qui
venerant. Res enim fortasse vere certe graves non ita
tractantur ut debent sed aliquanto minutius. Sequitur
disserendi ratio cognitioque nature. Nam de summo bono
mox ut dixi videbimus et ad id explicandum dispu-
tationem conferemus. In his igitur partibus duabus
nihil erat quod Zeno commutare gestiret. Res enim pre cla-
re se habebat et quidem in utraque parte. Quid enim ab
antiquis ex eo genere quod ad disserendum valet pretermis-
sum est qui et diffinierunt plurima et diffiniendi artes
reliquerunt quodque est diffinitioni adiunctum ut res
in partes dividatur id et fit ab illis et quemadmodum
oporteat fieri traditur. Item de contrariis a quibus ad
genera formasque generum venerunt. Iam argumenti ratione
conclusi caput esse faciunt ea que perspicua dicunt deinde

Ordine sequitur tum quid verum sit in singulis extrema con-
clusio est Quanta autem ab illis varietas argumentorum
ratione concludencium eorumque cum captiosis interrogationibus
dissimilitudo Quid quod plurimis locis quasi denunciant ut
neque sensuum fidem sine ratione nec rationis sine se-
nsibus exquiramus Atque ut eorum alterum ab altero separemus
Quid ea que dialectici nunc tradunt et docent nonne
ab illis instituta sunt invecta sunt De quibus est
et si a crisippo est maxime elaboratum tamen a zenone
minus multo quam veteres quedam omnino relicta Cumque due
sunt artes quibus perfecte ratio et oracio compleatur
una inveniendi altera disserendi Hanc posteriorem et sto-
ici et peripathetici Priorem autem illi egregie tradide-
runt hi omnino ne attigerunt quidem Nam e quibus
locis quasi thesauris argumenta depromerentur ve-
stri ne suspicati quidem sunt Superiores autem via et
artificio tradiderunt que quidem res efficit ne necesse
sit ysdem de rebus semper quasi dictata decantare
neque a commentariolis suis discedere Nam qui sciet
ubi quidque positum sit quaque eo veniat is etiam si quid
obrutum erit poterit eruere semperque esse in disputando
suus Quod et si ingeniis magnis prediti quidam
dicendi copiam sine ratione consequuntur ars tamen
est dux certior quam natura Aliud est enim poe-
tarum more verba fundere aliud ea que dicas ra-
tione et arte distinguere Similia dici possunt de ex-
plicatione nature qua hi utuntur et vestri Non
vos obducat modo causa quod etiam videtur
ut pellatur mortis et religionis metus sed etiam
modestiam quandam cognitio rerum celestium affert
iis qui videant quanta sit etiam apud deos mode-
ratio quantus ordo et magnitudinem animi de-
orum opera et facta cernentibus iusticiam etiam
cum cognitum habeas quod sit summi rectoris ac
domini numen quod consilium que voluntas cuius
ad naturam apta ratio vera illa et summa lex
a philosophis dicitur Inest in eadem explica-
tione nature insaciabilis quedam et cognos-
cendis rebus voluptas in qua una confectis
rebus necessariis vacui negociis honeste ac
liberaliter possimus vivere Ergo in hac ratione

tota de maximis fere rebus stoici illos secuti sunt
ut et deos esse et quattuor ex rebus omnia constare
dicerent Cum autem quereretur res admodum difficilis
num quinta quedam videretur natura esse ex qua
ratio et intelligentia oriretur in quo etiam de animis
cuius generis esset quereretur Zeno id dixit esse ig-
nem nonnulla deinde aliter sed ea pauca de
maxima autem re eodem divina mente atque natura
mundum universum atque eius maximas partes
administrari Materiam vero rerum et apud eos copiam
exilem apud illos uberrimam reperimus Quam
multa ab ys conquisita et collecta sunt de omnium
animantium genere ortu membris etatibus Quam
multa de ys rebus que gignuntur e terra Quam
multe quamque de rebus variis cause cur quidque fiat
et demonstrationes quemadmodum quidque fiant Qua
ex omni copia plurima et certissima argumenta su-
muntur ad cuiusque rei naturam explicandam Ergo
adhuc quantum equidem intelligo causa non videtur
fuisse mutandi nominis Non enim si omnia non
sequebatur idcirco non erat ortus illinc Equidem
etiam epicurum in phisicis quidem democritum
puto pauca mutat vel plura sane At cum de ple-
rimis eadem dicat tum certe de maximis quod ita
cum vestri faciant non satis magnam tribuunt in-
ventoribus gratiam Sed hec hactenus Nunc videamus
queso de summo bono quod continet philozophiam
Quid tandem attulerit quamobrem ab inventoribus
tamquam a parentibus dissentiret Hoc igitur lo-
co quamquam a te catho diligenter est explicatum
finis hic bonorum qui continet philozophiam et
quis a stoicis et quemadmodum diceretur tamen ego
quoque exponam ut perspiciamus si potuerimus quidnam
a zenone novi sit allatum Cum enim superiores
e quibus planissime polemon secundum naturam
vivere summum bonum esse dixissent his verbis tria
significari stoici dicunt Unum eiusmodi vivere ad-
hibentem scientiam earum rerum que natura evenirent hunc
ipsum zenonis aiunt finem esse declarantem illud
quod a te dictum est convenienter nature vivere Alterum
significari idem ut diceretur omnia officia me-

Aut pleraque fruentem vivere hoc sic expositum dissimile
est superiori Illud enim rectum quod cathorthoma dicebas
contingit sapienti soli hoc autem inchoati cuiusdam
officium est non perfecti quod cadere in nonnullos insa
pientes potest Tertium autem omnibus aut maximis re
bus his que secundum naturam sint fruentem vivere hoc
non est positum in nostra actione Completur enim
et ex eo genere vite quod virtute fruitur et ex his
rebus que sint secundum naturam neque sint in nostra
potestate Sed hoc summum bonum quod tertia significatione
intelligitur eaque vita que ex summo bono degitur
quia coniuncta ei virtus est in sapiente solum
cadit Isque finis bonorum ut ab ipsis stoicis scriptum
videmus a xenocrate atque ab aristotile constitutum
est Itaque ab his constitutio illa prima nature a
qua tu quoque ordiebare his prope verbis exponitur
Omnis natura vult esse conservatrix sui ut et sal
va sit et in genere suo conservetur Ad hanc rem
aiunt artes quoque requisitas que naturam adiuvarent
in quibus ea numeretur in primis que est vivendi
ars ut tueatur quod a natura datum sit quod desit
acquirat Idemque diviserunt naturam hominis in
animum et corpus Cumque eorum utrumque per se expe
tendum esse dixissent virtutes quoque utriusque eorum
per se expetendas esse dicebant Cum animum infinita
quadam laude anteponerent corpori virtutes quoque
animi bonis corporis anteponebant Sed cum
sapientiam totius hominis custodem et procuratricem es
se vellent que esset nature comes et adiutrix
hoc sapientie munus esse dicebant ut eum tueretur
qui constaret ex animo et corpore In utroque iuva
ret eum atque contineret Atque ita re primo simpliciter
collata reliqua subtilius persequentes corporis
bona facilem quandam rationem habere censebant
De animi bonis accuratius exquirebant in primis
que reperiebant in his esse iustitie semina primique ex omni
bus philozophis naturam tributum esse docuerunt
ut hi qui procreati essent a procreatoribus ama
rentur Et id quod temporum ordine antiquius
est ut coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse
dicerent qua ex stirpe orirentur amicitie cognationum

Atque ab his initiis profecti omnium virtutum et originem et pro-
gressionem persecuti sunt Ex quo magnitudo quoque animi
existebat qua facile posset repugnari obsistique for-
tune quod maxime res essent in potestate sapientis
Varietates autem iniuriasque fortune facile veterum philo-
zophorum preceptis instituta vita superabat Principiis
autem a natura datis amplitudines quedam bonorum
excitabantur partim profecte a contemplatione rerum
occultiorum quod erat insitus menti cognitionis amor
Ex quo etiam rationis explicandi disserendique cupidi-
tas consequabatur quodque hoc solum animal natum
est pudoris ac verecundie particeps appetensque co-
niunctionis hominum ac societatem animadvertensque in omnibus
rebus quas ageret aut diceret ut ne quid ab eo
fieret nisi honeste et decore his initiis ut ante dixi
tamquam seminibus a natura datis temperantia mode-
stia iustitia et omnis honestas perfecte absoluta est Ha-
bes inquit Cato formam illorum eorum de quibus loquor
philozophorum qua exposita scire cupio que causa
sit cur Zeno ab hac antiqua institutione desciue-
rit Quidnam horum ab eo non sit probatum quodne
omnem naturam conservatricem sui dixerit An quod
omne animal ipsum sibi commendatum ut se in suo ge-
nere salvum incolumeque vellet An cum omnium artium
finis is esset quod natura maxime quereret idem
statui debere de totius arte vite An quod cum ex a-
nimo constaremus et corpore et hec ipsa et eorum
virtutes per se esse sumendas An vero displicuit
ea que tributa est animi virtutibus tanta prestantia
An que de prudentia de cognitione rerum de coniunctione
generis humani queque ab eisdem de temperantia de mode-
stia de magnitudine animi de omni honestate
dicuntur Fatebuntur stoici hec omnia esse dicta pre-
clare Neque non eam causam Zenoni desciscendi fu-
isse Alia quedam dicent credo magna antiquorum
esse peccata que ille veri investigandi cupidus
nullo modo ferre potuerit Quid enim perversius quid
intollerabilius quid stultius quam bonam valitudinem
quam dolorum omnium vacuitatem quam integritatem oculorum
reliquorumque sensuum ponere in bonis potius quam
dicerent nihil omnino inter eas res iisque contrarias interesse

ea autem omnia que illi bona dicerent preposita esse non bona
Itemque illa que in corporibus excellerent stulte antiquos
dixisse per se esse expetenda et sumenda potius quam
expetenda eandemque in omni vita que in una virtute
consisteret illam vitam que etiam ceteris rebus que essent
secundum naturam habundaret magis expetendam non esse
sed magis sumendam Cumque ipsa virtus efficiat ita
beatam vitam ut beatior esse non possit tamen quedam
deesse sapientibus tum cum sint beatissimi Itaque
eos id agere ut a se dolores morbos debilitates re-
pellant O magnam vim ingenii causamque iustam
cur nova existeret disciplina Perge porro sequun-
tur enim que tu scientissime complexus es omnem in-
sipientiam et iniusticiam alia vicia similia esse
omniaque peccata esse paria eosque qui natura doctri-
naque longe ad virtutem processissent nisi eam ple-
nam consecuti essent summe esse miseros neque inter
eorum vitam et improbissimorum quicquam omnino interesse
ut plato tantus ille vir si sapiens non fuerit ni-
chilo melius quam quivis improbissimus nec beatius
vixerit Hec videlicet est correctio philozophie ve-
teris et emendatio que omnino aditum habere nullum
potest in urbem in forum in curiam Quis enim fer-
re posset ita loquentem eum qui se auctorem vite
graviter et sapienter agende profiteretur nomina
rerum commutantem Cumque idem sentiret quod
omnes quibus rebus eandem vim tribueret alia nomina
imponentem verba modo mutantem de opinionibus
nichil detrahentem patronus in causa in epilo-
go pro reo dicens negaret esse malum exilium pu-
blicacionem bonorum Hec reicienda esse non fugi-
enda nec misericordem iudicem esse oportere In
concione autem si loqueretur Si hannibal ad portam
venisset murumque iaculo traiecisset negaret esse in
malis capi venire interfici patriam amittere An
senatus cum triumphum affricano decerneret quod
de eius virtute aut felicitate posset dicere Si neque
virtus in nullo nisi sapiente nec felicitas vere
dici potest Que est igitur philozophia que communi
more in foro loquitur in libello suo presertim cum
quod illi verbis suis significent in eo nichil novetur

de ipsis rebus nichil mutetur eadem res manet alio
modo. Quid enim interest divitias opes valitudinem
bona dicas an ne preposita cum ille qui ista bona dicit
nichilo plus iis tribuat quam tu qui eadem illa prepos-
ta nominas. Itaque homo in primis ingenuus et gravis di-
gnus illa familiaritate scipionis et lelii panecius cum
ad Q. tuberonem de dolore patiendo scriberet quod
esse caput debeat si probari posset nusquam posuit non
esse malum dolorem sed quid esset et quale quantumque
in eo esset alieni. Deinde que ratio esset perfe-
rendi cuius quidem quoniam stoicus fuit sententia
condempnata mihi videtur esse inanitas ista ver-
borum. Sed ut propius ad ea cato accedam que ad ea
dicta sunt pressius agamus ea que modo dixisti cum
iis conferamus que tuis antepono. Que sunt igitur
communia nobis cum antiquis iis ac utamur quasi con-
cessis que in controversia veniunt. Ac hec si pla-
cet disseramus. Mihi vero placet agi subtilius et ut ipse
dixisti pressius. Que enim adhuc protulisti popularia
sunt ego autem a te elegantiora desidero. A me-
ne tu inquam. Sed tamen enitar et si minus multa mihi
occurrent non fugiam ista popularia. Sed primum posi-
tum sit nosmet ipsos commendatos esse nobis primamque
ex natura hanc habere appetitionem ut conservemus
nosmet ipsos. Hoc convenit. Sequitur illud ut animad-
vertamus qui simus ipsi ut nos quales esse oportet
conservemus. Sumus igitur homines ex animo con-
stamus et corpore que sunt cuiusdam modi. nosque
oportet ut prima appetitio naturalis postulat hec di-
ligere constituereque ex his finem illum summi boni atque
ultimi. Quem si prima vera sunt ita constitui ne-
cesse est earum rerum que sint secundum naturam quam
plurima et quam maxima adipisci. Hunc igitur fi-
nem illi tenuerunt quodque ego pluribus verbis illi bre-
vius secundum naturam vivere. Hoc iis bonorum vide-
atur extremum. Age nunc isti doceant vel tu potius
Quis enim ista melius. Quonam modo ab isdem princi-
piis profecti efficiatis ut honeste vivere summum bonum
sit et quonam modo aut quo loco corpus subito
deserueritis omniaque ea que cum secundum naturam sint
absint a nostra potestate ipsum denique officium. Queso

Igitur quoniam modo hec tante commendationes a natura profecte
subito a sapientia relicte sint. Quod si non hominis summum
bonum quereremus sed cuiusdam animantis ys autem esset
nichil nisi animus liceat enim fingere aliquid eiusmodi
quo verum facilius reperiamus tamen illi animo non esset hic ve-
ster finis. Depideraret enim valitudinem vacuitatem doloris
appeteret etiam conservationem sui earumque rerum custodiam
finemque constitueret secundum naturam vivere quod est ut dixi ha-
bere ea que secundum naturam sint vel omnia vel plurima et
maxima. Cuiuscumque enim modi animal constitueris ne-
cesse est etiam si id sine corpore sit ut fingimus tamen
esse in animo quedam similia eorum que sunt in corpore
ut nullo modo nisi ut exposui constitui possit bonorum
finis. Crisippus autem exponens differentias animantium
ait alias earum corpore excellere alias autem animo
nonnullas valere utraque re. Deinde disputat quod
cuiusque generis animalis statui deceat extremum. Cum
autem hominem in eo genere posuisset ut ei tribueret
animi excellentiam summum bonum id constituit non
ut excellere animus sed ut nihil esse preter animum videretur.
Uno autem modo in virtute sola summum bonum recte po-
neretur si quod esset animal quod totum ex mente con-
staret id ipsum tamen sic ut ea mens nihil haberet
in se quod esset secundum naturam ut valitudo est. Sed
id nec cogitari quidem potest quale sit ut non re-
pugnet ipsum sibi. Sin dicit obscurari sepe quedam
nec apparere quia valde parva sint nos quoque con-
cedimus quod dicit Epicurus etiam de voluptate
que minime sint voluptates eas obscurari esse sepe
et obrui. Sed non absunt in eo genere tan-
te comoditates corporis tamque producte temporibus
tamque multe. Itaque in quibus propter earum exiguitatem
obscuratio consequitur sepe accidit ut nil interes-
se nostra fateamur sint illa nec ne sint ut in
sole quod a te dicebatur lucernam adhibere nichil
interest aut teruncium adhibere et adicere Cresi pecu-
nie. Quibus autem in rebus obscuratio tanta
non sit fieri tamen potest ut idipsum quod interest non
sit magnum ut ei qui iocunde vixerit annos
decem si eque iocunda vita menstrua addatur
quia momentum aliquod habeat ad iocundum acces-

sionem bonum sit. Si autem id non conceditur non continuo
vita beata tollitur. Bona autem corporis huic sunt quod
posterius posui similiora. Habent accessionem dignam in
qua elaboretur ut mihi in hoc Stoici iocari videantur
interdum cum ita dicant si ad illam vitam que cum virtute de-
gatur ampulla aut strigilis accedat sumpturum sapien-
tem eam vitam potius quo hec adiecta sint. Nec
beatiorem tamen ob eam causam fore. Hoc simile tandem
est non risu potius quam oratione eiciendum. Am-
pulla enim sit nec ne sit. Quis non iure optimo ir-
rideatur si laboret. At vero gravitate membrorum et
cruciatu dolorum si quis quem levet magnam ineat
gratiam. Nec si ille sapiens ad tortoris eculeum a ty-
ranno ire cogatur similem habeat vultum ac
si ampullam perdidisset. Sed ut magnum et dif-
ficile certamen iniens cum sibi cum capitali adver-
sario dolore dulce depugnandum videret excita-
tant omnes rationes fortitudinis ac sapientie.
Quarum presidio iniret illud difficile ut dixi
magnumque prelium. Deinde non querimus quid ob-
scuretur aut intereat quia sit admodum parvum
sed quid tale sit ut expleat summam. Una voluptas
e multis obscuratur in illa vita voluptaria. Sed
tamen ea quamvis sit pars est eius vite que posita
est in voluptate. Nummus in dur. si divitiis ob-
scuratur pars est tamen divitiarum. Quare obscurentur
etiam hec que secundum naturam esse dicimus in vita
beata. Sint vero partes vite beate. Atqui si ut
convenire debet inter nos est quedam appetitio natura-
lis ea que secundum naturam sunt appetens eorum omnium
est aliqua summa facienda. Quo constituto tum
licebit ociose illa querere de magnitudine rerum
de excellentia quanta in quoque sit ad beate viven-
dum. De istis ipsis obscurationibus que propter exigu-
itatem vix aut ne vix quidem appareant. Quid
de quo nulla dissensio est. Nemo enim est qui a-
liter dixerit quin omnium naturarum simile esse vel ad
quod omnia referrentur. Quod est ultimum rerum ap-
petendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Que
est enim que se unquam deserat aut partem aliquam
sui aut eius partis habitum aut vim aut ullius

ceterarum rerum que secundum naturam sunt aut motu aut statu.
Que autem natura sue prime institutionis oblita est?
Nulla profecto quin suam vim retineat a primo ad
extremum. Quo igitur euenit ut hominis natura sola esset
que hominem relinqueret. Que obliuisceretur corporis
quo summum bonum non in toto homine sed in parte
hominis poneret. Quo modo autem quod ipsi etiam fatentur
constatque inter omnes conuenit ut simile sit omnis nature
illud ultimum de quo queritur. Tum etiam esset simile si in
ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum quod in
quaque excelleret. Tale enim visum esset ultimum stoicorum.
Quid dubitas igitur mutare principia nature. Cur
enim dicis omne animal simul atque sit ortum applicatum esse
ad se diligendum esseque in se conseruando occupatum.
Quin potius ita dicis omne animal applicatum esse
ad id quod in eo sit optimum et in eius unius occu-
patum esse custodia. Reliquasque naturas nihil aliud agere
nisi ut id conseruent quod in quaque optimum sit. Quo
autem optimum si bonum preterea nullum est? Si autem reliqua
appetenda sunt cur quod est ultimum rerum appeten-
darum uel non aut ex omnium earum aut ex plurimarum
et maximarum appetitione concluditur. Ut Phidias potest
a principio inchoare signum idque perficere potest ab alio
inchoatum accipere et absoluere. Huic est sapientia similis.
Non enim ipsa genuit hominem sed accepit a natura in-
choatum. Hanc intuens debet institutum illud quasi si-
gnum absoluere. Qualem igitur natura hominem inchoauit
et quod est munus quod opus sapientie quid est
quod ab ea absolui et perfici debeat. Si nihil in
eo quidem perficiendum est preter motum ingenii quendam
id est rationem. Necesse est huic ultimum esse ex uirtute
uitam agere. Rationis enim perfectio est uirtus. Si
nihil nisi corpus summa erunt illa ualitudo
uacuitas doloris pulchritudo cetera. Nunc de hominis
summo bono queritur. Quid ergo dubitamus in tota
eius natura querere quid sit effectum. Cum enim constet inter
omnes omne officium munusque sapientie in homine
colendo esse occupatum. Alii ne existimes contra stoi-
cos solum dici eas sententias afferunt ut summum bonum
in eo genere ponant quod sit extra nostram potestatem
tamquam de inanimo aliquo loquantur. Alii contra quasi

Corpus nullum sit hominis Ita per animum nihil curat
tum praesertim ipse quoque animus ornare nostro quod
sit Itaque non eo spectare nullumque sed in quodam
genere corporis ut ne eis quidem virtute una co-
tenuis sit Sed appetat aliquam dolorem animi al-
terum utrumque id faciant ut si leva parte neglige-
rent dextram tuerentur aut ipsius animi ut
fecit Herillus cognitionem amplexaretur actionem reli-
queret eorum enim omnium multa praetermittentium dum eli-
gant aliquid quod sequantur quasi curta sententia
At vero illa perfecta atque plena eorum qui cum de ho-
minis summo bono quererent Nullam in eo neque animi
neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt
Vos autem Cato quia virtus ut omnes fatemur altissi-
mum locum in homine et maxime excellentem teneat
et quod eos qui sapientes sunt absolutos et perfectos puta-
mus aciem animorum nostrorum virtutis splendore perstrin-
gitis In omni enim animante est summum aliquid
atque optimum in equis et in canibus quibus tamen
et dolore vacare opus est et valere sic igitur in
homine perfectio ista in eo potissimum quod est optimum
id est in virtute laudatur Itaque mihi non satis
videmini considerare quod iter sit nature quaeque
progressio Non enim quod hoc facit in frugibus
ut cum ad spicam perduxerit ab herba reli-
quat et pro nihilo habeat herbam idem
facit in homine cum eum ad rationis habitum pro-
duxerit Semper enim ita assumit aliquid ut ea que
prima dederit ne deserat Itaque sensibus ra-
tionem adiunxit et ratione effecta sensus non
reliquit ut si cultura vitium cuius hoc munus
est ut efficiat quod vitis cum partibus omnibus
suis optime se habeat sed sic intelligamus licet
enim ut nos quoque soletis fingere aliquid docendi
causa Si igitur illa cultura vitium in vite insit
ipsa cetera credo velit que ad colendam vitem at-
tinebant sicut antea se autem omnibus vitis parti-
bus preferat statuatque nihil esse melius in vite
quam se Similiter sensus cum accessisset ad na-
turam tuetur illam quidem sed etiam per se
tuetur Cum autem assumpta ratio est tanto in
dominatu locatur ut omnia illa prima nature

humane vite gubernantur Itaque non discedit ab eorum curatione quibus prepositam vitam omnem debet gubernare ut mirari satis eorum inconstanciam non possimus Naturalem enim appetitionem quam vocant hormen Itemque officium ipsam etiam virtutem tuentem volunt esse earum rerum que secundum naturam sunt Cum autem ad summum bonum volunt pervenire transiliunt omnia et duo nobis opera pro uno relinquunt ut alia sumamus alia appetamus potiusque uno fine omnia concluderent At enim nova dicitis virtutem non posse constitui si ea que extra virtutem sint ad beate vivendum pertineant quod totum contra est Introduci enim virtus nullo potest nisi omnia que leget queque reiciat unam referantur ad summam Nam si nos omnino negligimus in Aristonea vitia et peccata incidemus obliviscemurque que virtuti ipsi principia dederimus Sin ea negligimus neque tamen ad finem summi boni referemus non multum ab Herilli levitate aberrabimus Duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda Facit enim ille seiuncta duo ultima bonorum que ut essent vera coniungi debuerunt Nunc ista separentur ut disiuncta sint quo nihil potest esse perversius Itaque contra est ac dicitis Nam constitui virtus nullo modo potest nisi ea que sunt prima nature ut ad summum pertinentia tenebit Quesita enim virtus est non que relinqueret naturam sed que tueretur At illa ut vobis placet partem quandam tuetur reliquam deserit Atque ipsa institutio hominis si loqueretur hec diceret primos suos quasi ceptus appetendi fuisse ut conservaret se in ea natura in qua ortus esset Nondum autem explanatum satis erat quid maxime natura vellet Explanetur igitur Quid ergo aliud intelligetur nisi ut ne qua pars nature negligatur In qua si nihil est preter rationem sit in una virtute finis bonorum Sin est etiam corporis ipsa explanatio nature Nempe hoc fecerit ut ea que ante explanationem tenebimus relinquamus Ergo id est convenienter nature vivere a natura discedere ut quidam philosophi cum a sensibus profecti maiora quedam et diviniora vidissent sensus reliquerunt Sic isti cum ex appetitione

rerum virtutis pulchritudinem aspexisset omnia que
preter virtutem ipsam viderat abiecerit oblita namque
omnem appetendarum rerum ita late patet ut a prin-
cipiis permaneret ad fines neque intelligit se
rerum illarum pulchritudinem atque admirabilium fundamenta
subducere. Itaque mihi videntur omnes quidem
illi errasse qui finem bonorum esse dixerunt ho-
neste vivere. Sed alius alio magis. Pirrho maxime
qui virtute constituta nihil omnino quod appetendum
sit relinquat. Deinde Aristo qui nihil relinquere
non est ausus. Introduxit autem quibus commotus
sapiens appeteret aliquid quodcumque in mentem
incideret et quodcumque tamquam occurreret. Is hoc melior
quam Pirrho quod vel aliquod genus appetendi
dedit deterior quam ceteri quod penitus a natura recessit.
Stoici autem quod finem bonorum in una virtute po-
nunt similes sunt illorum. Quod autem principium
officii querunt melius quam Pirrho quod ea non
occurrentia fingunt vincunt Aristonem. Quod autem
ea que ad naturam accommodata et per se assumenda esse
dicunt non adiungunt ad finem bonorum desciscunt a
natura et quodammodo sunt non dissimiles Aristonis.
Ille enim occurrentia nescio que comminiscebatur hi autem
ponunt illa quidem prima nature sed ea se iungunt
a finibus et a summa bonorum que cum proponunt
ut sit aliqua rerum selectio naturam videntur sequi. Cum
autem negant ea quicquam ad beatam vitam pertinere
rursus naturam relinquunt. Atque adhuc ea dixi cau-
sa cur Zenoni non fuisset quamobrem a superiorum
auctoritate discederet. Nunc reliqua videamus
nisi aut ad hec Cato dicere aliquid vis aut nos
iam longiores sumus. Neutrum vero inquit ille.
Nam et a te perfici istam disputationem volo nec tua
mihi oratio longa videri potest. Optime inquam.
Quid enim mihi potest esse optatius quam cum Catone
omnium virtutum auctore de virtutibus disputare. Sed
primum illud vide gravissimam illam sententiam que fa-
miliam ducit honestum quod sit id esse solum
bonum honesteque vivere bonorum finem quem fore
vobis cum omnibus qui in una virtute constituunt
finem bonorum quodque dicitis informari non posse

Virtutes et quamquam nisi quod honestum sit nominetur) quod
dicitur ab illis quos modo nominavi. Mihi autem equi-
us videbatur Zenonem ad Polemonem disceptantem
a quo que essent principia nature acceperat a com-
munibus progredientem videre ubi primum insisteret et
unde causa controversie nasceretur non stantem cum hiis qui
ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura
profecta ut hisdem argumentis quibus illi uteretur
hisdemque sententiis. Hinc vero illud probo quod
cum docuistis ut nobis videmini solum bonum esse quod
honestum sit tum rursum dicitis initia proponi ne-
cesse esse apta et accommodata nature quorum ex
selectione virtus possit existere. Non enim in selec-
cione virtus ponenda erat ut idipsum quod erat
bonorum ultimum aliquid aliud acquireret. Nam omnia
que sumenda queque legenda aut optanda sunt
inesse debent in summa bonorum ut is qui eam
adeptus sit nihil preterea desideret. Videsne ut
in quibus summa est in voluptate perspicuum
sit quid hiis faciendum sit aut non faciendum ut
nemo dubitet eorum omnia officia quo spectare
quid sequi quid fugere debeant. Sit hoc ultimum
bonorum quod nunc a me defenditur apparet
statim que sint officia que actiones. Vobis
autem quibus est nihil aliud propositum nisi rectum
atque honestum unde officii unde agendi princip-
ium nascatur non reperietis. Hoc igitur que-
rentes omnes et hii qui quodcumque in mentem veniat
aut quodcumque occurrat se sequi dicunt. Et vos
ad naturam revertemini quibus natura iure respon-
deat non esse verum aliunde finem beate vivendi
a se principia rei gerende peti. Esse enim unam
rationem qua et principia rerum agendarum et
ultima bonorum continetur. Atque ut Aristonis
esset explosa sententia dicentis nihil differre aliud
ab alio nec esse res ullas preter virtutes et vi-
cia inter quas quicquam omnino interesset sic errare
Zenonem qui nulla in re nisi in virtute aliquam
propensionem ne minimi quidem momenti ad
summum bonum adipiscendum esse diceret. Et cum
ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet

ad appetendum aut recte esse in his momenta dicas.
quasi vero hec appetenda non ad summum boni adep-
tionem pertineant. Illud autem minus consentaneum est
quod aiunt cognito summo bono reverti ad se na-
turam ut ab ea petant agendi principium id est of-
ficii. Non enim actionis aut officii ratio impellit
ad ea que secundum naturam sunt appetenda sed ab hiis
et appetitio et actio commovetur. Nunc venio ad
illa tua brevia que consectaria esse dicebas. Et pri-
mum illud quo nihil potest esse brevius bonum omne
laudabile, laudabile autem omne honestum igitur est
bonum honestum. O plumbeum pugionem. Quis enim
tibi primum illud concesserit quo quidem concesso nihil
opus est secundo. Si enim omne bonum laudabile est,
omne honestum est. Quis tibi ergo istud dabit pre-
ter Pirrhonem Aristonem eorumve similes quos tu
non probas. Aristoteles Xenocrates tota illa
familia non dabit. Quippe qui valitudinem
vires divitias gloriam multa alia bona esse lauda-
bilia non dicant. Et hi quidem non sola virtute
finem bonorum contineri putant ut rebus tamen omnibus
virtutem anteponant. Quid censes facturos esse
eos qui omnino virtutem a bonorum fine segregave-
runt Epicurum Hieronymum illos etiam si qui Car-
neadeum finem tueri volunt. Iam aut Callipho
aut Diodorus quo poterunt tibi istud conce-
dere qui ad honestatem aliud adiungunt quod ex
eodem genere non sit. Placet igitur tibi Cato cum
res sumpseris non concessas ex illis efficere quod
velis. Iam ille sorites quo nihil putatis esse
viciosius quod bonum sit id esse optabile id esse ex-
petendum, quod expetendum laudabile. Deinde
reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto eodem
enim modo tibi nemo dabit quod expetendum sit
id esse laudabile. Illud vero minime consectarium
sed in primis hebes illorum scilicet non tuum gloriatione
dignam esse beatam vitam que non possit sine
honestate contingere ut iure quisquam glorietur.
Dabit hoc Zenoni Polemon etiam magister eius
et tota illa gens et reliqui qui virtutem omnibus
rebus multo anteponunt adiungunt ei tamen

aliquid in summo bono ponendo Si enim virtus digna est
gloriatione ut est tamque prestat ceteris rebus ut dici vix
possit et beatus esse poterit virtute una preditus
carens ceteris nec tamen illud concedet tibi preter virtutem
nihil in bonis esse ducendum Ille autem quibus summum
bonum sine virtute est non dabunt fortasse vitam be-
atam habere in quo possit iure gloriari et si illi qui-
dem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas Vides
igitur te aut ea sumere que non concedantur aut
ea que etiam concessa te nihil iuvent Equidem in
omnibus istis conclusionibus hoc putarem philoso-
phia nobisque dignum et maxime cum summum
bonum quereremus vitam nostram consilia vo-
luntates non verba corrigi Quis enim potest istis que
tu ut ais brevibus delectari et acutis et auditis
de sententia decedere Nam cum ea spectant et ha-
bent audire cum dolor malum non sit dicunt
illud asperum esse dolorem molestum odiosum contra
naturam difficilem toleratu Sed quia nulla
sit in dolore nec fraus nec improbitas nec ma-
licia nec culpa nec turpitudo non esse illud ma-
lum Hec qui audierit ut ridere non curat discedet
tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum quam ve-
nerat Tu autem negas fortem esse quemquam
posse qui dolorem malum putat Cur fortior
sit si illud quod tu te concedis asperum et vix
ferendum putabit Ex rebus enim timiditas non
ex vocabulis nascitur Et ais si una littera com-
mota sit fore ut tota labet disciplina Utrum
igitur litteram videor an totas paginas commovere
Ut enim sit apud illos id quod est a te laudatum or-
do rerum conservatus et omnia inter se apta et conne-
xa Si enim aiebas tamen persequi non debemus si a
falsis principiis profecta congruent ipsa sibi et
a proposito non aberrant In prima igitur consti-
tucione Zeno tuus a natura recessit cumque summum
bonum posuisset in ingenii prestancia quam virtu-
tem vocamus nec quicquam aliud bonum esse dixisset
nisi quod esset honestum nec virtute posse constare
si in ceteris rebus esset quicquam quod alio aliud me-
lius esset aut peius His propositis tenuit po-

aut consequentia Recte dicis negare enim non possum
Sed ita falsa sunt ea que consequuntur ut illa e quibus
hec nata sunt vera esse non possint Docent enim nos
ut scis dialectici si ea que rem aliquam sequantur si
falsa sint falsam illam ipsam esse quam sequantur
Ita fit ista conclusio non solum vera sed ita perspicua
ut dialectici nec rationem quidem reddi putent oportere
Si illud hoc igitur ne illud quidem Sic consequentibus
nostris sublatis prima tollantur que sequuntur et
Omnes qui non sunt sapientes eque miseros esse
sapientes omnes summe beatos esse Recte facta
omnia equalia omnia peccata paria que cum magnifi-
ce primo dici viderentur considerata minus probantur
Sensus enim cuiusque et natura rerum Atque ipsa veritas
clamat quodammodo non posse adduci ut inter
eas res quas zeno exequaret nihil interesset Po-
stea tuus ille penulus Satis enim ciuis tum hanc
a philosophia dicentes nos a poetica profectos
homo igitur acutus causam non obtinens repug-
nante natura verba versare cepit Et primum rebus
his quas nos bonas dicimus concessit ut habe-
rentur apte habiles ad naturam accommodate fateri
que cepit sapienti hoc est summe beato commodius
tamen esse si ea quoque habeat que bona non audet
appellare nature ipsi accommodata esse concedit ne-
gatque platonem si sapiens non sit eadem esse in
causa qua tyrannum dionisium huic mori optimum
esse propter desperationem sapientie illi propter spem vivere
Peccata autem partim esse tollerabilia partim nec
Propterea quod alia peccata plures alias pauciores
quasi numeros officiorum preterirent Iam insipientes
alios ita esse ut nullo modo ad sapientiam possent perveni-
re alios qui possent si id egissent sapientiam
consequi Hic loquebatur aliter atque omnes sentiebat
idem quod ceteri nemo vero minoris estimandum
ducebat ea que ipse bona negaret esse quam illi qui
ea bona esse dicebat Quid igitur voluit sibi
qui illa mutavit Saltem aliquid de pondere de-
traxisset et paulo minoris estimavisset ea quam
Peripatetici ut sentire quoque aliud non solum dicere
videretur Quid de ipsa beata vita ad quam

Omnia referunt que dicunt Negant eam esse que
expleta sit omnibus his rebus quas natura desideret
totamque eam in una virtute ponunt Cumque omnis
controversia aut de re soleat aut de nomine esse utraque
earum nescio si aut res ignoratur aut erratur de
nomine quorum si neutrum est opera danda est ut ver-
bis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis
id est rem declarantibus Num igitur dubium est
quin si in re ipsa nihil peccatur a superioribus ver-
bis illi commodius utuntur Videamus igitur senten-
tias eorum tum ad verba redeamus Dicunt appeti-
tionem animi moveri cum aliquid ei secundum naturam
esse videatur omniaque que secundum naturam sint
estimatione aliqua digna eaque pro eo quantum
in quoque sit ponderis esse estimanda queque secundum
naturam sint partim nihil habere in sese eius ap-
petitionis de qua sepe iam diximus que nec
honesta nec laudanda dicantur partim que volu-
ptatem habeant in omni animante sed in homine
rationem etiam Ex iis que sint apta ea honesta
ea pulchra ea laudabilia Illa autem superiora na-
turalia nominant que coniuncta cum honestis vitam
beatam perficiunt et absolvunt Omnium autem eorum com-
modorum quibus non illi plus tribuunt qui illa bo-
na esse dicunt quam Zeno qui negat Longe prestantissi-
mum esse quod honestum esset atque laudabile Sed si
duo honesta proposita sint alterum cum valetudine
alterum cum morbo non esse dubium ad utrum eorum
natura nos ipsa deductura sit Sed tamen tantam
vim esse honestatis tantumque eam rebus omnibus
prestare et excellere ut nullis nec suppliciis nec pre-
miis demoveri possit ex eo quod rectum esse
decreverit omniaque que dura difficilia adversa vi-
deantur ea virtutibus iis quibus a natura essemus
ornati opteri posse non faciles illas quidem nec
contemnendas quid enim esset in virtute tantum
Sed ut hoc iudicaremus non esse in iis partem
maximam positam beate aut secus vivendi Ad
summam ea que Zeno estimanda et sumenda
et apta nature esse dixit eadem illi bona appel-
lant Vitam autem beatam esse illi eam que constaret et

His rebus quas dixi aut plurimis aut maximis
Zeno autem quod suam quod propriam speciem haberet
cur appetendum sit id solum bonum appellat beatam autem
vitam eam solam que cum virtute degatur Si de re
disceptari oportet nulla mihi tecum cato potest esse
dissensio Nichil est enim de quo aliter tu senties
atque ego modo commutatis verbis ipsas res con-
ferimus nec hoc ille non videt sed verborum ma-
gnificencia est et gloria delectatus qui si ea que
dicit ita sentiret ut verba significant quid inter eum
et vel pirrhonem vel aristonem interesset Sin
autem eos non probat quid attinuit cum his quibus
cum re conveniebat verbis disceptare Quid si re-
viviscant platonis illi et deinceps qui eorum
auditores fuerunt et tecum ita loquantur Nos vero
te M. cato studiosissimum philosophie iustissimum virum
optimum iudicem religiosissimum testem audire
admirati sumus quid esset cur nobis stoicos ante-
ferres qui de rebus bonis et malis sentirent
ea que ab hoc polemone Zeno cognoverat
sed nominibus uterentur his que prima specie ad-
miratione re explicata risum moveret Tu
autem si tibi illa probantur cur non propriis verbis
illa tenebas Sin auctoritas te commovebat nobisne
omnibus et platoni ipsi nescio quem illum ante-
ponebas presertim cum in re publica princeps esse vel-
les ad eamque tuendam cum summa tua dignitate ma-
xime a nobis ornari atque instrui posses Nobis
ista quesita a nobis descripta notata precepta sunt
omniumque rerum publicarum rationes genera status mutati-
ones leges etiam et instituta et mores civitatum
Tel perscripsimus Eloquentie vero que et principibus maxi-
mo ornamento est et qua te audivimus valere plu-
rimum quantum tibi ex monumentis nostris addidisses
Ea cum dixissent quid tandem talibus viris re-
sponderes Rogarem te inquit ut diceres pro me tu idem
qui illis orationem dictavisses vel potius pau-
lum loci mihi ut his responderem dares nisi
et te audire nunc mallem et istis tamen alio tempore re-
sponsurus essem tum scilicet cum tibi Atque si vere re-
spondere velles cato hec erant dicenda Nec eos

tibi non probatos tantis ingeniis homines tantaque auc-
toritate sed te animadvertisse quas res illi parum
propter antiquitatem vidissent eas a Stoicis esse per-
spectas eisdemque de rebus hos cum acutius de-
seruisse cum sensisse gravius et fortius Quippe
qui primum valitudinem bonam expetendam negent
esse eligendam dicant nec quia bonum sit valere
sed quia sit non nihilo estimandum Neque tamen
pluris quam illis videmur qui illud non dubitant
bonum dicere Hoc vero te ferre non potuisse
quod antiqui illi quasi barbati ut nos de no-
stris solemus dicere crediderunt eius qui honeste
viveret si idem et bene valeret bene audiret
copiosus esset optabiliorem fore vitam melioremque
et magis expetendam quam illius qui eque
vir bonus multis modis esset Ut Ennii Alcmeo
circumventus morbo exilio atque inopia Illi igitur
antiqui non tam acute optabiliorem illam vitam
putant prestantiorem beatiorem Stoici autem tantum
modo preponendam in seligendo non quo beatior
hec vita sit sed quod ad naturam accommodatior
et qui sapientes non sint omnes eque miseros
esse Stoici hoc videlicet viderunt Illos autem
id fugerat superiores qui arbitrabantur homines
sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo
miseriores esse quam eos qui cum caste et integre
viverent nondum perfectam illam sapientiam essent
consecuti Atque hoc loco similitudines eas quibus illi uti
solent dissimillimas proferebas Quis enim ignorat
si plures ex alto emergere velint propius
fore eos quidem ad respirandum qui ad summam
iam aquam appropinquant sed nihilo magis
respirare posse quam eos qui sunt in profundo Nihil
igitur adiuvat procedere et progredi in virtute
quominus miserrimus sit antequam ad eam
pervenerit quoniam in aqua nihil adiuvat Et quoniam
catuli qui iam despecturi sunt ceci eque ac hi
qui modo nati Platonem quoque necesse est quoniam non-
dum videbat sapientiam eque cecum animo ac Pha-
larim fuisse Ista similia non sunt Cato in
quibus quamvis multum processeris tamen illud in eadem

Causa est a quo ab esse velis donec evaserit
Vter non ille respuit antequam emerserit et candi eque
erat priusquam displicerent ac si ita funeri essent
Illa sunt similia habes unus est cupiu ardorum
corpore illius languescat hic curatione adhibita levat-
ur alter plus valet quam tamdiu alter videt hi
similes sunt omnibus qui virtutem student levatur morbus
levantur erroribus nisi forte censes T. gracchum
patrem beatiorem fuisse quam filium cum alter stabile
rempublicam studuerit alter everterit nec tamen ille erat sapiens
Quibus non hic aut quod aut ubi aut unde Sed quod
studebant laudi et dignitati multum virtute profecerat
Conferam aut animi tui drusum cum C. gra-
cho cuius fere equalem Qui hic reipublice vulnera in-
ponebat eadem ille sanabat Sed nihil est quod
tam miseros faciat quam impietas et scelus ut eum
omnes insipientes sint miseri quod profecto sunt Non
est tamen eque miser qui patrie consulit et is qui
illam extinctam cupit levandum igitur maior magis
fit hic qui habet adiutorem professionis aliquando
Vestra aut progressione ad virtutem sicut aiunt leva-
tionem maiorum fieri negant At quo utuntur ho-
mines acuti argumento ad probandum oportere primum e
considerare Quare inquit circulum summa esse
potest caram eam contrariam summa potest augeri ad illum
aut summam accedere nihil potest ne vicia igitur cre-
scere poterunt que sunt virtutum contraria Utrum
igitur tandem professionis ne dubia opus sit an du-
biis professione tollenti sit At qui hec professione est intra
alia in aliis esse maiora Illud dubium an id quod
summum bonum dicitis hec quem nam sit posset accres-
sio Nos aut cum professionis dubia debemus illustra-
re dubiis professionem tantum tollere Itaque vis eadem
ratione qua sed prudentie usus hercules Si
non probatum vera aliis alia maiora non sunt quoniam
ne ad finem quidem cum bonorum quem nos fa-
cimus quicumque possit accedere cum professione est vera nos
esse omnino paria fines bonorum nobis mutandus est
Levamus illud non necesse est cui consequens aliquod
falsum sit Illud autem ad consequens sit non posse
esse verum Que est igitur causa istarum angustiarum

Gloriosa ostentacio in constituendo summo bono. Cum
enim quod honestum sit id solum bonum esse confirma-
bitur tollitur cura valitudinis diligencia rei familia-
ris administracio reipublice ordo gerendorum negociorum
officia vite ipsum denique honestum in quo uno vultis
esse omnia deserendum est que diligentissime contra
aristonem dicuntur a crisippo ex ea difficultate
ille fallaciloquele ut ait accius malicie nate
sunt. Quid enim sapiencia ubi pedem poneret
non habebat sublatis officiis omnibus officia autem
omnia tollebantur delectu omni et discrimine re-
moto que esse poterant rebus omnibus sic exe-
quatis ut inter eas nihil interesset. Ex his angu-
stiis ista evaserunt deteriora quam aristonis illa
tamen simplicia vestra versuta. Roges enim aristo-
nem bona ne ei videantur hec vacuitas doloris
divicie valitudo neget. Quid que contraria sunt
his male ne nihilo magis. Zenonem roges res-
pondeat totidem verbis. Admirantes queramus
ab utroque quonam modo vitam agere possimus si
nihil interesse nostra putemus valeamus egrine
simus vacemus an cruciemur dolore frigus
famem propulsare possimus necne possimus. Vives
inquit aristo magnifice atque preclare quod erit
cumque visum ages numquam angere numquam cupies
numquam timebis. Quid zeno portenta hec esse
dicit. Nec ea racione ullo modo posse vivi sed
differre inter honestum et turpe nimium quantum
nescio quid inmensum inter ceteras res nihil omnino
interesse. Idem adhuc audi reliqua et risum contine
si potes. Media illa inquit inter que nihil inter-
est tamen eiusmodi sunt ut eorum alia eligenda sint
alia reicienda alia omnino negligenda hoc est
ut eorum alia velis alia nolis alia non cures.
At modo dixeras nihil in istis rebus esse quod inter-
esset. Et nunc idem dico inquies. Sed ad virtutes
et ad vicia nihil interesse. Quis istud quasi nescie-
bat. Verum audiamus. Ista inquit que dixisti va-
lere locupletem esse non dolere bona non dico sed
dicam grece proegmena latine autem producta
sed proposita aut precipua malo sit tollerabilius

et molliter. Illa autem morbum egestatem dolorem non
appello mala sed libet reiectanea. Itaque illa non
dico me expetere sed legere nec optare sed sumere
contraria autem non fugere sed quasi secernere. Quid
autem reliquique platonis alumni se omnia que secundum
naturam sint bona appellare que autem contra mala
Videsne igitur Zenonem tuum cum Aristone verbis con-
sistere dissidere cum Aristotele et cum illis re consentire
verbis discrepare. Cum igitur de re conveniat
malumus usitate loqui aut doceat paratiorem
me ad contemnendam pecuniam fore si illam in re-
bus propositis quasi in bonis duxero fortioremque
in patiendo dolore si eum asperum et difficilem
perpessu et contra naturam esse quam si malum dixe-
ro. Facete M. Piso familiaris noster et alia multa
et hoc loco stoicos irridebat. Quid enim aiebat bonum
negas esse divitias propositum esse dicis quid adiuvas
avaritiamne minuis. Quod si verbum sequimur pri-
mum longius verbum prepositum quam bonum. Nichil
ad rem. Ne sit sane aut certe gravius. Nam bo-
num ex quo appellatum sit nescio propositum ex eo cre-
do quod proponatur aliis. Id mihi magnum vide-
tur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zeno-
ne qui eas in propositis poneret quam ab Aristotele
qui bonum esse divitias fateretur sed neque magnum
et pre rectis honestisque contemnendum ac despicien-
dum nec magnopere expetendum omninoque de omnibus
istis verbis a Zenone mutatis ita disputabat et
que bona negarentur esse ab eo appellari quam a
nobis hec tristioribus. Piso igitur hoc modo
vir optimus tuique ut scis amantissimus. Nos pau-
cis ad hec additis finem faciemus aliquando. Longum
est enim ad omnia respondere que a te dicta sunt.
Nam ex eisdem verborum prestigiis et regna
nata vobis sunt et imperia et divitie et tante quidem
ut omnia que ubique sint sapientis esse dicatis. So-
lum preterea formosum solum liberum solum civem omnia
contraria quos etiam insanos esse vultis. Hec
paradoxa illi nos admirabilia dicamus. Quid autem
habent admirationis cum prope accesseris. Conferam
tecum quam cuique verbo subiciatis nulla erit contr-

versa omnia peccata paria dicantur Non ego tecum
iam ita loquar ut ysdem his de rebus cum L. Mu-
renam te accusante defenderem Apud imperitos
tum illa dicta sunt aliquid etiam corone dandum Nunc
agendum est subtilius peccata quo nam modo quia
nec honesto quicquam honestius nec turpi turpius
Perge porro nam de isto magna dissensio est
Illa argumenta propria videamus cur omnia peccata
sint paria ut inquit in fidibus pluribus si nulla
earum ita contenta nervis sit ut concentum servare
possit omnes eque contente sint sic peccata quia dis-
crepant paria sunt Igitur hoc ambiguo ludis
eque enim contingit omnibus fidibus ut contente
sint illud non continuo ut eque incontente Collo-
catio igitur ista te nihil iuvat Nec enim omnes avaricias
si eque avaricias esse dixerimus sequitur etiam ut
equos esse dicamus, Ecce aliud simile dissimile.
Ut enim inquit gubernator eque peccat si palearum
navem evertit et si auri Item eque peccat qui
parentem et qui servum iniuria verberet Hec
non videre cuius generis onus navis vehat et
ad gubernatoris artem nihil pertinere Itaque aurum
paleam ne portat ad bene aut ad male guber-
nandum nihil interesse At quid inter parentem aut ser-
vum intersit intelligi et potest et debet Ergo in gu-
bernando nihil in officio plurimum interest quo
in genere peccetur et si in ipsa gubernatione ne-
gligentia est navis eversa maius est peccatum
in auro quam in palea Omnibus enim scilicet arti-
bus volumus attributam esse eam que communis
appellatur prudentiam quam omnes qui cuique ar-
tificio presunt debent habere Ita ne hec modo paria
quidem peccata sunt Urgent tamen et nihil remittunt
quoniam inquiunt omne peccatum imbecillitatis et inconstan-
tie est Hec autem vitia in omnibus stultis eque
magna esse vitia et eadem imbecillitate et inconstan-
tia L. tubulum fuisse quam illum cuius ipse condemnatus
est rogatione P. Scevolam et quasi nihil inter
res quoque ipsas in quibus peccatur intersit ut quo hec
maiores minoresve sint eo que peccantur in hiis re-
bus aut maiora sint aut minora Itaque iam enim

concludi. Sed oratio hoc uero uicio maxime mihi
premi uidentur tui stoici. Quod si posse putant
duas contrarias sententias obtinere. Quid est enim tam re-
pugnans quam eundem dicere quod honestum sit
solum id bonum esse. Qui dicat appetitionem rerum ad
uiuendum accommodatarum natura profectam. Ita
cum ea noluit retinere que superiori sententie conue-
niunt in aristonem incidunt. Cum id fugiunt re eadem
defendunt que peripatetici uerba tenent mordicus. Que
rursus dum sibi euelli ex ordine nolunt horridi-
ores euadunt asperiores duriores et oratione et
moribus quam illorum tristiciam et asperitatem fugiens
panetius nec acerbitatem sententiarum nec disseren-
di spinas probauit fuitque in altero genere mitior in
altero illustrior semperque habuit in ore platonem aris-
totelem xenocratem theophrastum dicearchum ut ipsius
scripta declarant quos quidem tibi studiose et di-
ligenter tractandos magnopere censeo. Sed quoniam ad-
uesperescit et mihi ad uillam reuertendum est nunc
quidem hactenus uerum hoc idem sepe faciamus. Nos
uero inquit ille nam quid possumus facere melius
et hanc quidem primam exigam a te operam ut audi-
as me que a te dicta sunt refellentem. Sed memen-
to te que nos sentiamus omnia probare nisi quod uerbis
aliter utimur. Mihi autem uestrorum nihil probari.
Scrupulum inquam abeunti sed uidebimus. Que cum
essent dicta discessimus.

CVM audissem antiochum brute
ut solebam cum M. pisone in eo gy-
mnasio quod ptolomaeum uocatur una-
que nobiscum Q. frater et T. pomponius
L. cicero frater noster cognatione patru-
elis amore germanus constituimus inter nos ut ambu-
lationem postmeridianam conficeremus in academia
maxime quod is locus ab omni turba id temporis
uacuus esset. Itaque ad tempus ad pisonem omnes. Inde
uario sermone sex illa a dipylo stadia confecimus.
Cum autem uenissemus in academiam non sine causa

Nobilitatem spectata solitudo erat quam volueramus. Tum
Piso naturane nobis inquit hoc datum dicam an
errore quodam ut cum ea loca videamus In quibus
memoria dignos viros acceperimus multos esse ver-
satos magis moveamur quam si quando eorum ipsorum
aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus
velut ego nunc moveor Venit enim mihi platonis
in mentem quem accepimus primum hic disputare so-
litum cuius etiam illi ortuli propinqui non memoriam
solum mihi afferunt sed ipsum videntur in conspectu
meo ponere Hic speusippus hic xenocrates hic
eius auditor polemo cuius illa ipsa sessio fuit quam
videmus Equidem etiam curiam nostram hostiliam
dico non hanc novam que mihi minor esse vi-
detur postea quam est maior solebam intuens scipi-
onem catonem lelium nostrum vero in primis avum
cogitare Tanta vis inest admonitionis in locis
ut sine causa ex his memorie ducta sit disciplina
Tum quintus est plane piso ut dicis inquit Nam
meipsum huc modo venientem convertebat ad se co-
loneus ille locus cuius incola sophocles ob oculos
versabatur quem scis quam admirer quamque eo
delecter Me quidem ad altiorem memoriam edip-
podis huc venientis et illo mollissimo carmine
quenam essent ipsa hec loca requirentis species
quedam commovit inaniter scilicet sed commovit tamen
Tum pomponius at ego quem vos ut deditum
epicuro insectari soletis sum multum equidem
cum phedro quem unice diligo ut scitis in
epicuri ortis ut quos modo preteribamus
sed veteris proverbii admonitu vivorum memini
Nec tamen epicuri licet oblivisci si cupiam cuius
ymaginem non modo in tabulis nostri familia-
res sed etiam in poculis et in anulis habent
Hic ego pomponius quidem inquam noster
iocari videtur et fortasse suo iure Ita enim se
athenis collocavit ut sit pene unus ex atticis
ut id etiam cognomen videatur habiturus Ego
autem tibi piso assentior usu hoc evenire
ut acrius aliquanto et attentius de claris viris
locorum admonitu cogitem Scis enim me quodam

tempore methaphontum venisse tead / neque ad ho-
spitem ante devertisse quam pitagore ipsum illum locum
ubi vitam ediderat sedemque viderim Hoc autem
tempore et si multa in omni parte athenarum sunt
in ipsis locis indicia summorum virorum tamen ego
illa moveor exedra Modo enim fuit carneadis
quem videre videor Est enim nota ymago a sede-
que ipsa tanta ingenii magnitudine orbata desi-
derari illam vocem puto Tum piso igitur aliquid
omnes quid lucius noster inquit An eum locum li-
benter invisit ubi demosthenes et eschines inter se
decertare soliti sunt Suo enim quisque studio maxime
ducitur Et ille cum erubuisset noli inquit ex me querere
qui in phalericum etiam descenderim quo in loco ad
fluctum aiunt declamare solitum demosthenem ut fre-
mitum assuesceret voce vincere modo etiam paulum ad de-
xteram de via declinavi ut ad periclis sepulcrum
accederem quamquam id quidem infinitum est in hac
urbe Quacumque enim ingredimur in aliqua historia
vestigium ponimus Tum piso atqui cicero in-
quit ista studia si ad imitandos summos viros
spectant ingeniosorum sunt Si tantummodo ad
indicia veteris memorie cognoscenda curiosorum
Te autem hortamur omnes currentem quidem ut
spero ut eos quos novisse vis etiam imitari
velis Hic ego et si facit hic quidem inquam
piso ut vides ea que precipis tamen mihi grata
est hortatio tua Tum ille amicissime ut sole-
bat nos vero inquit omnes omnia ad huius adolescen-
tiam conferamus In primisque ut aliquid suorum
studiorum philosophie quoque impertiat ut et te
imitetur quem amat vel ut illud ipsum quod stu-
det facere possit ornatius Sed utrum hortandus
es nobis luci inquit an etiam tua sponte propen-
sus es Mihi quidem antiochum quem audis satis
belle videris attendere Tum ille timide vel potius
verecunde facio inquit equidem sed audistine
modo de carneade Rapior illuc revocat autem
antiochus nec est preterea quem audiamus Tum
piso et si hic inquit fortasse non poterit sic abire
cum hic adsit me autem dicebat tamen audebo te ab

hac achademia noua ad ueterem illam vocare in qua
ut dicere antiochum audiebas / non hi soli nume-
rantur qui achademici uocantur speusippus xe-
nocrates polemo crantor ceterique Sed etiam peri-
patetici ueteres quorum princeps arestoteles quem
excepto platone haut scio an recte dixerim prin-
cipem philozophorum Ad eos igitur quite te quaeso
Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina
liberalis omnis historia omnis sermo elegans sumi
potest / Tum varietas est tanta artium ut ne-
mo sine eo instrumento ad ullam rem / Illustriorem
satis ornatus possit accedere Ab his oratores ab
his imperatores ac rerum publicarum principes extiterunt
Vt ad minora veniam mathematici poete ·
Musici · medici · denique ex hac tamquam ex omnium artium
officina profecti sunt Ad que ego scis me inquam
istud idem sentire piso sed a te opportune fa-
cta mentio est / Studet enim meus audire cicero
que nam sit istius veteris quam commemoras acha-
demie de finibus bonorum peripateticorumque sententia
Censemus aut te facillime id explanare
posse quod et sthapheum neapolitanum multos
annos habueris aput te et iam plures iam men-
ses athenis Hec ipsa te ex antiocho videamus
exquirere Et ille ridens age age inquit Sa-
tis enim scite me nostri sermonis principium esse vo-
luisti Exponamus adolescenti si qua forte pos-
sumus Dat enim id nobis solitudo Quod si quis deus
diceret numquam putarem me in achademia tamquam phi-
lozophum disputaturum Sed ne dum huic obsequor
vobis molestus sim Mihi inquam qui te id ipsum ro-
gaui Tum quintus et pomponius cum idem se uel-
le dixissent piso exorsus est cuius oratio attende
queso brute satis ne uideatur antiochi complexa
esse sententiam quam tibi qui fratrem eius aristum
frequenter audieris maxime probatam existimo Quan-
tus ornatus in peripateticorum disciplina sit satis
a me ut breuissime potui paulo ante dictum
est Sed est forma eius discipline sicut fere cetera-
rum triplex Vna pars est artis a natura disse-
rendi altera uiuendi Tertia natura sic ab hiis inve-

stigata est ut nulla pars celo mari terra ut po-
etice loquar pretermissa sit quin etiam de rerum
initiis omnique mundo locuti essent ut multa non
modo probabili argumentatione sed etiam necessaria
mathematicorum ratione concluderent maximam
materiam ex rebus per se investigatis ab rerum oc-
cultarum cognitione attulerunt Persecutus est
aristoteles animantium omnium ortus victus figuras
Theophrastus autem stirpium naturas omniumque fe-
re rerum que e terra gignerentur causas atque rationes
qua ex cognitione facilior facta est investigatio
rerum occultissimarum disserendique ab ysdem non dia-
lectice solum sed etiam oratoria precepta sunt tradi-
ta ab aristoteleque principe de singulis rebus in utram-
que partem dicendi exercitatio est instituta ut non
contra omnia semper sicut archesilas diceret et tamen ut in
omnibus rebus quicquid ex utraque parte dici pos-
set exprimeret Cum autem tertia pars bene vivendi
precepta quereret ea quoque est ab eisdem non solum
ad privatam vite rationem sed etiam ad rerum publicarum
directionem relata Omnium fere civitatum non grecie
solum sed etiam barbarie ab aristotele mores institu-
ta disciplinas a theophrasto leges etiam cognovi-
mus Cumque uterque eorum docuisset qualem in
re publica principem quemadmodum preterea conscripsisset qui
esset optimus rei publice status hoc amplius theoph-
rastus que essent in re publica inclinationes rerum
et momenta temporum quibus esset moderandum utcumque
res postularet Vite autem degende ratio maxime
illis quidem placuit quieta in contemplatione et
cognitione posita rerum que quia deorum erat vi-
te simillima sapienti visa est dignissima Atque
his de rebus splendida est eorum et illustris oratio
De summo autem bono quia duo genera librorum
sunt unum populariter scriptum quod exotericon ap-
pellabant alterum limatius quod in commentariis reliquerunt
non semper idem dicere videntur nec in summa ta-
men ipsa aut varietas est ulla apud hos quidem
quos nominavi aut inter ipsos dissensio Sed cum
beata vita queratur idque sit unum quod philoso-
phia spectare et sequi debeat sitne ea tota sita

in potestate sapientis an possit aut labefactari aut
eripi rebus adversis in eo non numquam varia inter
eos et dubitari videntur quod maxime efficit theo
phrasti de beata vita liber in quo multum admodum
fortune datur Quod si ita se habeat non possit
beatam prestare vitam sapientia hec mihi videtur
delicatior ut ita dicam molliorque ratio quam virtu
tis gravitasque postulat Quare teneamus aresto-
telem et eius filium nichomachum cuius accurate
scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse
arestotiles sed non video cur non potuerit pater
similis esse filius Theophrastum tamen adhibeamus
ad pleraque dummodo plus in virtute teneamus
quam ille tenuit firmitatis et roboris Simus igitur
contenti his Namque horum posteri meliores illi
quidem mea sententia quam reliquarum philozo-
phi disciplinarum sed ita degenerat ut ipsi ex
se nati videantur Primum theophrasti strato p-
hisicum se voluit in quo etsi est magnus tamen
nova pleraque et perpauca de moribus huius
lycias et oratione locuplex rebus ipsis ieiunior
concinnus deinde et elegans huius aristo sed
ea que desideratur a magno philozopho gravitas
in eo fuit Scripta sane et multa et polita sed
nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet pre-
terea multos in his doctum hominem et suavem ie-
ronimum quem iam cur peripateticum appellem ne-
scio Summum enim bonum vacuitatem doloris
exposuit Qui autem de summo bono dissentit de
tota philozophie ratione dissentit Critolaus imi-
tari antiquos noluit et quidem est gravitate pro-
ximus et redundat oratio attamen ne is quidem
in patriis institutis manet Diodorus eius audi-
tor adiungit ad honestatem vacuitatem doloris hic
quoque suus est de summoque bono dissentiens
dici vere peripateticus non potest Antiquorum
autem sententiam antiochus noster mihi videtur
persequi diligentissime quam eandem arestotili
fuisse et polemonis docet Efficit igitur lucius
noster prudenter qui audire de summo bono po-
tissimum velit Hoc enim constituto in philozophia

constituta sint omnia Illam enim in rebus sive pre-
missum sit sive ignoratum est quippiam non plus
incommodi est in quibus neglectum est aliquid Summum
autem bonum si ignoretur vivendi racionem ignorari ne-
cesse est et quo tantus error consequitur ut quem
in portum se recipiant scire non possint Cognitis au-
tem rerum finibus cum intelligitur quid sit et bo-
norum extremum et malorum inventa vite via est con-
firmacio quoque omnium officiorum Est igitur quo quoque re-
ferantur ex quo id quod omnes expetunt beate vive-
di racio inveniri et comparari potest quod quoniam in quo
sit magna dissensio est carneadea nobis adden-
da divisio est qua noster antiochus libenter uti so-
let Ille igitur vidit non modo quot fuissent ad-
huc philosophorum de summo bono sed quot omnino
esse possent sententie Negabat igitur ullam esse
artem que ipsa a se proficisceretur Etenim semper illud
extra est quod arte comprehenditur Nihil opus
est exemplis hoc facere longius Est enim perspicu-
um nullam artem ipsam in se versari sed esse
aliud artem illam aliud quod propositum sit arti Quo-
niam ut medicina valitudinis Navigacionis guber-
natio sic vivendi ars est prudencia Necesse est
eam quoque ab alia re esse constitutam et profectam
Constitit autem fere inter omnes id in quo prudencia u-
saretur et quod assequi vellet aptum et accommoda-
tum nature esse oportere et tale ut ipsum per se invi-
taret et alliceret appetitum animi quem hormen gre-
ci vocant Quid autem sit quod ita moveat itaque
a natura in primo ortu appetatur non constat deque
eo est inter philosophos cum summum bonum exquiritur
omnis dissensio Totius enim questionis eius que
habetur de finibus bonorum et malorum cum queritur
in his quid sit extremum et ultimum fons reperiendus
est in quo sint prima invitamenta nature quo in-
vento omnis ab eo quasi capite de summo bono et
malo disputatio ducitur Voluptatis alii primum ap-
petitum putant ad primam depulsionem doloris Alii
censent primum ascitum et primum declinatum dolorem
Ab his alii que prima secundum naturam nominant proficis-
cuntur in quibus numerant incolumitatem Con-

servationemque omnium partium valitudinem sensus integros
doloris vacuitatem vires pulchritudinem ceteraque generis eiusdem
quorum similia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi-
li et semina Ex his tribus cum unum aliquod sit
quod primum natura moveat vel ad appetendum vel ad
repellendum nec quicquam omnino preter hec tria pos-
sit esse necesse est omnino aut officium fugiendi
aut sequendi ad eorum aliquod referri Ut illa pru-
dentia quam artem vite esse diximus in earum trium
rerum aliqua versetur a qua totius vite ducat exor-
dium Ex eo autem quod statuerit esse quo primum natura
moveatur existet etiam recti ratio atque honesti que
cum uno aliquo ex illis tribus congruere possit ut
aut id honestum sit facere omnia aut voluptatis
causa etiam si eam non consequare aut non dolen-di
causa etsi id assequi nequeas aut eorum que secundum
naturam sunt adipiscendi etiam si non adipiscare
Ita fit ut quanta differentia est in principiis natu-
ralibus tanta sit in finibus bonorum malorum-
que dissimilitudo Alii rursus eidem a principiis omne
principium referrent aut ad voluptatem aut ad non
dolendum aut ad prima illa secundum naturam obtinenda
Expositis iam sex de summo bono sententiis trium
proximarum hi principes voluptatis aristippus non
dolendi Hieronimus fruendi rebus his quas
primas secundum naturam esse diximus carneades
non ille quidem auctor sed defensor disserendi
causa fuit Superiores tres erant que esse pos-
sent quarum est una sola defensa eaque vehementer
Nam voluptatis causa facere omnia cum etiam si ni-
chil consequamur tamen illud ipsum consilium ita facien-
di per se expetendum et honestum et solum bonum
sit nemo dixit Ne vitationem quidem doloris
ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit
nisi etiam evitare posset At vero facere omnia
ut adipiscamur que secundum naturam sint et si ea
non assequamur id esse et honestum et solum per se
expetendum et solum bonum stoici dicunt Sex igitur
he sunt simplices de summo bonorum malorumque
sententie due sine patrono quatuor defense Iuncte
autem et duplices expositiones summi boni tres

omnino fuerint Nec vero plures si penitus rerum na-
turam videas esse potuerunt Nam aut voluptas
adiungitur ut calliphonti dinomachoque placuit aut
doloris vacuitas ut diodoro aut prima nature ut
antiquis quos eosdem achademicos et peripate-
ticos nominamus Sed quoniam non possunt omnia simul di-
ci hec in presentia nota esse debebunt voluptatem
semovendam esse quando ad maius quoddam
nati sumus De vacuitate doloris eadem fere
solent dici que de voluptate Cum igitur de
voluptate cum torquato et de honestate in qua
una omne bonum poneretur cum catone et dispu-
tatum primum que contra voluptatem dicta sunt ea-
dem fere cadunt contra vacuitatem doloris Nec
vero alia sunt querenda contra carneadem illam
sententiam Quocunque enim modo summum bonum sic
exponitur ut careat honestate nec officia nec
virtutes in ea ratione nec amicitie constare pos-
sunt Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis
vel non dolendi id ipsum honestum quod amplecti
vult efficiat turpe Ad eas enim res referre que
agas quarum una sit quis malo careat in summo
eum bono dicat esse altera versetur in levissi-
ma parte nature obscurantis est omnem splendo-
rem honestatis ne dicam inquinantis Restant sto-
ici qui cum peripateticis et achademicis omnia
transtulissent nominibus aliis easdem res secuti
sunt Hos contra singulos dici est melius Sed
nunc quod agimus de illis cum volemus Democriti
autem securitas que est animi tamquam tranquillitas quam
appellant euthimiam eo separanda fuit ab disputa-
tione quia ista animi tranquillitas ea est ipsa be-
ata vita Querimus autem non que sit sed unde
sit Iam explose eiecteque sententie pirrhonis ari-
stonis herilli quod in hunc orbem quem circumscripsimus
incidere non possunt adhibende omnino non fuerunt
Nam omnis hec questio de finibus et quasi de extre-
mis bonorum et malorum ab eo proficiscitur quod di-
cimus nature esse aptum et accommodatum
quodque ipsum per se primum appetatur hoc totum et hi
tollunt qui in rebus hiis in quibus nihil quod

non aut honestum aut turpe sit negat esse ullam cau-
sam cur aliud alii anteponatur nec inter eas res quae-
quam omnino putant interesse. Et herillus si ita sensit
nichil esse bonum praeter scientiam omnem consilii capiendi causam
inventionemque officii sustulit. Sic exclusis sententiis
reliquorum cum praeterea nulla esse possit haec antiquorum
valeat necesse est. Ergo instituto veterum
quo etiam stoici utuntur hinc capiamus exordium.
Omne animal se ipsum diligit ac simul ut ortum
est id agit se ut conservet quod hic ei primus ad
omnem vitam tuendam appetitus a natura
datur se ut conservet atque ita sit affectum ut optime
secundum naturam affectum esse possit. Hanc initio
constitutionem confusam habet et incertam ut tantum
modo tueatur qualecumque sit nec quid possit nec
quid ipsius natura sit intelligit. Cum autem processit
paululum et quatenus quicquid se attingat ad seque
pertineat perspicere coepit. Tum sensim incipit
progredi seseque agnoscere et intelligere quam ob
causam habeat eum quem diximus animi appe-
titum. Coeptatque et ea quae naturae sentit apta
appetere et propulsare contraria. Ergo omni a-
nimali illud quod appetit positum est in eo quod
naturae est accommodatum. Ita finis bonorum exi-
stit secundum naturam vivere sic affectum ut
optime affici possit ad naturamque accommoda-
tissime. Quoniam autem sua cuiusque animantis
natura est necesse est quoque finem omnium hunc
esse ut natura expleatur. Nihil enim prohibet quaedam
esse et inter se animalibus reliquis et cum bestiis
homini communia quoniam omnium est natura
communis. Sed extrema illa et summa quae
quaerimus inter animalium genera distincta et di-
spartita sunt et sua cuique propria et ad id
apta quod cuiusque natura desideret. Quare
cum dicimus omnibus animalibus extremum esse secundum
naturam vivere non ita accipiendum est quasi
dicamus unum esse omnium extremum sed ut omnium
artium recte dici potest commune esse ut in a-
liqua scientia versetur scientiam autem suam
cuiusque artis esse sic commune animalium omnium

secundum naturam vivere Sed naturas esse diversas
ut aliud equo sit naturale aliud bovi aliud homini et
tamen in omnibus summa communis Et quidem non
solum in animalibus sed etiam in rebus omnibus
hiis quas natura alit auget et tuetur in quibus
videmus ea que gignuntur e terra multa
quodammodo efficere sibi ipsa que ad vivendum
crescendumque valeant et suo genere perveniant ad
extremum ut iam liceat una comprehensione omnia
complecti Non dubitemusque dicere omnem naturam
esse servatricem sui idque habere propositum quasi finem
et extremum se ut custodiat quam in optimo
sui generis statu Ut necesse sit omnium rerum que
natura vigeant similem esse finem non eundem
Ex quo intelligi debet homini id esse in bonis
ultimum secundum naturam vivere quod ita interpretemur
vivere ex hominis natura undique perfecta et nichil
requirente Hec igitur nobis explicanda sunt
sed si enodatius vos ignoscetis huius enim etati
et huic nunc primum hec fortasse audienti servire
debemus Ita prorsus inquam et si ea quidem que
adhuc dixisti quamvis ad etatem recte isto modo dice-
rentur Exposita igitur inquit terminatione rerum
expetendarum cur ista se res sic habeat ut dixi deinceps
monstrandum est Quamobrem ordiamur ab
eo quod modo posui quod idem re ab se primum
est ut intelligamus omne animal seipsum diligere
quod quamquam dubitationem non habet est enim infixum
in ipsa natura deprehenditurque suis cuiusque sensibus
sic ut contra si quis dicere velit non audiatur
tamen ne quid pretermittamus rationes quoque
cur hoc ita sit afferendas puto et si quomodo potest
intelligi aut cogitari esse aliquod animal quod
se oderit res enim concurrent contrarie Nam cum
appetitus ille animi aliquid ad se trahere ceperit
consulto quod sibi obsit quia sit sibi inimicus
cum id sua causa faciet et oderit se et simul di-
liget quod fieri non potest Necesse est quod
si quis sibi inimicus est ea que bona mala
putare bona contraque mala et que appeten-
da fugere et que fugienda appetere que sine

Dubio autem sunt eversi. Etenim si nonnulli reperiuntur qui aut laqueos aut alia exitia quaerant aut ille apud Terentium qui decrevit tantisper se minus iniurie suo nato facere ut ait ipse dum fiet miser nimis ipse sibi putandus est. Sed alii dolore moventur alii cupiditate iracundia etiam multi efferuntur et cum in mala scientes ruunt tamen se optime sibi consulere arbitrantur. Itaque dicunt nec dubitant mihi sic usus est tibi ut opus est facto fac velut qui ipsi sibi bellum indixissent cruciari dies noctesque torqueri vellent. Nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam quod se male rebus consuluisse dicerent. Eorum enim est querela qui sibi cari sunt seseque diligunt. Quare quotienscumque dicetur male de se quis mereri sibique esse inimicus atque hostis vitam denique fugere intelligatur aliquid subesse eiusmodi causam ut ex eo ipso intelligi possit sibi quemque esse carum. Nec vero satis est id neminem esse qui quod se habeat nihil sua censeat interesse. Tollitur enim appetitus animi si ut in his rebus inter quas nihil interest neutram in partem propensiores sumus. Item in nobismetipsis quemadmodum affecti simus nihil nostra arbitremur interesse. Atque etiam illud si quis dicere velit perabsurdum sit ita diligi a sese quemque ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur non ad eum ipsum qui sese diligat. Hoc cum in amicitiis, cum officiis cum in virtutibus dicitur intelligi tamen quid dicatur potest. In nobis autem ipsis intelligi quidem non potest aliquam quampiam rem. Verbi gratia propter voluptatem nos amemus propter nos enim illam non propter eam nosmetipsos diligamus. Quamquam quid est quod magis perspicuum sit non modo carum sibi quemque verum etiam vehementer sibi carum esse. Quis est enim aut quotus quisque cui mors cum appropinquat non refugiat timido sanguis atque exalbescat metu et si hoc quidem est in vitio dissolutionem nature tam valde perhorrescere quod item est reprehendendum in dolore. Sed quia fere sic afficiuntur omnes satis

argumentum est ab interitu naturam abhorrere. Itaque quo
magis quidam ita faciunt ut iure etiam reprehendantur
hoc magis intelligendum est hec ipsa nimia in
quibusdam futura non fuisse nisi quedam essent
modica natura. Nec uero dico eorum metum mortis
qui quia priuari se vite bonis arbitrentur aut quia
quasdam post mortem formidines extimescant
aut si metuant ne cum dolore moriantur idcirco mortem
fugiant. In pueris enim sepe qui nihil eorum
cogitant si quando hiis ludentes minamur precipita-
turos alicunde extimescunt. Quin etiam fere
inquit pacuuius quibus abest ad precauendum
intelligendi astutia iniecto terrore mortis
horrescunt. Quis autem de seipso sapiente
aliter existimat quin etiam cum decreuerit esse mo-
riendum tamen discessu a suis atque ipsa relinquen-
da luce moueatur. Maxime autem in hoc quidem
genere uis est perspicua nature cum et mendicitatem
multi perpetiantur ut uiuant et angantur appropinqua-
tione mortis confecti homines senectute et ea
perferant que philotetham uidemus in fabulis
qui cum cruciaretur non ferendis doloribus propa-
gabat tamen uitam aucupio sagittarum configebat
tardus celeres stans uolantes ut apud accium
est pennarumque contextu corporis tegumenta
faciebat. De hominum genere aut omnino de ani-
malium loquor cum arborum et stirpium eadem pe-
ne natura sit siue ut doctissimis uiris uisum est
maior aliqua causa atque diuinior hanc uim
ingenuit siue hoc ita sit fortuito uidemus
ea que terra gignit corticibus et radicibus uali-
da seruari quod contingit animalibus sensuum
distributione et quadam compactione membrorum
qua quidem de re quamquam assentior hiis qui hec
omnia regi natura putant que si natura negli-
gat ipsa esse non possent tamen concedo ut
qui de hoc genere dissentiunt existiment quod ue-
lint ac uel hoc intelligant si quando naturam
hominis dicam hominem dicere me. Nihil enim
hoc differt. Nam prius a se poterit quisque disce-
dere quam appetitum earum rerum que sibi conducant amittere

Iure igitur gravissimi philosophi initium summi bo-
ni a natura petiverunt et illum appetitum rerum
ad naturam accommodatarum ingeneratum putaverunt
omnibus qui continentur ea commendatione nature
qua se ipsi diligunt. Deinceps videndum est quo-
niam satis apertum est sibi quemque a natura esse
se carum que sit hominis natura. Id est enim de
quo querimus. Atqui perspicuum est hominem
e corpore animoque constare. Cum prime sint ani-
partes secunde corporis. Deinde id quoque videmus
et ita figuratum corpus ut excellat aliis animumque
ita constitutum ut et sensibus instructus sit et
habeat prestantiam mentis cui tota hominis na-
tura pareat in qua sit mirabilis quedam vis
rationis et cognitionis et scientie virtutumque omnium.
Nam que corporis sunt ea nec auctoritatem
cum animi partibus comparandam et cognitionem habent
faciliorem. Itaque ab his ordiamur. Corporis igitur
nostri partes totaque figura et forma et statura
quam apta ad naturam sit apparet. Neque est dubium
quin frons oculi aures et reliquae partes quales
proprie sunt hominis intelligantur. Sed certe opus est
ea valere et vigere et naturales motus ususque
habere ut nec absit quid eorum nec egrum debilita-
tumve sit. Id enim natura desiderat. Est autem
quedam corporis que motus et status nature
congruentes tenet. In quibus si peccatur distor-
tione et depravatione quadam aut motu statuve
deformi ut si aut manibus ingrediatur quis
aut non ante sed retro fuge plane se ipse et
hominem ex homine exuens naturam odisse vide-
atur. Quamobrem etiam sessiones et flexi
fractique motus quales protervorum hominum aut mol-
lium esse solent contra naturam sunt etiamsi
animi vitio id eveniat tamen in corpore immutari
hominis natura videatur. Itaque e contrario mode-
rati equabilesque habitus affectiones ususque
corporis apta esse ad naturam videntur. Iam
vero animum non esse solum sed etiam cuiusmodi
debet esse ut et omnes partes suas habeat incolu-
mes et de virtutibus nulla desit. Atqui in sensibus

est sua cuiusque virtus ut ne quid impediat quo minus
suo quisque munere fungatur. In his rebus celeriter
expeditque perspiciendis que subiecte sunt sensibus.
Animi autem et eius animi partis que princeps
est quaeque mens nominatur plures sunt virtutes.
Sed duo prima genera unum earum que ingenerantur
suapte natura appellanturque non voluntarie. Alterum
earum que in voluntate posite magis proprio nomine
appellari solent. Quarum est excellens in animorum
laude prestantia. prioris generis est docilitas memori-
a. que fere appellantur uno ingenii nomine eas-
que virtutes qui habent ingeniosi vocantur. Al-
terum autem genus est magnarum verarumque vir-
tutum quas appellamus voluntarias ut prudentiam
temperantiam fortitudinem iustitiam et reliquas
eiusdem generis. Et summatim quidem hec erant de
corpore animoque dicenda quibus quasi informatum
est quod hominis natura postulet. Ex quo per-
spicuum est quoniam ipsi a nobis diligamur omnia-
que et in animo et in corpore perfecta velimus esse ea
nobis ipsa cara esse propter se et in his esse ad
bene vivendum momenta maxima. Nam cui
proposita sit conservatio sui necesse est huic partes
quoque sui caras esse carioresque quo perfectiores
sint et magis in suo genere laudabiles. Ea enim
vita expetitur que sit animi corporisque expleta vir-
tutibus in eoque summum bonum poni necesse est quan-
do quidem id tale esse debet ut rerum expetenda-
rum sit extremum quo cognito dubitari non potest
quin cum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte
cari partes quoque corporis et animi et earum rerum
que sunt in utriusque motu et statu sua caritate
colantur et per se ipse appetantur. Quibus exposi-
tis facilis est coniectura ea maxime esse expetenda
ex nostris que plurimum habent dignitatis ut optime
cuiusque partis que per se expetatur virtus sit ex-
petenda maxime. Ita fiet ut animi virtus cor-
poris virtuti anteponatur animique virtutes non
voluntarias vincant virtutes voluntarie que quidem
proprie virtutes appellantur multumque excellunt propterea
quod ex ratione gignuntur qua nihil est in homine divinius

Item omnium rerum quas et creat natura et tuetur que
aut sine animo sunt aut non multo secus earum summum
bonum in corpore est ut non inscite illud dictum vide-
atur in sue animum illi pecudi datum pro sale ne pu-
tresceret Sunt autem bestie quedam in quibus inest
aliquid simile virtutis ut in leone ut in canibus ut
in equis in quibus non corporum solum ut in suibus
sed etiam animorum aliqua ex parte motus ali-
quos videmus In homine autem summa omnis
animi est et in animo rationis ex qua virtus est
que rationis absolutio diffinitur quam etiam atque
etiam explicandam putant Earum etiam rerum quas
terra gignit educatio et perfectio quedam est non
dissimilis animantium Itaque et vivere vitem et mori
dicimus arboremque et novellam et vetulam et vi-
gere et senescere Ex quo non est alienum ut animanti-
bus sic illis et apta quedam ad naturam putare
et aliena earumque augendarum et alendarum
quandam cultricem esse que sit scientia et ars a-
gricolarum que circumcidat amputet erigat extollat
adminiculet ut quo natura ferat eo possit ire
ut ipse vites si loqui possent ita se tractandas
tuendasque esse fateantur Et nunc quidem quod
eam tuetur ut de vite potissimum loquar est id ex-
trinsecus In ipsa enim parum magna vis est ut quam
optime se habere possit si nulla cultura adhibeatur
At vero si ad vitem sensus accesserit ut appetitum
quendam habeat et per se ipsam moveatur quid fu-
turam putas An ea que per vinitorem antea conse-
quebantur et per se ipsam curabit Sed videsne accessu-
ram ei curam ut sensus quoque suos eorumque omnem
appetitum et si qua sint ei membra adiuncta tueatur
Sic ad illa que semper habuit iunget ea que postea
accesserunt Nec eundem finem habebit quem cultor
eius habebat sed volet secundum eam naturam que postea
ei adiuncta sit vivere Ita similis erit finis boni
atque antea fuerat neque idem tamen Non enim iam stir-
pis bonum queret sed animalis Quid si non
sensus modo ei sit datus verum etiam animus hominis
non necesse est et illa pristina manere ut tuenda sint et hec
multo esse cariora que accesserint animique op-

quamquam partem maximam meaque explicatione nature
summum bonum sine consistit tamen longe multumque prestat
mentis atque ratio. Sic et extremum omnium appetendorum
atque ductum a prima comendatione nature multis gradibus
ascendit ut ad summam perveniret quod cumulatur ex
integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.
Cum igitur ea sit quam exposui forma nature
si ut initio dixi simul atque ortus esset se quisque
cognosceret iudicareque posset que vis et totius esset
nature et partium singularum continuo videret quid
esset hoc quod querimus omnium rerum quas expetimus
summum et ultimum nec ulla in re peccare posset.
Nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura
est nec perspici nec cognosci potest. Progredien-
tibus autem etatibus sensim tardeve potius
quasi nosmetipsos cognoscimus. Itaque illa prima comen-
datio que a natura nostri facta est nobis obscura
et incerta est primusque appetitus ille animi tantum
agit ut salvi atque integri esse possimus. Cum autem
despicere cepimus et sentire quid sumus tunc ea
sequi incipimus ad que nati sumus. Quam similitudinem
videmus in bestiis que primum in quo loco nate sunt
ex eo se non commovent. Deinde suo quoque
appetitu movetur. Serpere anguiculos nare anaticu-
los evolare merulas cornibus uti videmus
boves nepas aculeis suam denique naturam cui-
que esse ad vivendum ducem. Que similitudo in genere
etiam humano apparet. Parvi enim primo ortu sic
iacent tamquam omnino sine animo sint. Cum autem
paululum firmitatis accesserit et animo utuntur
et sensibus conituntur ut sese erigant et manibus
utuntur et eos agnoscunt a quibus educantur.
Deinde equalibus delectantur libenterque se cum
his congregant dantque se ad ludendum fabellarum-
que auditione ducuntur deque eo quod ipsis superat
aliis gratificari volunt. Animadvertuntque ea que do-
mi fiunt curiosius incipiuntque commentari aliquid
et discere et eorum quos vident volunt non ignorare
nomina quibusque rebus cum equalibus decertant
si vicerint efferuntur leticia victi debilitantur animos-
que demittunt. Quorum sine causa fieri nihil

putandum est. Etenim natura sic generata hominis
ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur
ob eamque causam parvi virtutum simulacris quarum
in se habent semina sine doctrina moventur. Sunt
enim prima elementa nature quibus auctis virtutis quasi
germen efficitur. Nam cum ita nati facti simus ut
et agendi aliquid et diligendi aliquos et liberali-
tatis et referende gratie principia in nobis conti-
neremus atque ad scientiam prudentiam fortitudinemque
aptos animos haberemus a contrariisque rebus alie-
nos non sine causa eas quas dixi in pueris vir-
tutum quasi scintillulas videmus e quibus accen-
di philosophi ratio debet ut eam quasi deum ducem
subsequens ad nature perveniat extremum. Nam ut se-
pe iam dixi in infirma etate imbecillaque mente
vis nature quasi per caliginem cernitur. Cum autem progre-
diens confirmatur animus agnoscit quidem ille na-
ture vim sed ita ut progredi possit longius per
se tantum inchoata. Intrandum est igitur in rerum
naturam et penitus quid ea postulet pervidendum. Aliter
enim nosmetipsos nosse non possumus. Quod preceptum
quia maius erat quam ut ab homine videretur idcirco
assignatum est deo. Iubet nos igitur Phitius Apol-
lo noscere nosmetipsos. Cognitio autem hec est una
ut vim nostri corporis animique norimus sequa-
murque eam vitam que rebus ipsis perfruatur.
Quoniam autem is animi appetitus a principio
fuit ut ea que dixi quam perfectissima a natura haberemus
confitendum est cum id adepti simus quod appetitum
sit in eo quasi ultimo consistere naturam atque id esse
summum bonum quod certe universum sua sponte ipsum ex-
peti et propter se necesse est. Quoniam ante demonstra-
tum est etiam singulas eius partes esse per se ex-
petendas in enumerandis autem corporis commodis
si quis pretermissam a nobis voluptatem putabit in
aliud tempus questio differatur. Utrum enim sit vo-
luptas in hiis rebus quas primas secundum naturam
esse diximus necne sit ad id quod agimus nihil
interest. Si enim ut mihi quidem videtur non explet
bona nature voluptas iure pretermissa est; sin est in ea quod
quidam volunt nihil impedit nostram hanc con-

prehensionem summi boni. Que enim constituta sunt prima
nature ad ea si voluptas accesserit commoditas corporis vel
aliquid accesserit neque eam constituimus summum bonum
que est composita minime. Et adhuc quidem ita nobis
progressa ratio est ut ea ducerent omnia a prima guber-
natione nature. Nunc autem illud argumentandi
sequamur genus ut non solum quia nos diligimus
sed quia cuiusque partis nature et corpore et in animo
sua cuique vis est. Idcirco in his rebus summe nostra
sponte movemur. Atque ut a corpore ordiar videsne
ut si qua que in membris prava aut debilitata aut
inminuta sint occultent homines ut etiam contendant
et elaborent si efficere possint ut aut non appareat
corporis vitium aut quam minimum appareat multosque
etiam dolores curationis causa perferant ut si
ipse usus membrorum non modo non maior verum
etiam minor futurus sit eorum tamen species ad
naturam revertatur. Etenim cum omnes natura to-
tos se expetendos putandos putent nec ob aliam
rem nisi propter ipsos necesse est eius etiam partes propter se
expeti quod universum propter se expetatur. Quid in motu
est et statu corporis nihil inest quod animadvertendum
ipsa natura iudicet. Quemadmodum quis ambulet
sedeat qui ductus oris qui vultus in quoque sit. Ni-
hil prorsus est in his rebus quod dignum libero aut
indignum esse ducamus. Nonne odio dignos multos
putamus qui quodam motu aut statu videntur
nature legem et modum contempsisse. Et quoniam
hec deducuntur de corpore quid est cur non recte
pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda esse du-
catur. Nam si pravitatem inminutionemque corpo-
ris propter se fugiendam putamus cur non etiam
ac fortasse magis propter se forme dignitatem sequamur
Et si turpitudinem fugimus in statu et motu cor-
poris quid est cur pulchritudinem non sequamur
Atque etiam valitudinem vires vacuitatem doloris non
propter utilitatem solum sed etiam ipsas propter se expetimus
Quoniam enim natura suis omnibus expleri par-
tibus vult hunc statum corporis per se ipsum expetit
qui est maxime e natura que tota perturbatur
si aut egrum corpus aut dolet aut caret viribus

Videamus animi partes quarum est aspectus illustrior
que quo sunt excelsiores eo dant clariora indicia na-
ture. Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis
amor et scientie ut nemo dubitare possit quin ad eas
res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur.
Videmus ne ut pueri ne verberibus quidem a conte-
plandis rebus perquirendisque deterreantur aut pulsi
recurrant et aliquid scire se gaudeant et aliis nar-
rare se gestiant ut pompa ludis atque huiusmodi
spectaculis teneantur ob eamque rem vel famem vel
sitim perferant. Quid vero qui ingenuis studiisque
atque artibus delectantur nonne videmus eos nec
rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa
cognitione et scientia captos et cum maximis curis
et laboribus compensare eam quam ex discendo capiant
voluptatem. Mihi quidem Homerus huiusmodi
quiddam vidisse videtur in his que de Sirenum can-
tibus finxerat. Neque enim vocum suavitate videntur
aut novitate quadam et varietate cantandi revo-
care eos solite qui preterveheb antur, sed quia mul-
ta se scire profitebantur ut homines ad earum saxa
discendi cupiditate adherescerent. Ita tamen invi-
tant Ulixem nam verti ut Homeri sic istum ipsum
locum. O decus Argolicum quin puppim flectis Uli-
xes auribus ut nostros possis agnoscere cantus.
Nam nemo hac umquam est transvectus cerula cur-
su Quin prius astiterit vocum dulcedine captus
post variis avido satiatus pectore musis doc-
tior ad patrias lapsus pervenerit oras. Nos grave
certamen belli cladesque tenemus Grecia quam
Troie divino numine vexit Omniaque e latis
rerum vestigia terris. Vidit Homerus probari fa-
bulam non posse si cantiunculis tantus vir irre-
titus teneretur scientiam pollicentur quam non erat
mirum sapientie cupido patria esse cariorem. Atque
omnia quidem scire cuiuscumque modi sint cupere curi-
osorum. Duci vero maiorum rerum contemplatione
ad cupiditatem scientie summorum virorum est putandum.
Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archi-
mede qui dum in pulvere quedam describit atten-
tius ne patriam captam esse senserit. Quantum

Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis
Quo studio aristophanem putamus etatem in litteris
duxisse Quid de pithagora quid de platone aut de-
mocrito loquar a quibus propter discendi cupiditatem
videmus ultimas terras esse peragratas Que qui non
vident nihil unquam magna cognicione dignum ama-
verunt Atque hoc loco qui propter animi voluptates co-
li dicunt ea studia que dixi non intelligunt idcirco
esse ea propter se expetenda quod nulla utilitate obiecta dele-
ctentur animi atque ipsa sciencia etiam si incommoda
datura sit gaudeant Sed quod attinet de rebus
tam apertis plura requirere Ipsi enim queramus a
nobis stellarum motus contemplacionesque rerum cele-
stium eorumque omnium que nature obscuritate occultantur
cognitiones quemadmodum nos moveant et quid hi-
storia delectet quam solemus persequi usque ad extre-
mum pretermissa repetimus inchoata persequimur Nec vero
sum inscius esse utilitatem in hystoria non modo
voluptatem Quid cum fictas fabulas e quibus
utilitas nulla duci potest cum voluptate legimus
Quid cum volumus nomina eorum qui quid gesse-
rint nota nobis esse parentes patriam multa preterea
minime necessaria Quid quod homines infima
fortuna nulla spe rerum gerendarum opifices de-
nique delectantur historia maximeque eos vide-
re possumus res gestas audire et legere velle qui a spe
gerendi absunt confecti senectute Quocirca in-
telligi necesse est in ipsis rebus que discuntur et cogno-
scuntur invitamenta inesse quibus ad discendum
cognoscendumque moveamur At veteres quidem phi-
losophi in beatorum insulis fingunt qualis natura
sit vita sapientum quos cura omni liberatos nullum
necessarium vite cultum aut paratum requirentes
nihil aliud esse acturos putant nisi ut omne tem-
pus inquirendo ac discendo in nature cognitione
consumant Nos autem non solum beate vite istam
oblectacionem videmus sed etiam levamentum miseriarum
Itaque multi cum in potestate essent hostium et tyran-
norum multi in custodia multi in exilio dolorem
suum doctrine studiis levaverunt Princeps huius civitatis
Phalereus demetrius cum patria pulsus esset in-

Iuxta ad Ptholomeum se regem Alexandrie contulit
qui cum in hac ipsa philozophia ad quam te hortamur
excelleret theophrastique esset auditor multa preclara in
illo calamitoso ocio scribit non ad usum aliquem suum
quo erat orbatus sed animi cultus ille erat ei quasi
quidam humanitatis cibus Equidem e Cn aufidio
pretorio erudito homine oculis capto sepe audiebam
cum se lucis magis quam utilitatis desiderio move-
ri diceret Sompnum denique nobis nisi requiem corporibus
et medicinam quandam laboris efferret contra na-
turam putaremus datum aufert enim sensus acti-
onemque tollit omnem Itaque si aut requietem natura
non quereret aut eam posset alia quadam racione
consequi facile pateremur, qui etiam nunc agen-
di aliquid discendique causa prope contra naturam
vigilias suscipere soleamus Sunt autem clariora
vel plane perspicua nec dubitanda iudicia nature
maxime scilicet in homine sed in omni animali
ut appetat animus aliquid agere semper neque ulla condicione
quietem sempiternam possit pati facile est hoc cernere
in primis puerorum etatulis quamquam enim vereor ne
nimius in hoc genere videar tamen omnes veteres
philozophi maxime nostri ad incunabula ac-
cedunt quod in pueritia facillime se arbitrantur
nature voluptatem posse cognoscere Videmus
igitur ut conquiescere ne infantes quidem possint
Cum vero paululum processerint lusionibus
vel laboriosis delectantur ut ne verberibus
quidem deterreri possint eaque cupiditas agendi
aliquid adolescit una cum etatibus Itaque nisi io-
cundissimis quidem nos sompniis usuros putemus
Endimionis sompnum nobis velimus dari idque
si accidat mortis instar putemus Quin etiam iner-
tissimos homines nescio qua singulari segnicie pre-
ditos videmus tamen et in animo et corpore
moveri semper et cum re nulla impediantur necessaria
aut alveolum poscere aut querere quempiam ludum
aut sermonem aliquem requirere Cumque non habe-
ant ingenuas ex doctrina oblectaciones circu-
los aliquos et semiculos consectari Ne bestie
quidem quas delectacionis causa concludimus cum

copiosius alantur quam si essent libere facile patiuntur
sese contineri motusque solutos et vagos a natura sibi tri-
butos requirunt. Itaque ut quisque optime natus institu-
tusque est esse omnino nolit in vita si gerendis nego-
tiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus.
Nam aut privatim aliquid gerere malunt aut qui
altiore animo sunt capessunt rem publicam honoribus imperi-
isque adipiscendis aut totos se ad studia doctrine con-
ferunt quam in vita tantum abest ut voluptates con-
sectentur. Ut etiam curas sollicitudines vigilias perferant
optimaque parte hominis que in nobis divina ducen-
da est ingenii et mentis acie fruuntur nec volupta-
tem requirentes nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt
aut admirationem earum rerum que sunt ab antiquis
reperte aut investigationem novarum quo studio cum
satiari non possunt omnium ceterarum rerum obliti in
liberum nihil humile cogitant tantumque vis est ta-
libus in studiis ut eos etiam qui sibi alios proposu-
erunt fines bonorum quos utilitate aut voluptate
dirigunt tamen in rebus querendis explicandis-
que nature etates conterere videamus. Ergo hoc quidem
apparet nos ad agendum esse natos. Actionum
autem genera plura ut obscurentur etiam minora ma-
ioribus. Maxime autem sunt. Primum ut mihi quidem
videtur et his quorum nunc in ratione versamur
consideratio cognitioque rerum celestium et earum quas
a natura occultatas et latentes indagare ratio
potest. Deinde rerum publicarum administratio aut administ-
randi scientia deinde prudens temperata fortis et
iusta ratio reliqueque virtutes et actiones virtutibus
congruentes que uno verbo complexi omnia ho-
nesta dicimus. Ad quorum etiam cognitionem et usum
iam corroborati natura ipsa preeunte deducimur.
Omnium enim rerum principia parva sunt sed
suis progressionibus usa augentur nec sine causa
in primo enim ortu inest teneritas et mollicies quedam
ut nec res videre optimas nec agere possint. Vir-
tutis enim beateque vite que duo maxime expeten-
da sunt serius lumen apparet multo etiam serius
ut plane qualia sint intelligantur. Preclare
enim Plato beatum cui etiam in senectute contigerit

Vt sapientiam verasque opiniones assequi possit Quoniam de primis nature commodis satis dictum est nunc de maioribus consequentibus videamus Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit et formavit ut alia in primo ortu perficeret alia progrediente etate fingeret Neque sane multum adiumentis externis et adventiciis uteretur Animum autem reliquis rebus ita perfecit ut corpus Sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis ut nihil aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret Quod autem in homine prestantissimum atque optimum est id deseruit Et si dedit talem mentem que omnem virtutem accipere posset ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum et quasi instituit docere et induxit in ea que inerant tamquam elementa virtutis Sed virtutem ipsam inchoavit Nihil itaque amplius nostrum est quod nostrum dico artis est Quam ad ea principia que accepimus consequentia exquirere quoad sit id quod volumus effectum quod quidem pluris est haud paulo magisque ipsum propter se expetendum quam aut sensus aut corporis ea que diximus quibus tantum prestat mentis excellens perfectio ut vix cogitari possit quid intersit Itaque omnis honos omnis admiratio omne studium ad virtutem et ad eas actiones que virtuti sunt consentanee refertur eaque omnia que aut ita in animis sunt aut ita geruntur uno nomine honesta dicuntur Quorum omnium queque sint notitie que significentur rerum vocabulis queque cuiusque vis et natura sit mox videbimus Hoc autem loco tantum explicemus hec honesta que dico preter quam quod nosmetipsos diligamus Preterea suapte natura per se esse expetenda Indicant pueri in quibus ut in speculis natura cernitur Quanta studia decertantium sunt quanta certamina ut ille efferuntur leticia cum vicerint Ut pudet victos ut se accusari nolunt quam cupiunt laudari quos illi labores non perferunt ut equalium principes sint Que memoria est in his benemerentium que referende gratie cupiditas Atque ea in optima quaque

Indole maxime apparet in qua hec honesta que
intelligimus a natura tanquam adumbrantur Sed
hec in pueris expressa In his uero etatibus que iam
confirmate sunt Quis est tam dissimilis homini
qui non moueatur et offensione turpitudinis et
comprobatione honestatis Quis est qui non oderit
libidinosam proteruamque adolescentiam Quis contra
in illa etate pudorem constanciam etiam si sua nihil
intersit non tamen diligat Quis p numito-
rem fregellanum proditorem quamquam rei p. nostre
profuit non odit Quis urbis conseruatorem
codrum Quis erechtei filias non maxime lau-
dat Cui tubuli nomen odio non est Quis ari-
stidem mortuum non diligit An obliuiscimur quan-
topere in audiendo legendoque moueamur cum pie
cum amice cum magno animo aliquid factum co-
noscimus Quid loquar de nobis qui ad laudem
et decus nati suscepti instituti sumus Qui clamo-
res vulgi atque imperitorum excitantur in theatris
cum illa dicuntur ego sum horestes contraque ab altero
immo enimuero ego sum inquam horestes Cum autem
etiam exitus ab utroque datur conturbato erranti
que regi ambo ergo una uiuere precamur quociens
hoc igitur et quando ne nisi admirationibus ma-
ximis Nemo est igitur qui non hanc affectionem
animi probet atque laudet qua non modo utilitas
nulla queritur sed contra utilitatem etiam conser-
uatur fides Talibus exemplis non ficte solum
fabule uerum etiam hystorie referte sunt et quidem
maxime nostre Nos enim ad sacra ydea accipien-
da optimum uirum delegimus nos tutores misimus
regibus nostri imperatores pro salute patrie su-
a capita uouerunt Nostri consules regem ini-
micissimum menibus iam appropinquantem
monuerunt aut ueneno ut caueret Nostra
in rep. lucretia et que per uim oblatum stuprum
uoluntaria morte lueret inuenta est atque qui inter-
ficeret filiam ne stupraretur Que quidem omnia
et innumerabilia quis preterea est qui non intelli-
gat eos qui fecerint dignitatis splendore
ductos immemores fuisse utilitatum suarum nosque

ut ea laudemus nulla alia re nisi honestate duc-

Quibus rebus expositis breviter nec enim sum copiam quam potui quia dubitatio in re nulla erat persecutus. Sed his rebus concluditur profecto et virtutes omnes et honestum illud quod ex his virtutibus exoritur et in eis heret per se esse expetendum.

In omni autem honesto de quo loquimur nihil est tam illustre nec quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum et quasi quedam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani que nata a primo statu quo a procreatoribus nati diliguntur et tota domus coniugio et stirpe coniungitur serpit sensim foras cognationibus primum tum affinitatibus deinde amicitiis tum vicinitatibus tum civibus et iis qui publice socii atque amici sunt deinde totius complexu gentis humane. Que animi affectio suum cuique tribuens atque hanc quam dico societatem coniunctionis humane munifice et eque tuens iustitia dicitur cui sunt adiuncte pietas bonitas liberalitas benignitas comitas queque sunt generis eiusdem. Atque hec ita iustitie propria sunt ut sint virtutum reliquarum communia. Nam cum sic hominis natura generata sit ut habeat quoddam innatum quasi civile atque populare quod greci politicon vocant quicquid aget quequam virtus id a communitate et ea quam exposui caritate ac societate humana non abhorrebit vicissimque iustitia ut ipsa se fundet in ceteras virtutes sic illas expetet servari enim iustitia nisi a forti viro nisi a sapiente non potest. Qualis est igitur omnis hec quam dico conspiratio consensusque virtutum tale est illud ipsum honestum quandoquidem honestum aut ipsa virtus est aut res gesta virtute. Quibus in rebus vita consentiens virtutibusque respondens recta et honesta et constans et nature congruens existimari potest. Atque hec coniunctio confusioque virtutum tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam cum ita copulate conexeque sint ut omnes omnium participes sint nec alia ab alia possit separari tamen proprium suum cuiusque munus est ut fortitudo in labo-

ribus periculisque cernitur temperantia in pretermittendis
voluptatibus prudentia in delectu bonorum et malo-
rum iustitia in suo cuique tribuendo. Quando igitur
inest in omni virtute cura quedam quasi foras spe-
ctans aliosque appetens atque complectens existit illud
ut amici ut fratres ut propinqui ut affines ut cives
ut omnes denique quamvis in ea societate hominum esse
nolimus propter se expetendi sint atque eorum nihil est eius
generis ut sit in fine atque extremo bonorum. Ita fit ut
duo genera propter se expetendorum reperiantur unum quod
est in his in quibus completur illud extremum que sunt
aut animi aut corporis. Hec autem que sunt extrin-
secus id est que neque insunt in animis neque in
corpore ut amici ut parentes ut liberi ut propinqui
ut ipsa patria sunt illa quidem sua sponte cara
sed in eodem genere quo illa non sunt. Nec vero umquam
summum bonum assequi quisquam posset si omnia
illa que sunt extra quamquam expetenda summo bo-
no continerentur. Quomodo igitur inquies verum esse
poterit omnia referri ad summum bonum si amicitie
si propinquitates si cetera externa summo bono
non continerentur. Hac videlicet ratione quod ea
que externa sunt his tuemur officiis que oriuntur
a suo cuiusque genere virtutis. Nam et amici cul-
tus et parentis ei qui officio fungitur in corpore prodest
quod ita fungi officio in recte factis est que sunt
orta ex virtutibus que quidem sapientes utentes se-
quuntur ut duce natura. Nam perfecti autem homines
et in ingeniis excellentibus prediti excitantur sepe
spe glorie que habet formam honestatis et similitu-
dinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam
atque absolutam rem unam preclarissimam omnium maxime
laudandam penitus viderent quonam gaudio com-
plerentur cum tantopere eius adumbrata opinione
letentur. Quem enim deditum voluptatibus cupidi-
tatum incendiis inflammatum in his potiendis que
acerrime concupivisset tanta leticia perfundi arbitra-
mur quanta aut superiorem Africanum Hanibale
victo aut posteriorem Carthagine eversa. Quem Ti-
berina descensio festo illo die tanto gaudio affecit
quanto L. Paulum cum regem Persen captum addu-

ducere eodem flumine invectam Age nunc lucia ne certe ais aliunde excellentiasque virtutum Iam non dubitabis quin earum compotes homines magno animo erectoque vivientes semper sint beati qui omnes motus fortune mutacionesque rerum et temporum leves et imbecilles fore intelligant si in virtutis certamen venerint Illa enim que sunt a nobis bona corporis numerata complent ea quidem beatissimam vitam sed ita ut sine illis possit beata vita existere Ita enim parve et exigue sunt iste accessiones bonorum ut quemadmodum stelle in radiis solis sic iste in virtutum splendore ne cernantur quidem Atque hoc ut vere dicitur parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum sic nimis violentum est nulla esse dicere Qui enim sic disputant obliti mihi videntur que ipsi fecerint principia nature Tribuendum est igitur his aliquid dummodo quantum tribuendum sit intelligas Est enim philosophi non tam gloriosa quam vera querentis nec pro nihilo putare ea que secundum naturam illi ipsi gloriosa esse fatebantur et videre tantam vim virtutis tantamque ut ita dicam auctoritatem honestatis ut reliqua non illa quidem nulla sed ita parva sint ut nulla esse videantur Hec est non omnia spernentis preter virtutem et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis Oracio denique hec est undique completa et perfecta explicacio summi boni Hinc ceteri particulas arripere conati suam quisque videri voluit afferre sentenciam Sepe ab Aristotele a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum sciencia Hec uno captus Herillus scienciam summum bonum defendit esse nec rem ullam aliam per se expetendam Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis Hoc unum Aristo tenuit preter vicia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam aut expetendam Positum est a nostris in his esse rebus que secundum naturam essent non dolere Hoc Hieronymus summum esse dixit bonum At vero Callipho et post eum Diodorus cum alter voluptatem adamavisset alter vacuitatem doloris neuter honestate carere potuit que est a nostris laudata maxime Quin eciam ipsi voluptarii diverticula querunt et virtutes habent in ore totos dies voluptatemque primo dumtaxat ex-

per dicant Deinde consuetudinem quasi alteram
naturam effici qua impulsi multa faciant nullam
querentes voluptatem Stoici restant hy quidem non
unam aliquam aut alteram a nobis sed totam ad se
nostram philosophiam transtulerunt atque ut reliqui fures
earum rerum quas ceperint signa commutant sic illi ut sen-
tentiis nostris pro suis uterentur nomina tamquam rerum
notas mutaverunt Ita relinquitur sola hec discipli-
na digna ingenuarum artium studiosis digna erudi-
tis digna claris viris digna principibus digna
regibus Que cum dixisset paulumque institisset
quid est inquit satis ne vobis videor pro meo iure
in vestris auribus commentatus Et ego tu vero in-
quam Piso ut sepe alias sic hodie ista nosse visus
es ut si tui copia semper nobis fieret non multum
grecos supplicandum putarem Quod quidem
eo probavi magis quod memini Staseam Neapo-
litanum doctorem illum tuum nobilem sane peri-
pateticum aliquanto ista secus dicere solitum assentien-
tem his qui multum in fortuna secunda aut adversa multum
in bonis aut malis corporis ponerent Est ut dicis
inquit Sed hec ab Antiocho nostro familiari dicuntur
multo melius et fortius quam a Stasea dicebantur
Quamquam ego non quero quid tibi a me probatum sit
sed huic Ciceroni nostro quem discipulum cupio a te
abducere Tum Lucius mihi vero ista valde proba-
ta sunt quod item fratri puto Tum mihi Piso
quid ergo inquit dasne adolescenti veniam
an eum discere mavis ea que cum percepit de-
dicerit nihil sciat Ego vero isti inquam permitto sed
nonne meministi mihi licere probare ista que sunt
a te dicta Quis enim potest ea que probabilia vi-
deantur ei non probare An vero inquit quis-
quam potest probare quod perceptum quod comprehensum
quod cognitum non habet Non ista inquam Piso
magna dissensio Nihil enim est aliud quamobrem
mihi percipi nihil posse videatur nisi quod per-
cipiendi vis ita definitur a Stoicis ut negent quic-
quam posse percipi nisi tale verum quale falsum esse
non possit Itaque hec cum illis est dissensio cum
peripateticis nulla sane Sed hec omittamus

Habent enim et bene longam et satis litigiosam disputationem
Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur sapi-
entes omnes semper esse beatos Nescio quo modo praetervo-
lavit oratio Quod si ita efficitur que theophrastus de for-
tuna de dolore de cruciatu corporis dixit cum quibus
coniungi beatam vitam nullo modo posse putavit vereor ne vera sint
Nam illud vehementer repugnat eundem beatum esse et
multis malis oppressum Haec quo modo conveniant non sane
intelligo Utrum igitur tibi non placet inquit virtu-
tis tantam vim esse ut ad beate vivendum se ipsa conten-
ta sit An si id probas ita fieri posse negas ut hii qui
virtutis compotes sint etiam malis quibusdam affecti
beati sint Ego vero volo in virtute vim esse quam
maximam sed quanta sit alias nunc tantum possit-
ne esse tanta si quicquam extra virtutem habeatur
in bonis Atqui inquit si Stoicis concedis ut virtus
sola si adsit vitam efficiat beatam et concedis etiam
peripateticis Quae enim mala illi non audent ap-
pellare aspera autem incommoda et reicienda et alie-
na naturae esse concedunt ea nos mala dicimus sed exi-
gua et paene minima Quare si potest esse beatus
is qui est in asperis reiciendisque rebus potest is quoque
esse qui est in parvis malis Et ego Piso inquam
si est quisquam qui acute in causis videre soleat
quae res agatur is est profecto tu Quare at-
tende quaeso nam in eo adhuc fortassis vitio quid
ego quaeram non perspicis Istic sum inquit Expe-
ctoque quid ad id quod quaeram respondeas Responde-
bo me non quaerere inquam hoc tempore quid virtus
efficere possit sed quid constanter dicatur quid ip-
sum a se dissentiat Quo igitur inquit modo Quia
cum a Zenone inquam haec magnifice tamquam ex oraculo
editur virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est
Quare inquit respondet quia nisi quod hone-
stum sit nullum est aliud bonum Non quaero
iam verum ne sit illud dico ea quae dicant prae-
clare inter se cohaerere Dixit hoc quidem Epicurus
semper beatum esse sapientem quod quidem solet
ebullire non nunquam Quem quidem cum summis
doloribus conficiatur ait dicturum quam suave est quam
nihil curo Non pugnem cum homine cur tan-

habeat in natura bonum illud urgeam non intelligere eum quid
sibi dicendum sit cum dolorem esse summum malum dixerit
Eadem usus in ea adversum te oratio est. Dicas ea-
dem omnia et bona et mala que quidem dicunt qui
numquam philosophum pictum ut dicitur viderunt valetudines vires
staturam formam integritatem unguiculorum omnium deformi-
tatem morbum debilitatem mala iam illa externa pre-
tu quidem Sed hec cum corporis bona sint eorum conficien-
cientia certe in bonis numerabis amicos liberos propinquos
divitias honores opes Contra hec attende me nihil
dicere si ista mala sunt in que potest incidere sapiens sapi-
entem esse non posse ad beate vivendum satis Immo vero
inquit ad beatissime vivendum parum est ad beate vero
satis Animadverti inquam te isto modo paulo ante ponere
et scio ab Antiocho nostro dici sic solere Sed quid minus
probandum quam esse aliquem beatum nec satis beatum Quod
autem satis est eo quicquid accesserit nimium est et
nemo nimium beatus est et nemo beato beatior Ergo
tibi inquit Q. Metellus qui tres filios consules vidit
e quibus unum etiam et censorem et triumphantem quartum
autem pretorem eosque salvos reliquit et tres filias
nuptas cum ipse consul etiam et censor et augur fuisset
triumphasset ut sapiens fuerit nonne beatior quam ut item
sapiens fuerit qui in potestate hostium vigiliis et me-
dia necatus est Regulus Quid me istud rogas inquam
Stoicos roga Quid igitur eos responsuros putas Ni-
chilo beatiorem esse Metellum quam Regulum Inde igitur inquit
audiendum est Tamen a proposito inquam aberramus Non
enim inquam quero quid verum sed quod cuique dicendum sit
Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem iam rui-
nas videres In virtute enim sola et in ipso honesto cum
sit bonum positum cumque nec virtus ut placet illis nec ho-
nestum crescat idque bonum solum sit quo qui potiatur ne-
cesse est beatus sit cum id augeri non possit in quo uno
positum est beatum esse qui potest esse quisquam alius alio
beatior Videsne ut hec concinunt Et hercule fa-
tendum est enim quod sentio mirabilis est apud illos con-
textus rerum Respondent extrema primis media utrisque
omnia omnibus quid sequatur quid repugnet vident
Ut in geometria prima si dederis danda sunt omnia Con-
cede nihil esse bonum nisi quod honestum sit concedendum


est in virtute positam beatam vitam Vide rursus retro dato
hoc dandum erit illud Quod vero non item Ita genera
bonorum unde et oratio venit ad extremum heret in sa-
lebra Cupit enim dicere nihil posse ad beatam vitam dees-
se sapienti honesta oratio Socratica platonis etiam Au-
deo dicere inquit non potes nisi retexueris illa paupertas
si malum est mendicus beatus esse non potest quamvis sit
sapiens At Zeno eum non beatum modo sed etiam divitem
dicere ausus est Dolere malum in cruce qui angitur
beatus esse non potest bonum liberi misera orbitas bonum
patria miserum exilium bonum valitudo miserum morbus
bonum integritas corporis misera debilitas bonum incolu-
mis acies misera cecitas Que si potest singula consola-
do levare universa quomodo sustinebit Sit enim idem cecus
debilis morbo gravissimo affectus exul orbus egens
torqueatur eculeo quem hunc appellas Zeno beatum
inquit etiam beatissimum quippe inquiet cum tam docuerim
gradus istam rem non habere quam virtutem in qua
sit etiam ipsum beatum tibi hoc incredibile quia bea-
tissimum quid tuum credibile Si enim ad populum me
vocaris eum qui ita sit affectus beatum numquam probabis
Si ad prudentes alterum dubitabunt fortasse sit ne tantum
in virtute ut ea prediti vel in phalaridis thauro beati
sint alterum non dubitabunt quin et Stoici convenientia sibi
dicant et vos repugnantia Theophrasti igitur inquit
tibi libet ille placet de beata vita tamen aberranius
a proposito et ne longius prorsus inquam Piso si ista ma-
la sunt placet Nonne igitur tibi videntur inquit mala
Id queris inquam in quo utrum respondero verses te huc
atque illuc necesse est quo tandem modo inquit Quia si
mala sunt is qui erit in his beatus non erit Si mala
non sunt iacet omnis ratio peripateticorum et ille ridens
video inquit quid agas ne discipulum abducam times
Tu vero ducas licet si sequatur Erit enim mecum si tecum
erit Audi igitur inquit Luci tecum enim ut ayt Theophra-
stus mihi instituenda oratio est Omnis auctoritas phi-
losophie consistit in beata vita comparanda beate enim
vivendi cupiditate incensi omnes sumus hoc mihi
cum tuo fratre convenit Quare hoc videndum est pos-
sit ne nobis hec oratio philosophorum dare pollicetur
certe Nisi enim id faceret cur Plato egyptum peragravit ut

a sacerdotibus barbaris numeros et celestia acciperet Cur
post tharentum ad archytam cur ad reliquos pitagore-
os eccratem thimeum arionem locros ut cum socratem ex-
pressisset adiungeret pitagoreorum disciplinam eaque que
socrates repudiabat addisceret Cur ipse pitagoras
et egiptum lustrauit persarum magos adiit tantas
regiones barbarorum pedibus obiit tot maria transmi-
sit Cur hec eadem democritus qui uere falsone que-
rere mittimus dicitur oculis se priuasse Certe ut quam
minime animus a cogitationibus abduceretur patri-
monium neglexit agros deseruit incultos Quid querens
aliud nisi beatam uitam quam si etiam in rerum cognitione
ponebat tamen ex inuestigatione nature consequi
uolebat ut esset bono animo Id enim ille summum
bonum euthymiam et sepe athambiam appellat id
est animum terrore liberum Sed hec et si preclare nondum
tamen perpolita pauca enim neque ea ipsa enucleate
ab hoc de uirtute quidem dicta Post enim hec in hac
urbe primum a socrate queri cepta Deinde in hunc lo-
cum delata sunt nec dubitatum quin in uirtute omnis
ut bene sic etiam beate uiuendi spes poneretur
Que cum zeno didicisset a nostris ut in actionibus
prescribi solet de re eadem fecit alio modo Hoc
tu nunc in illo probas scilicet uocabulis rerum mutatis incon-
stantie crimen ille effugit nos effugere non possumus
Ille metelli uitam negat beatiorem quam reguli pro-
ponendam tamen nec magis expetendam sed magis sum-
endam et si optio esset eligendam metelli reiciendam
reguli Ego quam ille proponendam et magis eligen-
dam beatiorem hanc appello nec ullo minimo mo-
mento plus ei uite tribuo quam stoici Quid interest
nisi quod ego res notas notis uerbis appello illi noua
nomina querunt quibus idem dicant Ita quemadmodum
in senatu semper est aliquis qui interpretem postulet
sic isti nobis cum interprete audiendi sunt Bonum appel-
lo quicquid secundum naturam est quod contra ma-
lum Nec ego solus sed tu etiam Crisippe in fo-
ro domi in scola desinis Quid ego aliter homines
aliter philozophos loqui putas oportere Quanti quidque
sit aliter doctos et indoctos Sed cum constiterit inter do-
ctos quanti res quaeque sit si homines essent usitate

Loquerentur dum res maneat verba fingant suo arbi-
tratu Sed nemo ad inconstancie crimen ne sepius
dicas me aberrare Quam tu ponis in verbis ego
positam in re putabam Si satis erit hoc perceptum
in quo adiutores stoicos optimos habemus tantam
vim esse virtutis ut omnia si ex altera parte pona-
tur ne appareant quidem cum omnia que illi commoda
certe dicunt esse et sumenda et eligenda et preposi-
ta que ita diffiniunt ut satis magno estimanda sint
Hec igitur cum ego tot nominibus a stoicis appella-
ta partim novis et commenticiis commenticiis ut ista
producta et reducta partim eadem significantibus quid
enim interest expetas an eligas Mihi quidem etiam lautius
videtur quod eligitur et ad quod delectus adhibetur
Sed cum ego ista omnia bona dixero tantum refert
quam magna dicam quam expetenda quam valde Sin autem
nec expetenda ego magis quam tu eligenda nec illa
ego pluris estimanda qui bona quam tu qui pro-
ducta appellas omnia ista necesse est obscurari nec
apparere et in virtutis tamquam solis radios incurrere At enim
qua in vita est aliquid mali ea beata esse non potest
Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris
si avenam uspiam videris nec mercatura questuosa
si in maximis lucris paulum aliquid dampni contra-
xerit An hoc usquequaque aliter in vita et non ex
maxima parte de tota iudicabis An dubium est
quin virtus ita maximam partem optineat in rebus
humanis ut reliquas obruat Audebo igitur que
secundum naturam sint bona appellare nec fraudare suo
vetere nomine quam aliquod potius novum exquirere
Virtutis autem amplitudinem quasi in altera libre
lance ponere Terram mihi crede ea lanx et ma-
ria deprimet Semper enim ex eo quod maximas partes
continet latissimeque funditur tota res appellatur
Dicimus aliquem hylare vivere ergo si semel
tristior effectus est hylara vita amissa est At
hoc in eo M crasso quem semel ait in vita ri-
sisse Lucillius non contigit ut ea re minus age-
lastos ut ait idem vocaretur Policratem samium
felicem appellant Nihil acciderat ei quod nollet
nisi quod anulum quo delectabatur abiecerat in

mari ergo infelix una molestia felix rursus cum
is ipse anulus in precordiis piscis inventus est Ille
vero si insipiens quod certe quoniam tyrannus nunquam be-
atus Si sapiens ne tum quidem miser cum ab o-
ronte pretore darii in crucem actus est At multis malis
affectus quis negat Sed ea mala virtutis magnitu-
dine obruebantur An ne hoc quidem peripateti-
cis concedis ut dicant omnium virorum bonorum id est
sapientium omnibusque virtutibus ornatorum vitam omnibus
partibus plus habere semper boni quam mali Quis hoc
dicit Stoicus scilicet minime Sed isti ipsi qui voluptate
et dolore omnia metiuntur Nonne clamant sapienti
plus semper adesse quod velit quam quod nolit Cum
tantum igitur in virtute ponant hii qui se fatentur
virtutis causa nisi ea voluptatem afficeret ne
manum quidem versuros fuisse quid facere nos oportet
qui quamvis minimam animi prestanciam omnibus bonis
corporis anteire dicamus ut ea ne in conspectu quidem
relinquantur Quis enim est qui hoc cadere in sapientem
dicere audeat ut si fieri possit virtutem imperpetuum abiici-
at ut dolore omni liberetur Quis nostrum dixerit
quod non pudet ea que stoici aspera dicunt mala
dicere melius esse turpiter aliquid facere cum voluptate
quam honeste cum dolore Nobis heracleotes ille
dyonisius flagiciose descivisse videtur a stoicis propter
oculorum dolorem Quasi vero hoc didicisset a ze-
none non dolere cum doleret Illud audierat nec
tamen didicerat malum illud non esse quia turpe non
esset et esset ferendum modo Hic si peripateti-
cus fuisset permansisset credo in sentencia qui dolorem
dicunt malum esse De asperitate autem eius for-
titer ferenda precipiunt eadem que stoici Et quidem
archesilas tuus et si fuit in disserendo pertinacior
tamen noster fuit Erat enim polemonis Is cum
arderet podagre doloribus visitassetque hominem car-
neades epicuri perfamiliaris et tristis exiret mane
queso inquit carneade noster nihil illinc huc pervenit
ostendit pedes et pectus at tamen hic mallet
non dolere Hec igitur est nostra racio que tibi
videtur inconstans cum propter virtutis celestem et di-
vinam tantamque prestanciam ut ubi virtus sit resque

Magne fruende laudabilesque virtute geste ibi misera
et erumna non possit Tamen labor possit et molestia
non dubitet dicere omnes sapientes semper beatos esse sed tamen
fieri posse ut sit alius alio beatior Atqui iste locus est pi-
so tibi etiam atque etiam confirmandus michi quem si tenueris
non modo meum ciceronem sed etiam me ipsum abducas licebit
Tum quintus mihi quidem inquit satis hoc confirma-
tum videtur Lucius quidem philosophiam cuius antea sup-
pellectilem pluris estimabam quam possessiones reliquorum
Ita mihi dives videbatur ut ab ea petere possem
quicquid in studiis nostris concupissem Hanc igitur lector
etiam acutiorem repperi quam ceteras quod quidam ei de-
esse dicebant Tamen nostram quidem pompo-
nius inquit vocant Sed mehercule pergrata mihi oratio
tua Que enim latine dici posse non arbitrabar ea
dicta sunt a te nec minus plane quam dicuntur a grecis
verbis aptis Sed tempus est si videtur et recta quidem
ad me Quod cum ille dixisset et satis disputatum
videretur in oppidum ad pomponium omnes perreximus



Cum defensionum laboribus senatoriis-
que muneribus aut omnino aut magna ex
parte essem aliquando liberatus, retuli me
Brute, te hortante maxime ad ea
studia, que retenta animo, remissa tem-
poribus, longo intervallo intermissa revocavi. Et cum
omnium artium que ad rectam que ad rectam vivendi
viam pertinerent ratio et disciplina studio sa-
pientie que philosophia dicitur contineretur, hoc
mihi latinis litteris illustrandum putavi, non quia
philosophia grecis et litteris et doctoribus percipi
non posset. Sed meum semper iudicium fuit omnia
nostros aut invenisse per se sapientius quam grecos
aut accepta ab illis fecisse meliora, que quidem digna
statuissent in quibus elaborarent. Nam mores
et instituta vite, resque domesticas ac familiares
nos profecto et melius tuemur et lautius. Rem
vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt
et institutis et legibus. Quid loquar de re mili-
tari, in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus
etiam disciplina. Iam illa que natura non litteris
assecuti sunt, neque cum grecia neque ulla cum gente
sunt conferenda. Que enim tanta gravitas, que tanta con-
stantia, magnitudo animi, probitas, fides, que tam ex-
cellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum
maioribus nostris comparanda. Doctrina grecia nos et
omni genere litterarum superabat, in quo erat facile vincere
non repugnantes. Nam cum apud grecos antiquissimum
e doctis genus sit poetarum, si quidem homerus
fuit et hesiodus ante romam conditam, archilocus re-
gnante romulo, serius poeticam nos accepimus.
Annis ... post romam conditam livius
fabulam dedit, appio claudio ceci filio, marco tu-
ditano consulibus anno ante natum Ennium,
qui fuit maior natu quam plautus et nevius. Sero
igitur a nostris poete vel cogniti vel recepti. Quamquam est
in originibus solitos esse in epulis canere convivas
ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen
huic generi non fuisse declarat oratio catonis in qua
obiecit ut probrum marco nobiliori quod is in pro-
vinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille

Concludit

In Italiam ut Ennius [illegible]. Quo minus igitur ho-
noris erat poetis eo minora studia fuerunt. Nec tamen
si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt non
satis Graecorum gloriae responderunt. An censemus si Fa-
bio nobilissimo homini laudi datum esset quod pingeret
non multos etiam apud nos futuros Polyclitos
et Parrhasios fuisse. Honos alit artes omnesque in-
cenduntur ad studia gloria. Iacentque ea semper que
apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam
censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epami-
nondas princeps meo iudicio Graeciae fidibus praeclare cecinisse
dicitur. Themistoclesque aliquot ante annos cum in
epulis recusasset liram est habitus indoctior. Ergo in
Graecia musici floruerunt discebantque id omnes. nec qui
nesciebat satis excultus doctrina putabatur. In summo
apud illos honore geometria fuit. Itaque nihil mathemati-
cis illustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate
huius artis terminavimus modum. At contra oratorem cele-
riter complexi sumus. nec eum primo eruditum aptum tamen
ad dicendum. Post autem eruditum. Nam Galbam Africanum
Laelium doctos fuisse traditum est. Studiosum autem eum qui
his aetate anteibat Catonem. Post vero Lepidum Carbo-
nem Gracchos. Inde ita magnos nostram ad aetatem
ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur.
Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit
lumen litterarum Latinarum. Quae illustranda et excitan-
da nobis est. ut si occupati profuimus aliquid civibus
nostris prosimus etiam si possumus otiosi. In quo eo magis
nobis est elaborandum. quod multi iam esse libri Latini
dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem
viris. sed non satis eruditis. Fieri autem potest ut recte quis
sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit.
Sed mandare quemquam litteris cogitationes suas qui nec
eas disponere nec illustrare possit nec delectatione aliqua
allicere lectorem. hominis est intemperanter abutentis
et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum
suis nec quisquam attingit praeter eos qui eandem licentiam
scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriae
laudis nostra attulimus industria. multo studiosius
philosophiae fontes aperiemus e quibus etiam illa
manabant. Sed ut Aristoteles vir summo ingenio. scie-

Cato sapiens [illegible]

521.
261

copia: quam quidem Isocratis rethoris gloria ducti, etiam cepit
adolescentes docere, et prudenciam cum eloquencia iungere
Sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere
et in hac maiore et uberiore arte versari Hanc enim
perfectam philozophiam semper iudicaui que de maximis
questionibus copiose posset ornateque dicere In quam exer-
citacione ita nos studiose operam dedimus ut iam etiam
scholas grecorum more habere auderemus, Vt nuper tuum
post discessum in tusculano cum essent complures me-
cum familiares temptaui, quid in eo genere possem Vt
enim ante ea declamitabam causas quod nemo me di-
utius fecit, sic hec mihi nunc senilis est declamacio
ponere iubebam de quo quis audire vellet de hac
id aut sedens aut ambulans disputabam Itaque dierum
quinque scholas ut greci appellant in totidem libros contuli
fiebat autem ita ut cum is qui audire vellet dixisset
quid sibi videretur tum ego contra dicerem Hec est enim ut
scis vetus et socratica racio contra alterius opinionem disseren-
di Nam ita facillime quid verisimillimum esset inve-
niri posse socrates arbitratur Sed quo commodius dis-
putaciones nostre explicentur sic eas exponam quasi a-
gatur res non quasi narretur Ergo ita nascetur ex-
ordium Malum mihi videtur esse mors hysne qui
mortui sunt an hys quibus moriendum est Vtrisque est
miserum igitur quoniam malum Certe ergo et hy quibus
evenit iam ut morerentur et hi quibus eventurum
est mihi Mihi ita videtur nemo ergo non miser
prorsus nemo Et quidem si tibi constare vis omnes
quicumque nati sunt eruntve, non solum miseri sed e-
tiam semper miseri Nam si solos eos diceres miseros quibus
moriendum esset tamen miserie finis in morte Cum autem
etiam mortui sunt miseri in miseriam nascimur sempi-
ternam, necesse est enim miseros esse eos qui centum mi-
libus annorum ante occiderunt vel potius omnes quicumque
nati sunt Ita prorsus existimo, Dic queso num te
illa terrent triceps apud inferos cerberus cochiti
fremitus travectio acherontis mento summam
attingens enectus siti tantalus Tum illud quod
sisiphus versat saxum sudans nitendo neque proficit
illum fortasse et inexorabiles iudices minos et rha-
damantus apud quos nec te L. crassus defendet

nisi forte ne illi quidem qui apud grecos iudicant res agentem potius
adhibebis demostenem. Tibi vero pro te erit maxima co-
rona dicenda causa. hec fortasse metuis et idcirco mor-
tem censes esse sempiternum malum. Adeone me delirare
censes ut ista esse credam. An tu hec non credis. Mi-
nime vero. Male hercule narras. Cur quaeso. Quia diser-
tus esse possem nisi contra ista dicerem. Quis non in eius
modi causam aut quid negocii est hec poetarum portenta
convincere. Atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserencium
philozophorum. Inepte sane quis enim est tam excors
quem ista moveant. Si ergo apud inferos miseri
non sunt ne sunt quidem apud inferos ulli. Ita pror-
sus existimo. Ubi ergo sunt hii quos miseros dicis
aut quem locum incolunt. Si enim sunt nusquam esse non
possunt. Ego vero nusquam esse illos puto. Igitur ne
esse quidem. Prorsus isto modo et tamen miseros ob
id ipsum quidem quia nulli sint. Iam mallem cer-
berum metueres quam ista tam inconsiderate
diceres. Quid tandem. Quem esse negas eundem
esse dicis. Ubi est acumen tuum. Cum enim miserum
esse dicis tum eum qui non sit dicis esse. Non sum
ita hebes ut istud dicam. Quid dicis igitur. Mise-
rum esse verbi causa crassum qui illas fortunas mor-
te dimiserit. Miserum gneum pompeium qui tanta gloria sit
orbatus. Omnes denique miseros qui hac luce careant.
M. Revolveris eodem. Sint enim oportet si miseri sunt. Tu autem
modo negabas eos esse qui mortui essent. Si igitur
non sunt nihil possunt esse. Ita ne miseri quidem sunt.
A. Non dico fortasse etiam quod sentio. Nam istud ipsum
non esse cum fueris miserrimum puto. Quid miserius
quam omnino numquam fuisse. M. Ita qui non dum na-
ti sunt miseri iam sunt quia non sunt et nos
si post mortem miseri futuri sumus miseri fu-
imus antequam nati. Ego autem non commemini antequam
sum natus me miserum. Tu si meliore memoria
es velim scire et quid de te recordare. A. Ita iocaris quasi
dicam ego eos miseros qui nati non sunt et non
eos miseros qui mortui sunt. M. Esse ergo eos dicis.
A. Immo quia non sunt cum fuerint eos miseros esse.
M. Pugnantia te loqui non vides. Quid enim tam pugnat
quam non modo miserum sed omnino quicquam esse qui non sit

An tu egressus porta capena cum calatini scipionum
serviliorum metellorum sepulcra vides miseros putas
illos. Quoniam me verbo premis post hac non ita dicam
miseros esse sed tantum miseros ob id ipsum quia non
sint. Non dicis igitur miser est M crassus sed tantum
miser M crassus plane. quasi non necesse sit quicquid
isto modo pronuncies id esse aut non esse. An tu dialec-
ticis nec imbutus quidem es. In primis enim hoc traditur
omne pronunciatum (sic enim mihi in presentia occurrit ut ap-
pellarem axioma utar post alio si invenero me-
lius) id ergo est pronunciatum quod est verum aut falsum. Cum er-
go dicis miser M crassus aut hoc dicis miser est cras-
sus ut possis iudicare verum id falsumne sit aut nihil
dicis omnino. Age iam concedo non esse miseros
qui mortui sint quoniam extorsisti ut faterer qui omnino
non essent eos ne miseros quidem esse posse. Quid
qui vivimus cum moriendum sit nonne miseri esse
sumus que enim potest esse iocunditas cum dies
et noctes cogitandum sit iam iamque esse moriendum. Ec-
quid ergo intelligis quantum mali de humana condicione
deieceris. Quonam modo. Quia si mori etiam mor-
tuis miserum esset infinitum quoddam et sempiternum
malum haberemus in vita. Nunc video calcem ad
quam cum sit decursum nihil sit preterea extimescendum
sed tu mihi videris epicharmi acuti nec insulsi
hominis ut siculi sententiam sequi. Quam non enim novi. Di-
cam si potero latine. Scis enim me grece loqui in
latino sermone non plus solere quam in greco latine
Et recte quidem. Sed que tandem est epicharmi
ista sententia. Emori nolo sed me esse mortuum
nihil estimo. Iam agnosco grecum. Sed quoniam coegisti
ut concederem qui mortui essent eos miseros non esse
perfice si potes ut ne moriendum quidem esse mise-
rum putem. Iam istuc quidem nihil negocii est
Quomodo hoc nihil negocii est aut que sunt tandem
ista maiora. Quoniam si post mortem nihil est mali
ne mors quidem est malum cui proximum tempus
est post mortem in quo mali nihil esse concedis
ita ne moriendum quidem esse malum est. id est
enim perveniendum quidem esse ad id quod non esse ma-
lum confitemur. Uberius ista quaeso. Hec enim spinosiora

Mors p(er) corporis resolutio

corpus occidere animum cum cor-
pore extingui quam discedere //

sciora plus ut confitear me cogunt quam ut assentiar
Sed que sunt ea que dicas te maiora moliri · ut doce-
am non modo malum non esse sed etiam bonum esse mortem · non
postulo id quidem aveo tamen audire · ut enim non efficias
quod vis tamen mors ut malum non sit efficies · sed nihil te
interpellabo continentem orationem audire malo · quid si te
rogavero aliquid nonne respondebis · Superbum id quidem
est sed nisi quid necesse erit malo non roges · Geram
tibi morem et ea que vis ut potero explicabo nec
tamen quasi phitius apollo certa ut sint et fixa que dixero
sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura
sequens ultra enim quo progrediar quam ut verisimilia vide-
am non habeo · Certa dicent hii qui et percipi ea pos-
se dicunt et se sapientes esse profitentur · Tu ut vi-
detur nos ad audiendum parati sumus · Mors igitur ip-
sa que videtur notissima res esse quid sit primum
est videndum · Sunt enim et qui discessum animi a cor-
pore putent esse mortem · Sunt qui nullum censeant
fieri discessum Sed una animum censent alii statim
dissipari alii diu permanere alii semper · Quid sit por-
ro ipse animus aut ubi aut unde magna dissensio
est · aliis cor ipsum animus videtur ex quo excordes
vecordes concordesque dicuntur · Et Nasica ille
prudens bis consul corculum et egregie cordatus
homo catus elius sextus · Empedocles animum
censet cordi suffusum sanguinem · aliis pars quedam
cerebri visa est animi principatum tenere · aliis nec
cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse
animum · Sed alii in corde alii in cerebro dixerunt
animi esse sedem et locum · animum autem alii animam
ut fere nostri declarat nomen · Nam et agere
animam et efflare dicimus et animosos et bene ani-
matos et ex animi sententia · Ipse autem animus ab anima dic-
tus est · Zenoni stoico animus ignis videtur · Sed
hec quidem que dixi cor cerebrum animam ignem vulgo
reliqua fere singuli ut multi ante veteres · proxime
autem Aristoxenus musicus idemque philosophus
ipsius corporis intensionem quandam velut in cantu
et fidibus que armonia dicitur sic ex corporis totius
natura et figura varios motus cieri tamquam in cantu
sonos · Hic ab artificio suo non recessit et tamen dixit

aliquid id ipsum quale esset multo ante et dictum
et explanatum a platone / Xenocrates animi figuram
quasi corpus negavit esse / verum numerum dixit esse
cuius vis ut ante iam pitagore visum erat in natura
maxima esset / Eius doctor traxit plato triplicem
animam cuius principatum id est rationem in capite sicut in
arce posuit / et duas partes separare voluit / iram et
cupiditatem / subter precordia locavit / Dicearchus autem
in eo sermone quem corinthi habitum tribus libris
exponit doctorum hominum disputantium / primo libro
multos loquentes facit / duobus fere autem quendam /
phthiotam senem quem ait a deucalione ortum dis-
serentem inducit nihil esse omnino animum et hoc esse
nomen totum inane / frustraque animalia et animantes ap-
pellari / Neque in homine inesse animum vel animam
nec in bestia vimque omnem eam qua vel agamus
quid vel sentiamus in omnibus corporibus vivis equa-
biliter esse fusam nisi separabilem a corpore esse quippe
que nulla sit nisi sit quicquam nisi corpus unum et
simplex ita figuratum ut temperatione nature vigeat
et sentiat / Aristoteles longe omnibus (platonem semper excipio)
prestans et ingenio et diligentia / cum quattuor
nota illa genera principiorum esset complexus / e quibus
omnia orerentur / quintam quandam naturam censet esse
e qua sit mens / cogitare enim et providere et discere et
docere et invenire aliquid et tam multa alia me-
minisse amare odisse cupere timere angi laetari hec
et similia eorum in eorum quattuor generum inesse
nullo putat / Quintum genus adhibet vacans nomine
et sic ipsum animum endelechiam appellat novo nomine /
quasi quandam continuatam motionem et perennem /
Nisi que me forte fugiunt hec sunt fere de animo
sententie / democritum enim magnum illum quidem virum /
Sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum
concursu quodam fortuito omittamus / Nihil enim est
apud istos quod non athomorum turba conficiat
Harum sententiarum que vera sit deus aliquis viderit
Que verisimillima magna questio est / Utrum igitur
inter has sententias diiudicare malumus an ad
propositum redire / Cupiam igitur equidem utrumque si pos-
set / sed est difficile confundere quare si ut ista non

disserantur liberari mortis metu possumus id agamus
sin id non potest nisi hac questione animorum explicata nunc
si videtur hoc illud alias. Quod malle te intelligo id
puto esse commodius efficiet enim ratio ut quecumque vera sit ea-
rum sententiarum quas exposui Mors aut malum non
sit aut sit bonum potius. Nam si cor aut sanguis
aut cerebrum est certe quoniam est corpus interibit cum
reliquo corpore tempore. Si anima est fortasse dissipabitur
si ignis extinguetur. Si est aristoxenum armonia dis-
solvetur. Quid de dicearcho dicam qui nihil om-
nino animum dicit esse. His sententiis omnibus nihil post mortem
pertinere ad quemquam potest pariter enim cum vita sensus amit-
titur non sentientis autem nihil est ullam in partem
quod intersit. Reliquorum sententie spem afferunt si te
hoc forte delectat posse animos cum e corporibus
excesserint in celum quasi in domicilium suum pervenire.
Me vero delectat idque primum ita esse velim deinde
etiam si non sit mihi persuaderi tamen velim. Quid tibi er-
go opera nostra opus est num eloquentia platonem
superare possumus. Evolve tibi ergo diligenter eius eum
librum qui est de animo amplius quod desideres nihil erit.
Feci mehercule et quidem sepius sed nescio quo modo dum
lego assentior cum posui librum et mecum ipse de
immortalitate animorum cepi cogitare assensio omnis illa ela-
bitur. Quid hoc dasne aut manere animos post mortem
aut morte ipsa interire. Do vero. Quid si maneant.
Beatos esse concedo. Sin intereant. Non esse miseros quoniam
ne sint quidem. Nam istuc coacti a te paulo ante con-
cessimus. Quo modo igitur aut cur mortem malum tibi videri
dicis que aut beatos nos efficiet animis manentibus aut non
miseros sensu carentes. Expone igitur nisi molestum
est primum si potes animos remanere post mortem. Tum si
minus id obtinebis (est enim arduum) docebis carere omni ma-
lo mortem. Ego enim istud ipsum vereor ne malum sit non
dico carere sensu sed carendum esse. Auctoribus quidem
ad istam sententiam quam vis obtineri uti possumus optimis
quod in omnibus causis et solet et debet valere plurimum. Et
primum quidem omni antiquitate que quo propius ab-
erat ab ortu et divina progenie hoc melius ea fortasse
que erant vera cernebant. Itaque unum illud erat insitum
priscis illis quos cascos appellat Ennius esse in morte sensum

[illegible]

Vera platonis

[illegible]

neque excessu vite sic deleri hominem ut funditus interiret
idque cum multis aliis rebus tum e pontificio iure et
cerimoniis sepulcrorum intelligi valet, quas maximis
ingeniis prediti nec tanta cura coluissent nec violatas
tam inexpiabili religione sanxissent nisi hereret in eorum
mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque de-
lentem. Sed quandam quasi migrationem commutationemque vite que
in claris viris et feminis dux in celum soleret esse, in ceteris
humi retineretur et permaneret tamen. Ex hoc et nostrorum opinione
Romulus in celo cum diis agit evum, ut fame adse-
tiens dixit Ennius, et apud grecos inde perlap-
sus ad nos et usque ad occeanum Hercules tantus et tam
presens habetur. Hinc liber semele natus, eademque fa-
me celebritate tindaride fratres qui non modo adiuto-
res in preliis victorie populi romani sed etiam nuncii fuisse
perhibentur. Quid ino cadmi filia nonne leucothea
nominata a grecis matuta habetur a nostris. Quid totum
prope celum ne plures persequar nonne humano genere
completum est. Si vero scrutari vetera et ex his que
scriptores grecie prodiderunt ea eruere coner ipsi illi
maiorum gentium dii qui habentur hinc a nobis profe-
cti in celum reperientur. Quere quorum demonstrantur
sepulchra in grecia, reminiscere quoniam es initiatus que
traduntur misteriis, tum denique quam hoc late pateat
intelligas. Sed qui nondum ea que multis post
annis tractari cepissent phisica didicissent tantum sibi
persuaserant quantum natura admonente cognoverant, rationes
et causas rerum non tenebant, visis quibusdam sepe
movebantur hisque maxime nocturnis ut viderentur
hii qui vita excesserant vivere. Ut porro firmissimum
hoc afferri videtur cur deos esse credamus, quod
nulla gens tam fera nemo tam omnium sit immanis
cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi
de diis prava sentiunt, id enim X ~~vicioso more effici~~ solet. omnes
tamen esse vim et divinam naturam arbitrantur. nec
vero id collocutio hominum aut consensus efficit, non
institutis opinio est confirmata non legibus. omni
autem in re consensio omnium gentium lex nature pu-
tanda est. Quis est igitur qui suorum mortem
primum non eo lugeat quod eos orbatos vite commo-
dis arbitretur. Tolle hanc opinionem luctum sustuleris

vicioso more effici solet X

Nemo n. met suo moriendo dolet fortasse et angitur
Sed illa lugubris lamentatio fletusque merens est ex
eo quod eum quem dileximus vite commodis privatum
arbitramur idque sentire atque hec iam sentimus nature
duce nulla ratione nullaque doctrina Maximum vero
argumentum est nature ipsius de immortalitate animorum ta-
citum iudicium quod omnibus cure sunt et maxime quidem
que post mortem futura sint Serit arbores que al-
teri seclo prosint ut ait in Sinephebis quid
spectans nisi etiam postera secla ad se pertinere ergo
arbores seret diligens agricola quarum aspiciet bac-
cam ipse numquam vir magnus leges instituta rem publicam
non seret Quid procreatio liberorum quid propagatio
nominis quid adoptiones filiorum quid testamentorum
diligentia quid ipsa sepulchrorum monumenta elogia
significant nisi nos futura etiam cogitare Quid illud
num dubitas quin specimen nature capi deceat ex
optima quaque natura que est melior igitur in hominum
genere natura quam eorum qui se natos ad homines iu-
vandos tutandos conservandos arbitrantur Abiit
ad deos hercules numquam abiisset nisi cum inter homines
esset eam sibi viam munivisset vetera iam ista
et religione omnium consecrata Quid in hac re pu-
blica tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse ar-
bitramur Isdem ne ut finibus nomen suum quibus
vita terminaretur nemo umquam sine magna spe im-
mortalitatis se pro patria offerret ad mortem licuit esse
ocioso themistocli licuit epaminunde licuit ne et
vetera et externa queram mihi Sed nescio quo modo
inheret in mentibus quasi seculorum quoddam augu-
rium futurorum idque in maximis ingeniis altissimis
que animis et existit maxime et apparet facillime
Quo quidem dempto quis tam esset amens qui
semper in laboribus et periculis viveret loquor de princi-
pibus Quid poete nonne post mortem nobilitari
volunt Unde ergo illud Aspicite o cives senis
ymaginis formam hic vestrum panxit maxima
facta patrum Mercedem glorie flagitat ab hiis
quorum patres affecerat gloria Idemque nemo me lac-
rimis etc volito vivus per ora virum Sed quid po-
etas opifices post mortem nobilitari volunt Quid

est phidias sui similem speciem inclusit in clipeo minerve
cum inscribere nomen non liceret. Quid nostri philosophi non ne in his libris
ipsis quos scribunt de contempnenda gloria sua nomina
inscribunt. Quod si omnium consensus nature vox est
omnesque qui ubique sunt consenciunt esse aliquid quod ad
eos pertineat qui vita cesserint nobis quoque istud esse
existimandum duximus et si quorum aut ingenio aut virtute
animus excellit eos arbitramur quia natura optima sint
cernere nature vim. Maxime verisimile est cum optimus quisque
maxime posteritati serviat esse aliquid cuius is post
mortem sensum sit habiturus. Sed ut deos esse
natura opinamur qualesque sint racione cognoscimus
sic permanere animos arbitramur consensu nacionum
omnium qua in sede maneant qualesque sint, recte discendum
est. Cuius ignoratio finxit inferos easque formi-
dines quas tu contempnere non sine causa videbare.
In terram enim cadentibus corporibus hisque humo te-
ctis ex quo dictum est humari, sub terra censebant re-
liquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem
magni errores consecuti sunt quos auxerunt poete. Frequens
enim consessus theatri in quo sunt mulierculae et pueri
movetur audiens tam grande carmen. Adsum atque ad-
venio acherunte vix via alta atque ardua per spe-
luncas saxis structas asperis pendentibus maximis ubi
rigida constat crassa caligo inferum. Tantumque va-
luit error qui mihi quidem iam sublatus videtur
ut corpora cremata cum scirent tamen ea fieri apud in-
feros fingerent que sine corporibus nec fieri possent
nec intelligi. Animos enim per se ipsos viventes non poterant
mente complecti formam aliquam figuramque querebant.
Inde homeri tota. Inde ea que meus amicus
appius. Inde mancia faciebat. Inde in vicinia nostra
averni lacus unde anime excitantur obscura umbra
aperto hostio acheruntis falso sanguine imagines mor-
tuorum. Has tamen ymagines loqui volunt quod fieri
nec sine lingua nec sine palato nec sine faucium la-
terum pulmonum vi et figura potest. Nichil enim animo videre
poterant ad oculos omnia referebant. Magni autem est in-
genii revocare mentem a sensibus et cogitacionem ab con-
suetudine abducere. Itaque credo equidem etiam alios
tot seculis. Sed quod litteris extet pherecides sirius primus

dixit animos esse hominum sempiternos antiquus sane fu
it enim meo regnante gentili hanc opinionem discipulus
eius pythagoras maxime confirmavit qui cum sup
bo regnante in ytaliam venisset tenuit illam magnam
greciam cum honore et disciplina tum etiam auctoritate
Multaque secula postea sic inquit pythagoreorum
nomen ut nulli alii docti viderentur Sed redeo
ad antiquos rationem illi sententie sue non fere reddebant
nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum
platonem ferunt ut pictagoreos cognosceret in ytaliam
venisse et in ea cum alios multos tum archytam time
umque cognovisse et didicisse pythagorea omnia primum
que de animorum eternitate non solum sensisse idem quod pitago
ram sed rationem etiam attulisse Quam nisi quid dicis
pretermittamus et hanc totam spem immortalitatis relinquamus
An tu cum me in summam expectationem adduxeris de
seris errare mehercule malo cum platone quem tu
quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror quam
cum istis vera sentire macte virtute Ego enim ipse cum
eodem ipso non invitus erraverim Num igitur
dubitamus an sicut pleraque quamquam hoc quidem minime
persuadent enim mathematici terram in medio mundo
sitam ad universi celi complexum quasi puncti instar
obtinere quod centron illi vocant eam porro naturam
esse quattuor omnium gignentium corporum ut quasi par
tita habeant inter se ac divisa momenta terrena et
humida suo nutu et suo pondere ad pares angu
los in terram et in mare ferantur Relique due partes
una ignea altera animalis ut ille superiores in medium
locum mundi gravitate ferantur et pondere sic rursus
rectis lineis in celestem locum subvolent sive ipsa natura
superiora appetente sive ignea sublime ferri sive
quod a gravioribus leviora natura repellantur Que
cum constent perspicuum debet esse animos cum e corpore ex
cesserint sive illi sint animales idem spirabiles sive ig
nei sublime ferri Si vero aut numerus quidam sit animus
quod subtiliter magis quam dilucide dicitur aut quinta
illa non nominata magis quam non intellecta natura
multo etiam integriora ac puriora sunt ut a terra lon
gissime se efferant Horum igitur aliquid animus
est ne tam vegetam mentem aut in corde cerebro ne aut

In empedocleo sanguine demersa iacet. Dicearchum
vero cum aristoxeno equali et condiscipulo suo doctos sa-
ne homines omittamus. Quorum alter ne condoluisse qui-
dem umquam videtur qui animum se habere non sentiat. alter
ita delectatur suis cantibus et eos etiam ad hec trans-
ferre conetur. Armoniam autem ex intervallis sonorum
nosse possumus quorum varia compositio etiam armonias
efficit plures. Membrorum vero situs et figura corporis
vacans animo quam possit armoniam efficere non video. Sed
hic quidem quamvis eruditus sit sicut est hec magistro con-
cedat aristoteli canere ipse doceat. bene enim ille grecorum
proverbio precipitur quam quisque norit artem in hac se exer-
ceat. Illam vero funditus eiciamus individuorum corpo-
rum levium et rotundorum concursionem fortuitam quam
tamen democritus concalefactam et spirabilem id est animalem es-
se vult. Is autem animus qui si est horum quattuor generum
ex quibus omnia constare dicuntur ex inflammata anima
constat ut potissimum videtur panetio superiora capessat ne-
cesse est. Nihil enim habent hec duo genera proni et supera
semper petunt. Ita sive dissipantur procul a terris id
evenit sive permanent et conservant habitum suum. Hoc etiam
magis necesse est ferantur ad celum et ab his perrumpatur
et dividatur crassus hic et concretus aer qui est terre pro-
ximus. Calidior est enim vel potius ardentior animus quam est
hic aer quem modo dixi crassum atque concretum. Quod ex
eo sciri potest quia corpora nostra terreno principiorum
genere confecta ardore animi concalescunt. Accedit ut
eo facilius animus evadat ex hoc aere quem sepe iam
appello eumque perrumpat quod nihil est animo ve-
locius nulla est celeritas que possit cum animi celerita-
te contendere. Qui si permanet incorruptus suique similis
necesse est ita feratur ut penetret et dividat omne celum
hoc in quo nubes imbres ventique coguntur quod et humidum
et caliginosum est propter exalationes terre. Qua regione
cum superavit animus naturamque sui similem contigit et agnovit
iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato
ignibus insistit et finem altius se efferendi facit. Cum
enim sui similem et levitatem et calorem adeptus est tam-
quam paribus examinatus ponderibus nullam in partem
movetur. Eaque ei demum naturalis est sedes cum ad sui
simile penetravit in quo nulla re egens aletur et su-

sustentabuntur hisdem rebus quibus astra sustentantur
et aluntur. Atque corporeis facibus inflammari solemus
ad omnes fere cupiditates eoque magis incendimur quod his
emulemur qui ea habeant que nos habere cupimus
profecto beati erimus cum corporibus relictis et cupiditatum et
emulationum erimus expertes. Quodque nunc facimus cum la-
xati curis sumus ut spectare aliquid velimus et visere
id multo tum faciemus liberius totosque nos in contemplandis
rebus perspiciendisque ponemus, propterea quod et natura inest
in mentibus nostris insatiabilis quedam cupiditas ve-
ri videndi. Et ore ipse locorum illorum quo pervene-
rimus quo faciliorem nobis cognitionem rerum celestium
eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Hec enim
pulchritudo etiam in terris patriam illam et avitam
ut ait Theophrastus philosophiam cognitionis cupiditate
incensam excitavit. Precipue vero fruentur ea qui
tum etiam cum has terras incolentes circumfusi erant
caligine tamen acie mentis dispicere cupiebant. Etenim
si nunc aliquid assequi se putant qui hostium Ponti
viderunt et eas angustias per quas penetravit ea
que est nominata Argo quia Argivi in ea de-
lecti viri petebant pellem inauratam arietis, aut
hi qui oceani freta illa viderunt Europam Libi-
amque rapax ubi dividit unda. Quod tandem specta-
culum fore putamus cum totam terram contueri licebit
eiusque cum situm formam circumscriptionem, tum et habita-
biles regiones et rursum omni cultu propter vim fri-
goris aut caloris vacantes. Nos enim ne nunc quidem
oculis cernimus ea que videmus, neque enim est ullus sen-
sus in corpore. Sed ut non physici solum docent verum
etiam medici qui ista aperta et patefacta viderunt
vie quasi quedam sunt ad oculos ad aures ad na-
res a sede animi perforate. Itaque sepe aut cogitatione
aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris
et oculis et auribus nec videmus nec audimus, ut fa-
cile intelligi possit animum et videre et audire non eas
partes que quasi fenestre sunt cum quibus tamen sentire
nihil queat mens nisi id agat et adsit. Quid quod eadem
mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem sa-
porem calorem odorem sonum, que nunquam quinque nuntiis
animus cognosceret nisi ad eum omnia referrentur. Et

omnium iudex solus esset, tum ea profecto tanto multo
pulchra et dilucidiora cernentur in quo natura fecit liberius
animus pervenerit. Nam nunc quidem quamquam foramina
illa que patent ad animum a corpore callidissimo
artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretis
que corporibus sunt intersepta quodam modo. Cum autem nihil
erit preter animum, nulla res obiecta impediet quominus
percipiat quale quidque sit. Quamvis copiose hec diceremus
si res postularet, quam multa, quam varia, quanta spe-
ctacula animus in locis celestibus esset habiturus. Que
quidem cogitans soleo sepe mirari nonnullorum inso-
lenciam philosophorum qui nature cognitionem admirantur eius
que inventori et principi gratias exultantes agunt
eumque venerantur ut deum. Liberatos enim se per eum
dicunt gravissimis dominis terrore sempiterno et diurno ac
nocturno metu. Quo terrore, quo metu, que est anus
tam delira que timeat ista, que vos videlicet si phisica
non didicissetis timeretis. Acherusia templa alta
orci pallida leti obnubila tenebris loca. Non pudet
philosophum in eo gloriari quod hec non timeat et quod
falsa esse cognoverit. E quo intelligi potest quam acuti
natura sint, quoniam hec sine doctrina credituri fuerunt.
Preclarum autem nescio quid adepti sunt, quod didice-
runt se cum tempus mortis venisset totos esse perituros.
Quod ut ita sit, nihil enim pugno, quid habet ista res
aut letabile aut gloriosum. Nec tamen mihi sane quicquam
occurrit cur non Pythagore sit et Platonis vera sententia.
Ut enim rationem Plato nullam afferret, vide quid homini
tribuam, ipsa auctoritate me frangeret. Tot autem rationes
attulit ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur. Sed
plurimi contra nituntur animosque quasi capite damnatos
morte multant, neque aliud est quicquam cur incredibilis
his animorum videatur eternitas nisi quod nequeunt qualis
animus sit vacans corpore intelligere et cogitatione compre-
hendere. Quasi vero intelligant qualis sit in ipso corpore,
que conformatio, que magnitudo, qui locus, ut si iam
possent in homine vivo cerni omnia que nunc tecta
sunt, casurusne in conspectum videatur animus an
tanta sit eius tenuitas ut fugiat aciem. Hec reputent
isti qui negant animum sine corpore se intelligere pos-
se, videbunt quem in ipso corpore se intelligant. Mi-

Nobilis ratio originis anime.

Quod illud quod semper movetur sit quasi [illegible] continue exserit et emittit [illegible] continue exserit et emittit [illegible] sine sui immutatione [illegible]

quidem. Nam animi naturam intuenti multo difficilior occurrit co-
gitatio multoque obscurior qualis animus in corpore sit tamquam
alienae domi quam qualis cum exierit et in liberum
caelum quasi domum suam venerit. Si enim quod numquam vidimus
id quale sit intellegere non possumus, certe et deum ipsum
et divinum animum corpore liberatum cogitatione complecti
non possumus. Dicaearchus quidem et Aristoxenus
quia difficilis erat animi quid aut qualis esset intel-
legentia, nullum omnino animum esse dixerunt. Est illud
quidem vel maximum animo ipso animum videre, et nimi-
rum hanc habet vim praeceptum Apollinis quo monet
ut se quisque noscat. Non enim credo id praecipit ut membra
nostra aut staturam figuramve noscamus; neque nos
corpora sumus. Nec ego tibi haec dicens corpori tuo dico.
Cum igitur nosce te dicit, hoc dicit nosce animum tuum.
Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi re-
ceptaculum; ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Hunc
igitur se nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris
cuiusdam animi praeceptum tributum deo, si hoc se ipsum
posse cognoscere. Sed si qualis sit animus ipse animus
nesciat, dic quaeso, ne esse quidem se sciet, ne moveri
quidem se? Ex quo illa ratio nata est Platonis quae
a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita
est in sexto libro de re publica. Quod semper movetur aeternum est; quod
autem motum affert alicui quodque ipsum agitatur aliunde,
quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est.
Solum igitur quod se ipsum movet, quia numquam deseritur
a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris
quae moventur hic fons, hoc principium est movendi.
Principii autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur
omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec esset
id principium quod gigneretur aliunde. Quod si numquam
oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium
extinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud
creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia.
Ita fit ut motus principium ex eo sit quod ipsum a se mo-
vetur; id autem nec nasci potest nec mori, vel concidat omne
caelum omnisque natura consistat necesse est nec vim ullam
nanciscatur qua primo impulsa moveatur. Cum
pateat igitur aeternum id esse quod se ipsum moveat, quis
est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum

Est enim omne quod pulsu agitatur externo / quod autem est animal
id motu cietur interiore et suo / Nam hec est propria natura
animi atque vis que si est una ex omnibus que se
ipsam per se moveat / neque nata certe est / et eterna est / licet
concurrant omnes plebei philosophi / Sic enim hi qui a platone et
et socrate et ab ea familia dissident appellandi videntur /
non modo nihil umquam tam eleganter explicabunt / Sed
ne hoc quidem ipsum quam subtiliter conclusum sit intel-
liget / Sentit igitur animus se moveri quod cum sentit
illud una sentit se vi sua non aliena moveri /
nec accidere posse ut ipse umquam a se deseratur / Ex quo
efficitur eternitas nisi quid habes ad hec / Ego vero
facile sim passus ne in mentem quidem mihi aliquid
contra venire ita est faveo sententie / Quid illa tandem
num leviora censes / que declarant inesse in animis homi-
num divina quedam / et que si cernerem quemadmodum nascerentur
etiam quemadmodum interirent viderem / Nam sanguinem bilem pituitam ossa nervos ve-
nas omnem denique membrorum et totius corporis
figuram videor posse dicere unde concreta et quo modo facta
sint / Animum ipsum si nihil esset in eo nisi id ut per eum
viveremus / tam natura putarem hominis vitam sustentari quam
vitis quam arboris / hec enim etiam dicimus vivere / Item si
nihil haberet animus hominis nisi ut appeteret aut fugeret
id quoque esset ei commune cum bestiis / habet primum memoriam
et eam infinitam rerum innumerabilium / quam quidem
plato recordationem esse vult vite superioris / nam in illo
libro qui inscribitur Menon pusionem quendam
Socrates interrogat quedam geometrica de dimensione
quadrati / Ad ea sic ille respondet ut puer / et tamen
ita faciles interrogationes sunt ut gradatim respondens
eodem perveniat quo si geometrica didicisset / Ex
quo effici vult socrates ut discere nihil aliud sit nisi re-
cordari / Quem locum multo etiam accuratius expli-
cat in eo sermone quem habuit eo ipso die quo excessit
e vita / docet enim quemvis qui omnium rerum rudis esse
videatur / Bene interroganti respondentem / declarare
se non tum illa discere / Sed reminiscendo recognoscere
nec vero fieri ullo modo posse ut a pueris tot rerum
atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis no-
tiones quas ennoias vocant haberemus nisi animus antequam
in corpus intravisset in rerum cognitione viguisset / Licet

nihil est ut omnibus locis apte dissereretur, nihil ille
putat esse quod oriatur et intereat, idque solum
esse quod semper tale sit, quale ideam appellat ille
nos speciem, non potuit animus hec in corpore inclusus
agnoscere, cognita attulit ex quo tam multarum rerum
cognitionis admiratio tollitur, neque ea plane videt
animus cum repente in tam insolitum tamque perturbatum
domicilium immigravit. Sed cum se collegit atque recre-
avit, tum agnoscit illa reminiscendo, ita nihil est aliud
discere nisi recordari. Ego autem maiore etiam quodam
memoriam admiror. Quid est enim illud quo meminimus
aut quam habet vim aut unde naturam non quero quanta
memoria Simonidi fuisse dicatur quanta Theodotes quanta
is qui a porro legatus ad senatum est missus
Cineades quanta nuper Carneades quanta qui modo
fuit Scepsius Metrodorus quanta noster Hortensius
de communi hominum memoria loquor et eorum maxime
qui in aliquo maiore studio versantur et arte quorum
quanta mens sit difficile est existimare ita multa
meminerunt. Quorsus igitur hec spectat oratio, que
sit illa vis et unde sit intelligendum puto non est
certe nec cordis nec sanguinis nec cerebri nec athomorum
anima sit an ignis nescio, nec me pudet ut istos
fateri nescire quod nesciam. Illud si ulla alia de re
obscura adfirmare possem sive anima sive ignis sit
animus eum iurarem esse divinum. Quid enim obsecro te
terra ne tibi hoc nebuloso et caliginoso celo aut
sata aut concreta videtur tanta vis memorie
Si quid sit hoc non vides at quale sit vides, sin
id quidem at quantum sit profecto vides. Quid
igitur utrum capacitatem aliquam in animo putamus
esse quo tamquam in aliquod vas ea que meminimus
infundantur. Absurdum id quidem. Qui enim fundus
aut que talis animi figura intelligi potest aut que
tanta omnino capacitas. An imprimi quasi ceram animum
putamus et esse memoriam signatarum rerum in mente
vestigia. Que possunt verborum que rerum ipsarum
esse vestigia. Que porro tam immensa magnitudo
que illa tam multa possit effingere. Quid illa vis
que tandem est que investigat occulta, que in-
ventio atque excogitatio dicitur. Ex hac ne terrena

ubi mortalia sunt et caduca concreta ea videt. ¶ Aut
qui primus quod summe sapientie Pytagore visum est om-
nibus rebus imposuit nomina aut qui dissipatos homines
congregavit et ad societatem vite convocavit aut qui
sonos vocis qui infiniti videbantur paucis littera-
rum notis terminavit aut qui errantium stellarum cursus
progressiones institutiones notavit. ¶ Omnes magni
etiam superiores qui fruges qui vestitum qui tecta qui
cultum vite qui presidia contra feras invenerunt a
quibus mansuefacti et exculti ad necessariis artificiis
ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oble-
ctatio magna parta est inventa et temperata varie-
tate et natura sonorum. Et astra suspeximus tum
ea que sunt infixa certis locis tum non re sed vocabulo
errantium quorum conversiones omnesque motus qui animo
vidit is docuit animum similem eius esse qui ea fabricatus
esset in celo. Nam cum Archimedes lune solis quinque
errantium motus in speram alligavit effecit idem quod
ille qui in Timeo mundum edificavit Platonis deus
ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una
regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non
potest ne in spera quidem eosdem motus Archimedes
sine divino ingenio potuisset imitari. Michi vero ne hec
quidem notiora et illustriora carere vi divina vi-
dentur. Ut ego aut poetam grave plenumque carmen
sine celesti aliquo mentis instinctu putem fundere aut
eloquentiam sine maiore quadam vi fluere habundantem
sonantibus verbis uberibusque sententiis. Philosophia vero omnium mater
artium quid est aliud nisi ut Plato donum ut ego in-
ventum deorum. Hec nos primum ad illorum cultum deinde ad
ius hominum quod situm est in generis humani societate tum
ad modestiam magnitudinemque animi erudivit eademque
ab animo tamquam ab oculis caliginem dispulit ut omnia supera
infera prima ultima media videremus. Prorsus hec divi-
na michi videtur vis que tot res efficiat et tantas.
Quid est enim memoria rerum et verborum quid porro inven-
cio profecto id quo ne in deo quidem quicquam maius intelligi
potest. Non enim ambrosia deos aut nectare aut Iuven-
tute pocula ministrante letari arbitror. Nec Homerum
audio qui Ganimedem ab dijs raptum ait propter
formam ut Iovi bibere ministraret non iusta causa

Laomedonti tanta fieret iniuria / fingebat hec home-
rus et humana ad deos transferebat diuina mal-
lem ad nos Que autem diuina vigere sapere inue-
nire meminisse Ergo animus qui ut ego dico diuinus est
ut euripides dicere audet deus est Et quidem si deus
aut anima aut ignis est idem est animus hominis Nam ut illa
natura celestis et terra vacat et humore sic utriusque
harum rerum humanus animus est expers Sin autem est
quinta quedam natura ab aristotile inducta primum hec
et deorum est et animorum hanc nos sententiam secuti his ipsis
verbis in consolatione hec expressimus animorum nulla in terris
origo inueniri potest Nihil enim est in animis mixtum atque
quod ex terra natum atque fictum esse videatur Nihil ne
aut humidum quidem aut flabile aut igneum his enim in
naturis nihil inest quod vim memorie mentis cogitati-
onis habeat / quod et preterita teneat et futura prouideat
et complecti possit presentia / que sola diuina sunt nec inuenietur
umquam unde ad hominem venire possint nisi a deo Sin-
gularis est igitur quedam natura atque vis animi / seiuncta
ab his usitatis notisque naturis Ita quicquid est illud quod
sentit quod sapit quod viuit quod viget celeste et diuinum
ob eamque rem eternum sit necesse est / nec vero deus ipse qui
intelligitur a nobis alio modo intelligi potest nisi mens
soluta quedam et libera segregata ab omni concretione
mortali Omnia sentiens et mouens ipsaque predita
motu sempiterno hoc est genere atque eadem e natura e
humana mens / ubi igitur aut qualis est ista mens ubi
tua aut qualis potesne dicere / an si omnia ad intel-
ligendum non habeo que habere vellem ne his quidem
que habeo mihi per te uti licebit non valet animus ut se ipse
videat ut oculus sic animus se non videns alia cer-
nit non valet autem quod minimum est formam suam
fortasse quamquam id quoque / sed relinquamus vim certe sa-
gacitatem memoriam motum celeritatem videt / hec magna
hec diuina hec sempiterna sunt Qua facie quidem
sit aut ubi habitet ne querendum quidem est ut cum vi-
demus speciem primum candoremque celi deinde conuersi-
onis celeritatem tantam quantam cogitare non possumus
Tum vicissitudines dierum ac noctium commutationesque
temporum quadripertitas ad maturitatem frugum et
ad temperationem corporum aptas eorumque omnium modera-

539

270

torem et ducem solem lunamque accretione et dimi-
nutione luminis quasi fastorum notantem et significantem
dies. Tum in eodem orbe in duodecim partes distribu-
to quinque stellas ferri eosdem cursus constantissime serva-
tis disparibus inter se motibus nocturnamque celi formam
undique sideribus ornatam. Tum globum terre eminentem
e mari fixum in medio mundi universi loco duabus oris
distantibus habitabilem et cultum quarum altera quam nos
incolimus sub axe posita ad stellas septem unde
horrifer aquilonis stridor gelidas molitur nives. Altera
australis ignota nobis quam vocant greci antictona
ceteras partes incultas quod aut frigore rigeant aut urantur
calore. Hic autem ubi habitamus non intermittit suo tempore
celum nitescere arbores frondescere vites letificare pampi-
nis pubescere ramos bacarum ubertate incurvescere se-
getes largiri fruges florere omnia fontes scatere her-
bis prata convestiri. Tum multitudinem pecudum partim ad
vescendum partim ad cultus agrorum partim ad vehendum
partim ad corpora vestienda hominemque ipsum quasi contem-
platorem celi ac deorum cultoremque atque hominis
utilitati agros omnes et maria parentia. Hec igitur
et alia innumerabilia cum cernimus possumusne dubi-
tare quin his presit aliquis vel effector si hec nata
sunt ut platoni videtur vel si semper fuerint ut aristoteli
placet moderator tanti operis et muneris. Sic mentem
hominis quamvis eam non videas ut deum non videas
tamen ut deum agnoscis ex operibus eius sic ex memoria
rerum et inventione et celeritate motus omnique pul-
critudine virtutis vim divinam mentis agnoscito. In
quo igitur loco est credo equidem in capite et cur
credam afferre possum. Sed alias ubi sit animus
certe quidem in te est. Que est ei natura propria puto et su-
a. Sed fac igneam fac spirabilem nihil ad id de quo
agimus. Illud modo videto ut deum noris et si eius
ignores et locum et faciem sic animum tibi tuum no-
tum esse oportet etiam si ignores et locum et formam.
In animi autem cognitione dubitare non possumus
nisi plane in physicis plumbei sumus quin nihil
sit animis admixtum nihil concretum nihil copula-
tum nihil coagmentatum nihil duplex. Quod cum ita
sit certe nec secerni nec dividi nec discerpi nec distrahi

potest nec interire igitur est enim interitus quasi discessus et secre-
tio ac diremptus earum partium que ante interitum iunctione
aliqua tenebantur His et talibus racionibus adductus
Socrates nec patronum quesivit ad iudicium capitis nec
iudicibus supplex fuit adhibuitque liberam contumaciam
a magnitudine animi ductam non a superbia, et sup-
remo vite die de hoc ipso multa disseruit et paucis
ante diebus cum facile posset e custodia duci noluit et
cum pene iam in manu mortiferum illud teneret poculum
locutus ita est ut non ad mortem trudi verum in celum
videretur ascendere, Ita enim censebat atque disseruit duas
esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedenti-
um Nam qui se humanis viciis contaminassent et
se totos libidinibus dedissent quibus cecati vel se
domesticis viciis atque flagiciis se inquinavissent vel
re publica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, hiis
devium quoddam iter esse seclusum a consilio deorum qui
autem se integros castosque servavissent quibusque fuisset
minima contagio cum corporibus seseque ab hiis semper sevocavissent
seque essentque in corporibus humanis vitam imitati deo-
rum His ad illos a quibus essent profecti redditum
facilem pateret Itaque commemorat ut cigni qui non sine
causa appollini dicati sunt Sed quod ab eo divina-
cionem habere videantur qua providentes quid in morte
boni sit cum cantu et voluptate moriantur Sic omnibus
bonis et doctis esse faciendum Nec vero de hoc quisquam
dubitare posset nisi idem nobis accideret diligenter de a-
nimo cogitantibus quod hiis sepe venit cum qui
acriter oculis deficientem solem intuerentur ut aspe-
ctum omnino amitterent Sic mentis acies se ipsa intuens
non numquam hebescit ob eamque causam contemplandi di-
ligenciam amittimus Itaque dubitans circumspectans
hesitans multa adversa reverens tamquam in rate in mari immenso
nostra vehitur oracio Sed hec et vetera et a grecis Cato
autem sic abiit e vita ut causam moriendi nactum se esse
gauderet Vetat enim dominus ille in nobis deus iniussu hinc
nos demigrare Cum vero causam iustam deus ipse dederit
ut tunc Socrati nunc Cathoni sepe multis ne ille me-
dius fidius vir sapiens et letus ex hiis tenebris in lucem
illam excesserit nec tamen illa vincula carceris rupit
leges enim vetant sed tamen tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate le-

coniuncta sit a deo evocatus atque emissus exierit tota enim
philosophorum vita ut ait idem commentatio mortis est. Nam
quid aliud agimus nisi cum a voluptate idem a corpore
cum a re familiari que est ministra et famula corporis
tum a re publica tum a negocio omni sevocamus animum
Quid inquam tum agimus nisi animum ad se ipsum advoca-
mus secum esse cogimus maxime quam a corpore abducimus
Secernere autem a corpore animum nec quicquam aliud est nisi
mori discere Quare hoc commentemur michi crede disiun-
gamus nos a corporibus id est consuescamus mori hoc et
dum erimus in terris erit illi celesti vite simile et cum
illuc ex his vinclis emissi feremur minus tardabitur
cursus animorum Nam qui in compedibus corporis semper
fuerunt etiam cum soluti sunt tardius ingrediuntur ut hii
qui ferro vincti multos annos fuerunt
quo cum venerimus tum denique vivemus Nam hec
quidem vita mors est quam lamentari possem si
liberet Satis tu quidem in consolatione es lamen-
tatus quam cum lego nichil malo quam has res re-
linquere his vero auditis multo magis Veniet tem-
pus et quidem celeriter et sive retractabis sive properabis
volat enim etas Tantum autem abest ab eo ut malum
mors sit quod tibi dudum videbatur ut verear ne ho-
mini nichil sit non malum aliud certe sed nichil bonum
aliud potius siquidem vel dii ipsi vel cum diis fu-
turi sumus Quid refert enim qui hec non probent
Ego autem numquam ita te in hoc sermone dimittam
ulla uti racione ut mors tibi videri malum possit Qui
potest cum ista cognoverim Qui possit rogas Cater-
ve veniunt contradicentium nec solum epicureorum quos
equidem non despicio sed nescio quomodo doctissimus
quisque contempnit acerrime autem delicie mee di-
cearchus contra hanc immortalitatem disseruit Is
enim tres libros scripsit qui lesbiaci vocantur quod mi-
tilenis sermo habetur in quibus vult animos esse
mortales Stoici autem usuram nobis largiuntur
tamquam cornicibus diu mansuros esse mansuros animos
aiunt semper negant Num non vis igitur audi-
re Cur etiam si ista sint mors tamen non sit in
malis ut videtur Sed me nemo de immortalitate
depellet Laudo id quidem etsi nichil animis oportet

considere Monemur enim sepe aliquo acute concluso labamus
mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus In his est
enim aliqua obscuritas Id igitur si acciderit simus armati
Sane quidem Sed ne accidat providebo Numquid igitur
est cause quin amicos nostros stoicos dimittamus eos
dico aiunt manere animos cum e corpore excesserint
sed non semper Istos vero qui quod tota in hac causa difficil-
limum est suscipiat posse animum manere corpore vacan-
tem Illud autem quod non modo facile ad credendum
est Sed eo concesso quod volunt consequens Id vero non
dant ut cum diu permanserit ne intereat Bene
reprehendis et se isto modo res habet Credamus igitur
Panetio a platone suo dissentienti quem enim omnibus
locis divinum quem sapientissimum quem sanctissimum quem
homerum philozophorum appellat huius hanc unam
sententiam de immortalitate animorum non probat Vult enim quod
nemo negat quicquid natum sit interire nasci autem animos
quod declaret eorum similitudo qui procreentur que
etiam in ingeniis non solum in corporibus appareat
Alteram autem affert racionem nihil esse quod doleat
quin id egrum esse quoque possit Quod autem in morbum
cadat id etiam interiturum dolere autem animos ergo etiam
interire Hec refelli possunt Sunt enim ignorantis cum
de eternitate animorum dicantur de mente dici que omni
turbido motu semper vacet non de partibus iis in quibus
egritudines ire libidinesque versentur Quas is contra
quem hec dicuntur semotas a mente et disclusas
putat Iam similitudo magis apparet in bestiis quarum
animi sunt racionis expertes hominum autem similitudo
in corporum figura magis extat et ipsi animi magni
refert quali in corpore locati sint Multa enim e cor-
pore existunt que acuant mentem multa quidem
obtundant Aristoteles quidem ait omnes ingeniosos
melancolicos esse ut ego me tardiorem esse non mo-
leste feram enumerat multos idque quasi constet ra-
cionem cur ita fiat affert Quod si tanta vis est ad
habitum mentis in his que gignuntur in corpore
ea sunt quecumque sunt que similitudinem faciunt
nihil necessitatis affert cur nascantur animi similitudo Omit-
to similitudines vellem adesse posset Panetius vive-
bat cum affricano quererem ex eo cuius suorum similis

fuisse Africani fratris nepos facie et patris vita omnium
perditorum ita similis ut esset facile deterrimus. Cuius etiam
similis P. Crassi et sapientis et eloquentis et primi hominis
nepos multorumque aliorum clarorum virorum quos nihil
attinet nominare nepotes et filii. Sed quid agimus? obli-
tine sumus hoc nunc nobis esse propositum, cum
dixissemus ne si interirent quidem animi quicquam mali
esse in morte? Ego vero memineram. Sed te de eternitate
dicentem ab errare a proposito facile patiebar. Video al-
te spectare te et velle in celum migrare. Spero fore
ut contingat id nobis. Sed fac ut isti volunt animos non
remanere post mortem, video nos si ita sit privari spe
beatioris vite. Mali vero quid affert ista sententia? Fac enim animum
sic interire ut corpus. Num igitur aliquis dolor aut
omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem
dicit. Etsi Democritum insimulat Epicurus, Democritii negant.
Ne in animo quidem igitur sensus remanet. Ipse enim nusquam
nusquam est. Ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est?
An quia ipse animi discessus a corpore non fit sine
dolore? Ut credam esse ita, quam id est exiguum, et falsum
esse arbitror et fit plerumque sine sensu, nonnumquam
etiam cum voluptate, totumque hoc leve est qualecumque est,
fit enim ad punctum temporis. Illud angit vel potius excruci-
at, discessus ab omnibus his que sunt bona in vita.
Vide ne a malis dici verius possit. Quid ego nunc
lugeam vitam hominum? Vere et iure possum. Sed quid
necesse est, cum id agam ne post mortem miseros nos
putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem?
Fecimus hoc in eo libro in quo nosmetipsos quantum
potuimus consolati sumus. A malis igitur mors ab-
ducit non a bonis, verum si querimus. Et quidem hoc
a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur ut is a rege
Ptolomeo prohibitus esse dicatur illa in scolis dicere,
quod multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent. Calim-
achi quidem epigramma in Ambraciotam Theombrotum est,
quem ait cum ei nihil accidisset adversi e muro se in
mare abiecisse lecto Platonis libro. Eius autem quem dixi
Hegesie liber est   quod a vita quidam per inediam dis-
cedens revocatur ab amicis, quibus respondens vite
humane enumerat incommoda. Possem id facere, et si
minus quam ille qui omnino vivere expedire nemini

putat omni uero aliorum Etiam ut nobis expedit quod
et domesticis et forensibus solaciis ornamentisque priva-
ti. Certe si ante occidissent, morte a malis non a bo-
nis abstraxisset. Sit igitur aliquis qui nihil mali
habeat nullum a fortuna vulnus acceperit Metellus
ille honoratus iiii^or filiis at quinquaginta priamus e quibus
iusta uxorem natis cum in utroque eandem habuit for-
tuna potestatem sed usa in altero est. Metellum enim multi
filii filie nepotes neptes in rogum imposuerunt pri-
mum tanta progenie orbatum cum in aram confugisset et
hostilis manus interemit. Hic si uiuis filiis incolumi re-
gno occidisset astante ope barbarica tectis celatis laquea-
tis utrum tandem a bonis an malis discessisset. Tum
profecto videretur a bonis at certe ei melius evenisset
nec tam flebiliter illa canerentur. Hec omnia vidi in-
flammari priamo vitam evitari Iovis aram sangine tur-
pari. Quasi uero ista vi quicquam tum potuerit ei melius ac-
cidere quod si ante occidisset tamen eventum omnino amisisset
Hoc autem tempore sensum amisit malorum pompeyo nostro
familiari cum graviter egrotaret neapoli melius est factum
Coronati neapolitani fuerunt nimirum etiam puteola-
ni vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum
sane negotium et grecolum sed tamen fortunatum. Utrum
igitur si tum esset extinctus a bonis rebus an a malis
discessisset. Certe a miseris. Non enim cum socero bellum ges-
sisset non imparatus arma sumpsisset non domum reliquis-
set nec ex ytalia fugisset non exercitu amisso nudus
in servorum ferrum manus incidisset. Non liberi defleti
non fortune omnes a victoribus possiderentur qui si
mortem tunc obisset in amplissimis fortunis occidisset
Is propagatione vite quot quantas quam incredibiles
hausit calamitates. Hec morte effugiuntur etiam si
non evenerunt tamen quia possunt evenire. Sed homines
ea sibi accidere posse non cogitant. Metelli sperat sibi
quisque fortunam proinde quasi aut plures fortunati sint
quam infelices aut certi quicquam sit in humanis rebus aut
sperare sit prudencius quam timere. Sed hoc ipsum concedatur
bonis rebus homines morte privari. Ergo etiam carere
mortuos vite commodis idque esse miserum. Certe ita dicant
necesse est. An potest is qui non est re ulla ca-
rere. Triste est enim nomen ipsum carendi quia subicitur

hec ut habuit non habet desiderat requirit indiget hec
sunt incommoda carentis caret oculis odiosa ce-
citas liberis orbitas valet hoc in vivis mortuorum autem
non modo vite comodis sed ne vita quidem ipsa quisquam
caret de mortuis loquor qui nulli sunt nos qui sumus
num aut si cornibus caremus aut pennis sit qui id
dixerit certe nemo quid ita quia cum id non habeas
quod tibi nec usu nec natura sit aptum non careas etiam
si sentias te non habere hoc premendum etiam atque est
argumentum confirmato illo de quo si mortales animi sunt
dubitare non possumus Cum tantus interitus in morte
sit ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur
Hoc igitur probe stabilito et fixo illud excuciendum est
ut sciatur quid sit carere ne relinquatur aliquid er-
roris in verbo Carere ergo hoc significat egere eo quod ha-
bere velis Inest enim velle in carendo nisi cum sic tamquam
in febri dicitur alia quedam racione verbi Dicitur
carere non aliquo modo carere ut aliquid id non habeat et
non habere nec essem non esse dolendum dicitur illud bono
carere quod est malum Sed ne vivus quidem bono ca-
ret si eo non indiget Sed in vivo tamen intelligi potest
regno te carere Dici autem hoc in te satis subtiliter
non potest Posset in Tarquinio cum regno esset ex-
pulsus in mortuo ne intelligi quidem Carere enim sen-
cientis est nec sensus in mortuo est Quamquam quid o-
pus est in hoc philozophari cum non magnopere phi-
losophia egere videamus quociens non modo ducto-
res nostri Sed universi etiam exercitus ad non dubi-
am mortem cucurrerunt Que quidem si timeretur non
Lucius Brutus arcens eum reditu tirannum quem
ipse expulerat in prelio concidisset non cum Latinis decer-
tans ipse Decius cum Etruscis filius cum Pirro nepos
se hostium telis obiecissent non uno bello pro patria
cadentes Scipiones Hispania vidisset Paulum et Gemi-
num Canne Venusia Marcellum Latina Albinum Lucani
Grachum Numquis horum miser hodie ne tum quidem
post spiritum extremum nec enim potest esse miser quisquam
sensu perempto At id ipsum odiosum est sine sensu esse
Odiosum si id esset carere Cum vero perspicuum sit nil
posse in eo esse qui ipse non sit quid potest esse in eo
odiosum qui nec careat nec senciat Quamquam hec

quidem minime sepe sed id quod in hoc inest omnis animi
contractio ex metu mortis Quis enim satis videt id quod
est luce clarius animo et corpore consumpto totoque anima-
te deleto et facto interitu universo illud animal quod fuit factum
esse nihil Iam plane perspicuum inter hyppocentaurum qui
numquam fuerit et regem agamemnonem nihil interesse
nec pluris nunc facere marcum camillum huius civilis belli quam ego
illo vivo fuerim romam captam Cur igitur et ca-
millus doleret si hec post ccc et l fere annos e-
ventura putaret et ego doleam si ad decem milia a-
norum gentem aliquam urbem nostram potituram pu-
temus Quia tanta caritas patrie est ut eam non sen-
su nostro sed salute ipsius metiamur Itaque non deterret
sapientem mors que semper in certos casus quotidie
minatur propter brevitatem vite numquam potest longe abesse
Quo minus in omne tempus reipublice suisque consulat
ut posteritatem ipsam cuius sensum habiturus non sit
ad se putet pertinere quare licet etiam mortalem esse
animam iudicantem eterna moliri non glorie cupidi-
tate quam sensurus non sit sed virtutis quam necessario
gloria etiam si tu id non agas consequatur Natura
vero se sic habet ut quomodo initium nobis omnium rerum
ortus noster afferat sic exitum mors ut nihil pertinuit
ad nos ante ortum sic nihil post mortem pertinebit in
quo quid potest esse mali cum mors neque vivos per-
tineat vel ad mortuos alii nulli sunt alteros non tan-
get qui leviorem faciunt somni simillimam volunt esse quasi vero
quisquam ita nonaginta annos velit vivere ut cum
sexaginta confecerit dormiat nos ne quidem id
velint non modo ipse endimion verum si fabulas audi-
re volumus nescio quando in latmo obdormivit qui est
mons carie nondum opinor est experrectus Num
igitur curat cum tenses cum luna laboret a qua
consopitus putatur ut eum dormientem oscularetur
tur Quid curet autem qui ne sentit quidem habes
somnum imaginem mortis eamque quotidie induis
et dubitas quin sensus in morte nullus sit cum in eius
simulachro videas esse nullum sensum Pellantur ergo
iste inepte pene aniles ante tempus mori miserum
esse quod tandem tempus nature nescit At ea quidem
dedit usuram vite tamquam pecunie nulla prestituta die

Quid est igitur quod querare si repente nimis vult eam
condicionem accipiat. Idem si puer parvus occidit equo
animo ferendum putant si vero in cunis ne querendum qui-
dem atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat. No-
ndum gustaverat inquit vite suavitatem hic autem iam
sperabat magna quibus frui ceperat. At id quidem in ceteris
rebus melius putatur aliquam partem quam nullam attin-
gere. Cur in vita secus. quamquam non male ait Callima-
chus multo sepius lacrimasse priamum quam tro-
ilum. Eorum autem qui acta etate moriuntur fortu-
na laudatur. Cur nam reor nullis si vita longior
daretur posset esse iocundior. Nihil est enim profecto homini
prudentia dulcius quam ut cetera auferat affert certe se-
nectus. Que vero etas longa est aut omnino homini lo-
ngum. Nonne modo pueros modo adolescentes in cursu a
tergo insequens nec opinantes adsecuta est senectus
Sed quia ultra nihil habemus hoc longum dicimus
omnia ista perinde ut cuique data sunt pro rata parte
aut longa aut brevia dicuntur. Apud hypanim
fluvium qui ab europe parte in pontum influit Aris-
toteles ait bestiolas quasdam nasci que unum diem vivant
Ex hys igitur hora viii que mortua est provecta eta-
te mortua est. Que vero occidente sole decrepita eo
magis si etiam solsticiali die. Confert nostram longis-
simam etatem cum eternitate in eadem prope modum
brevitate qua ille bestiole reperiemur. Contemnamus
igitur omnes ineptias. Quid enim levius huic levitati
nomen imponam totamque vitam bene vivendi
in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum
humanarum contemptione ac despicientia et in omni
virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus
mollissimis effeminamur ut si ante mors adveniet
quam caldeorum promissa consecuti sumus spoliati magnis
quibusdam bonis illusi destitutique videamur. Quod si
expectando et desiderando pendemus animis cruciamur
angimur pro di immortales quam illud iter iocun-
dum esse debet quo confecto nulla reliqua cura
nulla sollicitudo futura sit. Quam me delectat the-
ramenes quam elato animo est. etsi enim flemus cum
legimus. tamen non miserabiliter vir clarus emoritur
qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum

Venenum ut sitiens obduxisset reliquum sic e poculo eiecit ut
id resonaret quo sonitu reddito arridens propino inquit
hoc pulchro Critie qui in eo fuerat deterrimus. Greci enim
in conviviis solent nominare cui poculum tradituri sint. Lu-
sit vir egregius extremo spiritu cum iam precordiis con-
ceptam mortem contineret vereque cui venenum biberat
mortem eam est auguratus que brevi consecuta est.
Quis hanc maximi animi equitatem in ipsa morte lauda-
ret si mortem malum iudicaret. Vadit enim in eundem pau-
cis post annis scyphum Socrates eodem scelere iudicum
quo tyrannorum Theramenes. Que est igitur eius
oratio qua facit eum Plato usum apud iudices iam morte
multatum. Magna me inquit spes tenet iudices bene
mihi evenire quod mittar ad mortem. Necesse est enim alterum
de duobus ut aut sensus omnino omnes mors auferat
aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur.
Quamobrem sive sensus extinguitur morsque ei som-
no similis est qui non numquam etiam sine visis somnio-
rum placatissimam quietem affert dii boni quid lucri
est emori aut quam multi dies reperiri possunt qui tali
nocte anteponantur. Cui si similis futura est perpetuitas
omnis consequentis temporis quis me beatior. Sin vera
sunt que dicuntur migrationem esse mortem in eas
oras quas qui e vita excesserunt incolunt id multo
iam beatius est. Te cum ab hiis qui se iudicum numero ha-
beri volunt evaseris ad eos venire qui vere iudices appellan-
tur Minoem Radamantum Eacum Triptolemum convenireque
eos qui iuste et cum fide vixerint hec peregrinatio me-
diocris vobis videri potest ut vero colloqui cum Orpheo
Museo Homero Hesiodo liceat quanti tandem estimatis.
Equidem sepe emori si fieri posset vellem ut ea que
dico mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem
afficerer cum Palamede cum Aiace cum alios iudicio i-
niquo circumventos convenirem. Temptarem et summi regis
qui maximas copias direxit ad Troiam et Ulixis
Sisyphique prudentiam nec ob eam rem cum hec ex-
quirerem sicut hic faciebam capite damnarer. Ne
vos quidem iudices hi qui me absolvistis mortem
timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire
potest nec vivo nec mortuo nec umquam eius res a diis
immortalibus negligentur. Nec mihi ipsi hoc accidit for-

tuto nec vero his a quibus accusatus ego aut a quibus
condemnatus sum habeo quod sic succenseam nisi quod mihi
nocere se crediderunt et hec quidem hoc modo Nihil autem
melius extremo sed tempus enim inquit iam hinc abire
me ut moriar vos ut vitam agatis utrum autem sit me-
lius dii immortales sciunt hominem quidem scire arbitror
neminem ne haut ego paulo hunc animum malum
quam eorum omnium fortunas Etiam de hoc iudicaverunt et
si quod preter deos negat scire quemquam id scit ipse utrum
sit melius nam dixit ante sed suum illud nihil
ut affirmet tenet ad extremum Nos autem teneamus
ut nihil censeamus esse malum quod sit a natura datum omnibus
intelligamusque si mors malum sit non esse sempiternum ma-
lum Nam vite misere mors finis esse videtur Mors si
est misera finis esse nullus potest Sed quid ego Socratem
et aut Theramenem prestantes viros virtutis et sapientie
gloria commemoro Cum Lacedemonius quidam cuius ne
nomen quidem proditum est mortem tantopere contempse-
rit ut cum ad eam duceretur dampnatus ab ephoris
et esset vultu hilari atque leto dixissetque ei quidam inimicus
contempnisne leges ligurgi respondet Ego vero illi ma-
ximam graciam habeo qui me ea pena multaverit quam
sine mutuacione et sine versura possem dissolvere O virum
Sparta dignum ut mihi quidem qui tam magno animo fuerit
innocens damnatus esse videatur Tales innumerabiles
civitas nostra tulit Sed quid duces et principes nominem
cum legiones scribat Cato sepe alacres in eum locum profe-
ctas unde redituras se non arbitrarentur Pari animo
Lacedemonii in Termopilis ceciderunt in quos Simonides
Dic hospes Sparte nos te hic vidisse iacentes Dum
sanctis patrie legibus obsequimur Quid ille dux
Leonidas dicit Pergite animo forti Lacedemonii hodie
apud inferos fortasse cenabimus Fuit hec gens fortis
dum ligurgi leges vigebant e quibus unus cum
hostis Perses in colloquio dixisset glorians solem
pre iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis
In umbra igitur inquit pugnabimus Viros commemoro
qualis tandem Lacena que cum filium in prelium mi-
sisset Idcirco inquid genueram ut esset qui pro patria
non dubitaret occumbere Esto fortes et duri Spar-
ciate magnam habet vim rei publice disciplina Quid

cyrenaicum philosophum theodorum non ignobilem nonne miramur
Cui cum lisimachus rex crucem minaretur Istis queso
inquit ista horribilia minitare purpuratis tuis the-
odori quidem nihil interest humine an sublime putres-
cat Cuius hoc dicto admoneor ut aliquid etiam de hu-
matione et sepultura dicendum existimem rem non diffi-
cilem hiis presertim cognitis que de nihil sentiendo
paulo ante dicta sunt De qua socrates quidem quid
senserit apparet in eo libro in quo moritur de quo
iam tandem multa diximus Cum enim de immortalit-
ate seu animorum disputavisset et iam moriendi tempus
urgeret rogatus a critone quemadmodum sepeliri vellet
multam vero inquit operam amici frustra consumpsi
Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum
neque quicquam me relicturum Verumtamen Crito si me as-
sequi poteris aut sicubi nactus eris ut tibi videbitur
sepelito Sed mihi crede nemo me vestrum cum hinc
excessero consequetur Preclare id quidem qui et amico
permiserit et se ostenderit de hoc toto genere nihil
laborare Durior dyogenes et quidem senciens sed ut
cinicus asperius proici iussit inhumatum Tunc ami-
ci volucribusne et feris Minime vero inquit sed ba-
cillum propter me quo abigam ponitote Quid poteris illi
non enim senties Quid igitur mihi ferarum la-
niatus oberit nihil sentienti Preclare anaxagoras
qui cum lampsaco moreretur querentibus amicis vellet-
ne clazomenas in patriam si quid accidisset afferri
Nihil necesse est inquit undique enim ad inferos tantundem
viae est Totaque de ratione humationis unum tenendum
est ad corpus illam pertinere sive occiderit animus sive
vigeat In corpore autem perspicuum est vel extincto
animo vel elapso nullum residere sensum Sed plena er-
rorum sunt omnia Trahit hectorem ad currum
religatum achilles lacerari eum et sentire credo putat
Ergo hic ulciscitur ut quidem sibi videtur At illa sicut
acerbissimam rem meret Vidi videre quod me passa
egerrime hectorem curru quadriiugo raptari Quem
hectorem aut quamdiu ille erit hector Melius
accius et aliquando sapiens achilles imo enim hectorem abstu-
li corpus priamo reddidi Non igitur hectorem traxisti
sed corpus quod hectoris fuerat Ecce alius exoritur

qui matrem dormientem non sinat Mater te appello tuque
curam somno suspensam levas neque te mei miseret Sur-
ge et sepeli natum hec cum pressis et flebilibus modis qui
totis theatris mesticiam inferant concinuntur difficile
est non eos qui inhumati sunt miseros iudicare priusquam
fere volucres que metuit ne laceratis membris minus
bene utatur ne combustis non extimescit neque reliquias semiesas de-
libutas fede deuexerit non intelligo quid metuat cum
tam bonos septenarios fundat ad tibiam Tenendum
est igitur nihil curandum esse post mortem cum multi
inimicos eciam mortuos puniant Execratur luculentis
sane versibus apud ennium thiestes primum ut nau-
fragio pereat athreus durum hoc sane Talis enim interi-
tus non est sine gravi sensu illa inania ipse summis
saxis fixus asperis evisceratus latere pendens saxa
spargens tabo sanie et sanguine atro non ipsa magis
sensu omni vacabunt quam ille latere pendens cui se hic cru-
ciatum censet optare que essent dura si sentiret nulla
sine sensu Illud vero perquam inane neque sepulcrum quo
recipiatur habeat portum corporis ubi remissa humana vi-
ta corpus requiescat a malis Vides quanto hec in errore
versentur portum esse corporis et quiescere in sepulcro
putat mortuum Magna culpa pelopis qui non eru-
dierit filium nec docuerit quatenus esset quidque curandum
Sed quid singulorum opiniones animadvertam nationum
varios errores perspicere cum liceat Condiunt egipcii mor-
tuos et eos domi servant persi etiam cera circumlitos con-
dunt ut quam maxime permaneant diuturna corpora Magorum mos
est non humare corpora suorum nisi a feris sint ante
laniata In hyrcania plebs publicos alit canes opti-
mates domesticos nobile autem genus canum illud scimus
esse sed pro sua quisque facultate parat a quibus lanietur
eamque illi optimam censent esse sepulturam permulta
alia colligit crisippus ut est in omni curiosus historia
Sed ita tetra sunt quedam ut ea fugiat et reformidet ora-
tio Totus igitur hic locus contemnendus in nobis
non negligendus in nostris ita tamen ut mortuorum cor-
pora nihil sentire vivi sentiamus quantum autem consuetudini
fameque dandum sit id curent vivi Sed ita ut intelli-
gant nihil ad mortuos pertinere Sed profecto mors tum
equissimo animo oppetitur cum suis se laudibus vita

cadentes consolari potest Nemo parum diu vixit qui virtutis
perfecte perfecto functus est munere Multa mihi ipsi ad
mortem tempestiva fuerant que utinam potuissem obire
Nihil enim iam adquirebatur cumulata erant officia vite
cum fortuna bella restabant quare si ipsa ratio minus
faciet ut mortem negligere possimus at vita acta per
ficiat ut satis superque vixisse videamur quamquam enim sensus
abierit tamen suis et propriis bonis laudis et glorie quam
vis non sentiant mortui non carent Etsi enim nichil habet
in se gloria cur expetatur virtutem tamen tamquam umbra se
quitur Verum multitudinis iudicium de bonis si quando est ma
gis laudandum est quam illi ob eam rem beati non possum
autem dicere quoquo hoc accipietur ligurgum solonem legum
et publice disciplime carere gloria Temistoclem epami
nundam bellice virtutis Ante enim salaminam ipsam ne
ptunus obruet quam salomon trophei memoriam prius
quam boetia leuctra tollentur quam pugne leuctrice
gloria multo autem tardius fama deseret Curium
fabricium Calatinum. duos scipiones duos affricanos
maximum marcellum paulum Catonem lelium innumerabiles
alios quorum similitudinem aliquam qui arripuerit non
eam fama populari Sed vera bonorum laude metiens
fidenti animo si ita res feret gradietur ad mortem in qua
aut summum bonum aut nullum esse cognovimus Secundis
vero suis rebus volet etiam mori non enim tam cu
mulus bonorum iocundus esse potest quam molesta deces
sio hanc sententiam significare videtur laconis illa vox
Qui cum diagoras olimpionices nobilis uno die du
os suos filios victores olimpie vidisset accessit ad se
nem et gratulatus morere diagora inquit non enim
in celum ascensurus es magna hic et nimium fortas
se greci putant vel tum potius putabant isque qui
hic diagore dixit permagnum existimans tres olimpioni
cas una e domo prodire Cunctari illum diutius
in vita fortune obiectum inutile putabat ipsi Ego autem
tibi quidem quod satis esset paucis verbis ut mihi vide
bar responderam Concesseras enim nullo in malo mortu
os esse Sed ob eam causam contendi ut plura dicerem
quod in desiderio et luctu hec est consolatio maxima
Nostrum enim et nostra causa susceptum dolorem modice
ferre debemus ne nosmetipsos amare videamur

Illa suspicio intellecta doloris inerat si opinamur e
os quibus orbati sumus esse cum aliquo sensu in his malis
quibus vulgo opinantur Hanc excutere opinionem mihimet
volui radicitus eoque fui fortasse longior Tu longior
non mihi quidem prior enim pars orationis tue faciebat ut
mori cuperem posterior ut modo nollem modo non laborarem
omni autem oratione illud certe perfectum est ut mortem non du
cerem in malis Num igitur etiam rethorum epilogum
desideramus an hanc iam artem plane relinquimus Tu
vero istam ne reliqueris quam semper ornasti et quidem iure
illa enim te verum si loqui volumus ornaverat Sed quinam
est iste epilogus aveo enim audire Siquidem deorum
immortalium iudicia solent in scolis proferre de morte
Nec vero ea fingere ipsi Sed herodoto auctore aliisque plu
ribus primum argie sacerdotis cleobis et bitoto filii predi
cantur nota est fabula cum enim illam ad sollempne et
statutum sacrificium curru vehi ius esset satis longe ab o
pido ad fanum morarenturque iumenta tunc iuvenes hi
quos modo nominavi veste posita oleo corpora perun
xerunt ad iugum accesserunt Ita sacerdos advecta in fa
num cum currus ductus a filiis precata a dea dicitur
ut illis premii daret pro pietate quod maximum homini
dari posset a deo post epulatos cum matre adolescentes
sompno se dedisse inventos mane esse mortuos Simili
precatione triphonius et agamedes usi dicuntur qui
cum appollini delphis templum exedificavisset venerantes
deum petere mercedem non parvam quidem operis
ac laboris sui nihil certi Sed quod esset optimum homini
Quibus appollo se id daturum ostendit post eius diei
diem tercium qui ut illuxit mortui sunt reperti Iudica
visse deum dicunt et eum deum quidem cui reliqui dii
concessissent ut preter ceteros divinaret Affertur etiam
de Sileno fabella quedam qui cum a mida captus
esset hoc ei muneris pro sua missione dedisse
scribitur docuisse regem non nasci homini longe opti
mum esse proximum autem quam primum mori Qua est
sententia in cresphonte usus euripides nam nos dece
bat cetus celebrantes domum lugere ubi esset aliquis
in lucem editus humane vite varia reputantes
mala at labores morte finisset graves hunc omnes
amicos laude et leticia exequi Simile quiddam est

in crantoris consolatione Ait enim terianeum quendam elisi-
um graviter morte filii merere venisse in psichomantium
querentem que fuisset tante calamitatis causa huic
in tabellis tres huiuscemodi versiculos datos Igna-
ris homines in vita mentibus errant Sic fuit utilius
finiri ipsique ubique Euthinous potitur fatorum numine
leto His et talibus auctoribus usi confirmant causam
rebus a diis mortalibus iudicatam althidamus quidem
rethor antiquus in primis nobilis scripsit etiam laudati-
onem mortis que constat ex enumeratione huma-
norum malorum Cui rationes hee que exquisitius
a philosophis colliguntur defuerunt ubertas orationis
non defuerunt Clare vero mortes pro patria oppetite
non solum gloriose rethoribus sed etiam beate videri solent
repetunt ab erectheo cuius etiam filie cupide mortem expe-
tiverunt pro vita civium Codrum qui se in medios in-
misit hostes familiari veste ne potuisset agnosci si es-
set ornatu regio Quod oraculum erat datum si rex inter-
fectus esset athenas victrices fore ephigenia aulide
duci se immolandam iubet ut hostium eliciatur fatum suo
veniunt inde ad propiora harmodius in ore et aristogiton
lacedemonius leonidas thebanus epaminondas viget
nostros non norunt quos enumerare magnum est ita sunt
multi quibus videmus optabiles mortes fuisse cum gloria
Que cum ita sint magna tamen eloquentia est uten-
dum atque ita velut superiori loco concionandum ut homines
mortem vel optare incipiant vel certe timere desistat
Nam si supremus ille dies non extinctionem sed commutationem
loci affert quid optabilius Sin autem perimit et delet omnino
quid melius quam in mediis vite laboribus obdormiscere
et ita conniventem somno consopiri sempiterno Quod si fiat
melior ennius quam solon hic enim ne nemo me
lacrimis decoret inquit nec funera fletu faxit At vero
ille sapiens Mors mea ne careat lacrimis linquamus
amicis Merorem ut celebrent funera cum gemitu Nos
vero si quid tale acciderit ut a deo denuntiatum videatur
ut exeamus e vita leti et agentes gratias pareamus
emittique nos e custodia et levari vinculis arbitremur
ut aut in eternam et plane in nostram domum remi-
gremus aut omni sensu molestiaque careamus Sin autem
nihil denuntiabitur eo tamen simus animo ut

horribilem illum diem aliis nobis faustum putemus in bonis
in malis ducamus quod sit vel a diis immortalibus vel a
natura parente omnium constitutum non enim temere nec for-
tuitu sati et creati sumus sed profecto fuit quedam vis
que generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret
quod cum exanclavissent omnes labores tum incideret in mor-
malum sempiternum portum potius nobis paratum
et perfugium putemus quod utinam velis passis pervehi liceat
at sin reflantibus ventis reiciemur tamen eodem
paulo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus
necesse est id ne miserum esse uni potest. Habes epilo-
gum ne quid pretermissum aut relictum putes. Ego
vero et quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem.
Optime inquam. Sed nunc quidem valitudini aliquid
tribuamus. Cras autem et quot dies erimus in tusculano
agamus hec et ea potissimum que levacionem habeant egritudinum
formidinum cupiditatum qui in omni philosophia est
fructus uberrimus.

Neoptolemus quidem apud ennium philosophari
sibi ait necesse esse sed paucis nam omnino haut
placere. Ego autem Brute necesse mihi quidem esse
arbitror philosophari. Nam quid possum
presertim nichil agens agere. Sed non paucis
ut ille. Difficile est enim in philosophia pauca esse ei nota cui non
sint aut pleraque aut omnia. Nam nec pauca nisi e multis eligi
possunt nec qui pauca perceperit non idem reliqua eodem studio persequetur.
Sed tamen in vita occupata atque ut neoptolemi tum erat mi-
litari pauca ipsa multum sepe prosunt et ferunt fructus si non
tantos quanti ex universa philosophia percipi possunt tamen eos quibus aliqua
ex parte interdum aut cupiditate aut egritudine aut metu liberemur
velut ex ea disputatione que mihi nuper habita est in tusculano
magna videbatur mortis effecta contemptio que non minimum valet
ad animum metu liberandum. Nam qui id quod vitari non potest
metuit is vivere animo quieto nullo modo potest. Sed qui non modo quia necesse
est mori verum etiam quia nichil habet mors quod sit horrendum mortem
non timet magnum is sibi presidium ad vitam beatam comparavit.
Quamquam non sumus ignari multos studiose contra esse dicturos
quod vitare nullo modo potuimus nisi nichil omnino scriberemus. Etenim si oraciones
quas nos multitudinis iudicio probari volebamus popularis est

in illa facultate et effectus eloquentie est audiendum scripsi
Sed si reprehebantur nonnulli qui nihil laudarent nisi quod
se imitari posse confiderent quenque sperandi sibi eundem
benedicendi finem proponeret et cum obruerentur copi-
a sententiarum atque verborum ieiunitatem et famem se malle quam
ubertatem et copiam dicerent unde exortum genus erat
atticorum his ipsis qui se profitebantur ignotum qui iam
conticuerunt pene ab ipso foro irrisi quid futurum putamus
cum adiutore populo quo utebamur antea nunc minime
nos uti posse videamus. Est enim philosophia paucis contenta
iudicibus multitudinem consulto ipsa fugiens eique ipsi et
suspecta et invisa ut vel si quis universam velit vitu-
perare secundo id populo facere possit vel si quis eam quam
nos maxime sequimur conetur invadere magna possit habere
auxilia ex reliquorum philosophorum disciplinis nos autem universe
philosophie vituperatoribus respondimus in ortensio pro a-
chademia autem que dicenda essent satis accurate
in achademicis quattuor libris explicata arbitramur sed
tamen tantum abest ut scribi contra nos nolumus ut id etiam
maxime optemus. Ipsa enim philosophia tanto in honore numquam
fuisset nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque
viguisset. Quamobrem hortor omnes qui facere
id possunt ut huius quoque generis laudem iam languenti
Grecie eripiant et transferant in hanc urbem sicut reliquas
omnes que quidem erant expetende studio atque indu-
stria sua maiores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem
laus ita ducta ab humili venit ad summum ut iam quod
natura fert in omnibus fere senescat rebus brevique tempore
ad nihilum ventura videatur philosophia nascatur latinis quidem
litteris ex his temporibus eamque nos adiuvemus nosque
ipsos redargui refellique patiamur. Quod hii ferunt
animo iniquo qui in certis quibusdam destinatisque sen-
tentiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti
ut etiam que non probare soleant ea cogantur constan-
tie causa defendere nos qui sequimur probabilia nec ultra
quam id quod verisimile occurrit progredi possumus et re-
fellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati
sumus. Quod si hec studia traducta erunt ad nostros
ne bibliothecis quidem grecis egebimus in quibus infinita
multitudo librorum propter eorum est multitudinem qui scripserunt eadem
enim dicuntur a multis ex quo libris omnia referserunt

quod accidit et nostris si ad haec studia plures confluxerunt
Sed eos si possumus excitemus qui liberaliter eruditi ad-
hibita etiam disserendi elegantia ratione et via philosopha-
tur est enim quoddam genus eorum qui se philosophos ap-
pellari volunt quorum dicuntur esse latini sane multi li-
bri quos non contempno equidem quos numquam lege-
rim Sed quia profitentur ipsi illi qui eos scribunt
se neque distincte neque eleganter neque ornate scribere la-
tionem sine ulla delectatione neglego Quid enim di-
cant et quid sentiant hi qui sunt ab ea disciplina
nemo mediocriter doctus ignorat Quamobrem quoniam quem-
admodum dicant ipsi non laborant cur legendi sint nisi
ipsi inter se qui idem sentiunt non intelligo Nam ut
platonem reliquosque socraticos et deinceps eos qui
ab his profecti sunt legunt omnes etiam qui illa aut non
approbant aut non studiosissime consectantur epicurum
autem et metrodorum non fere praeter suos quisquam in-
manus sumit Sic hos latinos hi soli legunt qui illa
recte dici putent nobis autem videtur quicquid litteris
mandetur id commendari omnium eruditorum lectione
debere nec si id ipsi minus consequi possumus Ideo mi-
nus ita faciendum esse sentimus Itaque mihi semper peripate-
ticorum achademicorumque consuetudo de omnibus rebus in contrarias
partes disserendi non ob eam causam solum placuit quod
aliter non posset quid in quaque re verisimile esset inveniri
Sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio-
ne qua princeps usus est Aristoteles deinde eum qui
secuti sunt Nostra autem memoria philo quem nos fre-
quenter audivimus instituit alio tempore rhetorum praecepta
tradere alio philosophorum ad quam nos consuetudinem
a familiaribus nostris adducti in tusculano quod datum
est temporis nobis in eo consumpsimus Itaque cum ante me-
ridiem dicendi operam dedissemus sicut pridie
feceramus post meridiem in achademiam descendimus
In qua disputationem habitam non quasi narrantes
exponimus sed eisdem fere verbis ut actum disputa-
tumque est Est igitur ambulantibus hunc modum
sermo ille nobis institutus et a tali quodam indu-
ctus exordio

Dici non potest quantum sim vestra disputatione tua
delectatus vel potius adiutus. Etsi enim mihi
sum conscius numquam me nimis vite cupi-
dum fuisse, tamen obiciebatur animo metus
quidam et dolor cogitanti fore aliquando finem huius lucis
et amissionem omnium vite commodorum. Hoc genere molestie
sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curan-
dum putem. Minime mirum id quidem; nam efficit
hoc philosophia: medetur animis, inanes sollicitudines detrahit,
cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed hec eius vis
non idem potest apud omnes; tum valet multum, cum est
idoneam complexam naturam. Fortes enim non modo fortu-
na adiuvat, ut est in veteri proverbio, sed multo magis
ratio, que quibusdam quasi preceptis confirmat vim
fortitudinis. Te natura excelsum quendam videlicet et humana
despicientem genuit; itaque facile in animo forti contra
mortem habita insedit oratio. Sed hec eadem num cen-
ses apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a
quibus inventa disputata conscripta sunt? Quotus enim
quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus,
ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? qui discis-
plinam suam non ostentationem scientie, sed legem vite
putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pa-
reat? Videre licet eos tanta levitate et iactatione,
ut his fuerit non didicisse melius, alios pecunie
cupidos, glorie nonnullos, multos libidinum servos, ut
cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio; quod quidem
mihi videtur turpissimum. Ut enim, si grammaticum se professus
quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat
is qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit quod in
eo ipso peccet cuius profitetur scientiam, sic philosophus in vite
ratione peccans hoc turpior est quod in officio cuius
magister esse vult labitur, artemque vite professus delinquit
in vita. Nonne verendum est igitur, si est ita ut
dicis, ne philosophiam falsa gloria exornes? Quod est enim
maius argumentum nihil eam prodesse quam quos-
dam perfectos philosophos turpiter vivere? Nullum vero id
quidem argumentum est. Nam ut agri non omnes
frugiferi sunt qui coluntur, falsumque illud ac inique
et si in segetem sunt deteriorem date fruges, tamen
ipse suapte natura enitent, sic animi non omnes

ↄ phos

ata fructum ferunt atque ut in eadem similitudine verser ut
ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non
potest sic sine doctrina animus Ita est utraque res sine al
tera debilis Cultura autem animi philosophia est hec ex
trahit vicia radicitus et preparat animos ad satus acci
piendos eaque mandat eis et ut ita dicam serit que
adulta fructus uberrimos ferant Agamus igitur ut ce
pimus dic si vis de quo disputare velis Dolorem
existimo maximum malorum omnium Etiam ne maius
quam dedecus Non audeo id dicere quidem et me pudet
tam cito de sententia esse deiectum Magis esset puden
dum si in sententia permaneres Quid enim minus est dignum
quam tibi peius quicquam videri dedecore flagicio turpi
tudine que ut effugias quis est non modo recusandus
sed non ultro appetendus subeundus excipiendus dolor
Ita prorsus existimo Quare ne sit sane summum malum
dolor malum est certe Videsne igitur quantum
breviter admonitus de doloris terrore deieceris Experi
ar equidem sed magna res est animoque mihi opus est
non repugnante Habebis id quidem ut enim heri fe
ci sic nunc ratione quo me cumque ducet sequar Primum
igitur de inbecillitate multorum et de variis disciplinis
philosophorum loquar quorum princeps et auctoritate
et antiquitate Socraticus Aristippus non dubitavit summum
malum dolorem dicere Deinde ad hanc enervatam muliebremque
sententiam satis docilem se epicurus prebuit Hunc post
rhodius hieronimus dolore vacare summum bonum
dixit tantum in dolore duxit mali Ceteri preter zeno
nem aristonem pirrhonem idem fere quod tu modo malum
illud quidem sed alia peiora Ergo id quod natura ipsa
et quedam generosa virtus statim respuit ne scilicet do
lorem summum malum diceres oppositoque dedecore sententia
depellere in eo magistra vite philosophia tot secula
permanet Quod huic officium que laus quod decus erit
tanti quod adipisci cum dolore corporis velit qui
dolorem summum malum esse persuaserit Quam porro
quis ignominiam quam turpitudinem non pertulerit
ut effugiat dolorem si id summum malum decre
verit esse Quis autem non miser non modo tunc cum
premetur summis doloribus si in his est summum
malum sed etiam cum sciet id sibi posse evenire

et quis est cui non possit Ita fit ut omnino nemo pos
sit esse beatus Metrodorus quidem eum perfecte beatum
putat cui corpus bene constitutum sit et exploratum
ita semper fore Quis autem est iste cui id exploratum
possit esse Epicurus vero ea dicit ut mihi quidem
risus captare videatur affirmat enim quodam loco si
uratur sapiens si crucietur expectas fortasse dum dicat
patietur perferet non succumbet Magna me hercule
laus et eo ipso per quem iuravi digna hercule Sed e
picuro homini aspero et duro non est hoc satis In
phalaridis tauro si erit dicet quam suave est hic quam
hoc non curo Suave etiam an parum est si non
amarum At qui idem illi ipsi qui dolorem malum esse
negant non solum dicunt cuiquam suave esse cruciari aspe
rum difficile odiosum contra naturam dicunt nec tamen malum
hic qui solum hoc malum dicit et malorum omnium
extremum sapientem censet id suave dicturum Ego a
te non postulo ut dolorem eisdem verbis afficias quibus
epicurus voluptatem homo ut scis voluptarius ille dixerit
sane idem in phalaride dicturus quod si esset in lectulo Ego
tantam vim non tribuo sapientie contra dolorem Si forte
in perferendo officio satis est ut letetur etiam non postu
lo tristis enim res est sine dubio aspera amara inimica
nature ad patiendum tolerandumque difficilis Aspice
philoctetam cui concedendum est gementi Ipsum enim
herculem viderat in oeta in magnitudine dolorum eiula
tem nihil enim hunc virum sagitte quas ab hercule
acceperat tum consolabantur cum e viperino morsu ve
ne viscerum veneno imbute tetros cruciatus cient
Itaque exclamat auxilium expetens mori cupiens Heu
heu qui salsis fluctibus mandet me ex sublimi
vertice saxi Iamiam absumor conficit animam vis
vulneris ulceris estus Difficile dictu videtur eum
non in malo esse et magno quidem qui ita clamare
cogatur Sed videamus herculem ipsum qui in dolo
rem frangebatur tum immortalitatem ipsa morte querebat
Quas hic voces apud sophoclem in trachiniis edit cui cum
tunicam deianira sanguine centauri tinctam induisset
inhesissetque visceribus ait ille O multa dictu gra
via perpessu aspera que corpore exanclata atque animo
pertuli Nec mihi iunonis terror implacabilis

Nec tn̄ inveni testis existens malis Centū una
necthois teneri pte cedit Hec me inretiunt veste
fucati iussu Que latera inherens morsu lacerat visera
Urgensque grauit pulmonem hausit spūs Iam decolo-
rem sanguine exorbuit omnem Sic corpus clade hor-
ribili absumptum extuhat Ipsi illigatus peste interior
tepuli Heu non hostilis dextra non ita cedit Moles
gigantum non formato impetu Centaurusque ullus corpori
infixit in eo Non graia nis non barba ulla immani-
tas Non seua terre gens relegata ultimis Quas
peragrat undique hinc omnem feritate expuli Sed fe-
minea femina interior manu Unde ve hoc
nomen usurpi patu Ne me ardente matris
superet caritas Hunc adripe ad me membris
abstractam pris Iam ternam me ne an illam
potior est putes Perge ande nate illacrima pris
pestibus Misere gentes nras flebit inserat heu
virginalem me ore ploratum edere Que videt
nemo ullo ingemiscentem malo Sic effeminata
virtus afflicta cadit Accede nate assiste miserandus
aspice Eviscerati corpus lacerati pris Videre cu-
cti tuique celestum sator Iace in me absceus vim
thoniste fulminis Nunc nunc dolorum anxifer tor-
quet uertices nunc serpit ardor O an metruct
manus o pectora o terga O lacertorum thori vero
ne possu quondam uenemeus leo frendens efflat
grauit exterminalem Hec dextra lernam terra
mactata extra et lictamt hec bicorporem afflixit
manu Erimanthia hic nasfisa abicot beluaz H
e tartarea tenebrarum abstraxit plaga tricipite cedit
hidra generatum canem Hec intemnt torta inte
xplicabili dracone auriferum ob tutum alisernate ar-
borem Multa alia nostra victur. lustrat manus ne
quisque e meis spolia cepit ludibr fussisq ne nos q-
temprue dolorem ta" ipse tu Heracle tam intollera-
bilem dolere videas venit e stheleos non pecta
plus sed enim pythagorice Sic iam accepimus quomo
fere aput eum prometheus dolore que excepit obfurtum
lemmum vn ignes duces mortalibus datum dumsus eum
prometheus doctus depressisse dolo penes qui iouis fa-
to expendisse supmis Has igitur penas affice

pendens ad caucasum dicit hic Titanum soboles socia no-
stri sanguinis generata celo aspicite religatum asperis vinctum-
que saxis navem ut horrisono freto noctem paventes
timidi adnectunt naute Saturnius me sic infixit Iu-
piter iovisque numen mulciberi adsciuit manus hos
ille cuneos fabrica crudeli inserens perrupit artus
qua miser solercia Transverberatus castrum hoc
furiarum incolo iam tertio me quoque funesto die tristi
advolans ad uncis lacerans in ignibus iovis satel-
les pastu dilaniat fero Tum iecore opimo farcta
et saciata affatim Clangorem fundit vastum et
sublime advolans pinnata cauda nostrum adulat san-
guinem Cum vero ad esum inflatu renovatum est iecur
tum rursum tetros avida se ad pastus refert Sic
hunc custodem mesti cruciatus alo Que me peren-
ni vivum fedat miseria namque ut videtis vinclis constric-
tus iovis arcere nequeo diram volucrem a pectore
Sic me ipse viduus pestes excipio anxias amore
mortis terminum anquirens mali Sed longe a leto
numine aspellor iovis atque hec vetusta seclis glomera-
ta horridis luctifica clades nostro infixa corpori est e quo
liquate solis ardore excidunt gutte que saxa assidue
instillant caucasi Vix igitur posse videmur ita affectum
non miserum dicere Et si hunc miserum certe dolorem malum
Tu quidem adhuc causam meam agis Sed hec mox
videro Interea unde isti versus non enim agnosco Dicam
hercule etenim recte requiris videsne habundare me ocio
Quid tum Fuisse sepe credo cum athenis in scolis
philozophorum Vero ac libenter quidem Animadvertebas
igitur et si nemo tunc erat ad copiosus modum verum
tamen versus ab hiis admisceri oracioni Ac multos quidem
ac dionisio stoico probe dicis Sed hiis quasi dictata
nullo delectu nulla elegancia Philo noster et elec-
ta poemata et loco adiungebat Itaque postquam adama-
vi hanc senilem declamacionem studiose equidem u-
tor nostris poetis Sed sicubi illi defecerunt verti multa
de grecis ne quo ornamento in hoc genere disputacionis
careret latina oracio Sed videsne poete quid mali
afferant lamentantes inducunt fortissimos viros molli-
unt animos nostros Ita sunt deinde dulces ut non legantur modo
sed eciam ediscantur Sic ad malam domesticam

Disciplina vitam cum umbratilem et delicatam cum accesserunt
etiam poete omnes nervos virtutis elidunt recte igitur
a Platone educuntur ex ea civitate quam finxit ille cum
mores optimos et optimum rei publice statum exquireret at
vero nos docti scilicet a Grecia hec et a pueritia le-
gimus et discimus hanc eruditionem liberalem et doctrinam
putamus Sed quid poetis irascimur virtutis magistri
philosophi inventi sunt qui summum malum dolorem dicerent
At tu adolescens cum id tibi paulo ante dixisses vi-
deri rogatus a me etiamne maius quam dedecus
verbo de sententia destitisti Roga hoc idem Epicurum
maius dicet esse malum quam mediocrem dolorem
quam maximum dedecus In ipso enim dedecore mali
nihil esse nisi sequantur dolores Quis igitur
Epicurum sequitur dolor cum hoc ipsum summum malum
dicit esse dolorem Quo dedecus maius a philosopho
nullum expecto Quare mihi satis dedisti cum respondi-
sti maius tibi videri malum dedecus quam dolorem
Hoc enim ipsum si tenebis intelliges quam sit obsistendum
dolori nec tam querendum est malum ne dolor sit
quam firmandus animus ad ferendum dolorem Concludunt
ratiunculas Stoici cur non sit malum quasi de verbo non
de re laboretur Quid me decipis Zeno nam
cum id quod mihi horribile videtur tu omnino ma-
lum negas esse capior et scire cupio quo modo id
quod ego miserrimum existimem ne malum quidem sit nihil
inquit malum est nisi quod turpe atque vitiosum est ad ine-
ptias redis Illud enim quod me angebat non eximis
Scio dolorem non esse nequitiam desine id me docere
hoc doce doleam an non doleam nihil interesse Nam-
quam quid ad beate quidem vivendum quod est in una virtute
positum Sed est tamen reiciendum Cur asperum est
contra naturam difficile perpessu triste durum Hec
est copia verborum quod omnes uno verbo malum ap-
pellamus id tot modis posse dicere Diffinis tu mihi
non tollis dolorem cum dicis asperum contra naturam vix quod
ferri tolerarique possit nec mentiris Sed re succumbere
non oportebat verbis gloriantem dum nihil bonum nisi quod
honestum nihil malum nisi quod turpe optare quidem
hoc est non docere Illud et melius et verius omnia que
natura aspernatur in malis esse et que asciscat in bonis hec

Posito et adverbum conservato sublata Cum tamen excellet
illud quod recte amplexantur isti et quod honestum
et quod rectum quod decorum appellamus Quod idem
virtutis nomine amplectimur ut omnia praeterea
que bona corporis et fortune putantur perexigua
et minuta videantur nec mala quidem illa si
eorum unum in locum collocata omnia sint cum turpitudinis
malo comparanda Quare si ut initio concessisti turpitudo
peius est quam dolor nihil est plane dolor nam dum
tibi turpe nec dignum viro videbitur gemere heiulare
lamentari debilitari dolore tum honestas tum dignitas
tum decus aderit Atque in ea intuens et continebis
cedet profecto virtuti dolor et animi inductione languescet
aut non nulla virtus est aut contempnendus omnis dolor
Prudentiamne vis esse sine qua non intelligi quidem
ulla virtus potest Quid ergo ea patietur ne quicquam
facere nihil proficientem et laborantem an temperantia sinet
te immoderate facere quicquam an coli iustitia poterit ab
homine propter vim doloris enuntiante commissa prodente
consciis multa officia relinquente Quid fortitudini
comitibusque eius animi magnitudini gravitati patientie
rerum humanarum despicientie quo modo respondebis
afflictus ne et iacens et lamentabili voce deplorans
audiens o virum fortem te non ita affectum ne virum
quidem dixerit quispiam Amittenda est fortitudo aut sepe-
liendus dolor Et quid scis ergo si Corinthia
tua amiseris posse habere te reliquam supellectilem sal-
vam virtutem autem si unam amiseris et si virtutem alteram
non posse Sed si unam confessus te fueris non habere
nullam esse te habiturum num igitur fortem virum
num magno animo num patientem num gravem num humana
contempnentem potes dicere aut Philoctetem illum a te
non malo dicere Sed ille iste non fortis qui iacet in lectulo
humili qui eiulatu questu gemitu fremitibus resonando
Multas flebiles voces refert Non ego dolorem
dolorem esse nego Cur non fortitudo desideraretur Sed
cum obstinato dico patientia si modo ulla patientia est
Si non est quid exornamus philosophiam aut quid
eius nomine gloriosi sumus Pungit dolor vel fodiat
sane si nudus es da iugulum Sin tectus vulcaniis
armis id est fortitudine resiste Hec nisi te ut ista fuerit custos

565

283

Dignitas relinquet et deseret Cretum quidem leges
quas innuos sanxit de Jouis quidem sua ut poete
ferunt itemque ligurgi laboribus erudiunt iuuentutem
uenando currendo esuriendo siciendo algendo estuan-
do Sparte uero pueri ad aram sic in verberibus accipiuntur
ut multus e visceribus sanguis exeat nonnumquam etiam
ut cum ibi essem audiebam ad necem quorum nemo
exclamauit nec ingemuit quidem Quid ergo hoc pueri
possunt uiri non poterunt et mos valet ratio non vale-
bit Interest aliquid inter dolorem et laborem sunt fini-
tima omnino sed tamen differunt aliquid labor est functio
quedam uel animi uel corporis grauioris operis et mu-
neris Dolor autem motus asper in corpore alienus
a sensibus Hec duo greci illi quorum copiosior est lingua
quam nostra uno nomine appellant itaque industrios ho-
mines illi studiosos uel potius amantes doloris
appellant nos commodius laboriosos aliud est enim
laborare aliud dolere Cum varices secabantur Gaio ma-
rio dolebat cum estu magno ducebat agmen la-
borabat O verborum inops interdum quibus te pueris
semper habundare greca aliud inquam est laborare aliud
dolere Est inter hec quedam similitudo consuetudo n-
laborum perpessionem dolorum efficit faciliorem Itaque
illi qui grecie formam rerum publicarum dederunt
corpora iuuenum firmari labore voluerunt quod
spartiate etiam in feminas transtulerunt que ceteris in vrbibus
mollissimo cultu parietum umbris occulluntur Il-
li autem voluerunt nihil horum simile esse apud la-
cenas virgines quibus magis palestra eurota sol
puluis labor militia in studio est quam fertilitas bar-
bara Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor in-
tercurrit nonnumquam impelluntur feriuntur abiciuntur cadunt
et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori Mili-
tiam uero nostram dico non spartiatarum quorum procedit agmen
ad tibiam nec adhibetur ulla sine anapestis
pedibus hortatio nostri exercitus primum unde nomen ha-
bebant uides Deinde qui labor quantus agminis
ferre plus dimidiati mensis cibaria ferre si quid
ad usum velint ferre vallum Nam scutum gladium
galeam in onere nostri milites non plus numerant
quam humeros lacertos manus arma enim membra mi-

lius esse ducunt. Que quidem ita gerunt ut si usus foret
abiectis oneribus expeditis armis ut membris pugnare
possint. Quid exercitacio legionum quid ille concursus
clamor quanti laboris est. Ex hoc ille animus in prelys
paratus ad vulnera. Adduc parem animo inexercitatum militem
mulier videbitur. Cur tantum interest inter novum et vete-
rem exercitum quantum experti sumus. Etas tyronum ple-
rumque melior sed ferre laborem contempnere vulnus
consuetudo docet. Quin etiam videmus ex acie sepe
efferri saucios et quidem rudem illum et inexercitatum quam-
vis levi ictu ploratus turpissimos edere. At vero ille exer-
citatus et vetus ob eamque rem fortior medicum modo
requirens a quo obligetur. O patricoles inquit ad vos
adveniens auxilium et vestras manus peto priusquam
oppetam malam pestem mandatam hostili manu ne-
que sanguis ullo potis pacto est profluens consistere. Sic
quidem sapiencia magis nostra mens devitari potest
namque esculapii liberorum saucii opplent porticus
non potest accedi. Certe Eurypilus hic quidem est homo
exercitus. Ubi tantum luctus continuatur. Vide quam
non flebiliter respondeat rationem etiam afferat cur equo
animo sibi ferendum sit. Qui alteri exitium parat eum scire
oportet sibi paratam pestem ut parem participet. Par(?)
Abducet patricoles credo ut se collocet in cubili vul-
nus obliget. Siquidem homo esset sed nichil vidimus. Querit
enim quid actum sit. Eloquere res argivum prelio ut se sustinet.
Non potest hic ferre tantum dictis quantum factis suppetit
laboris. Quiesce igitur et vulnus alliga. Etsi Eu-
riphilus posset non posset Esopus. Ubi fortuna Hec-
toris nostram acrem aciem inclinatam et cetera
explicat in dolore. Sic enim est intemperans mili-
taris in forti viro gloria. Ergo hec veteranus miles
facere poterit. Ille vero melius ac non paulo quidem
sed de consuetudine adhuc exercitacionis loquor
nondum de racione et sapiencia. Anicule sepe medi-
am biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum di-
em athlete iovem olimpium eum ipsum cui exercebit
implorabit ferre non posse clamitabit. Consuetudinis
Magna vis est. Pernoctant venatores in nive in mon-
tibus uri se patiuntur. Inde cestibus pugiles contusi
ne ingemiscunt quidem. Sed quid hos quibus olimpiorum

victoria consulatum ille antiquus videtur gladiatores
aut perditi homines aut barbari quas plagas perferunt
Quomodo illi qui bene instituti sunt accipere plagam malunt
quam turpiter vitare Quam sepe apparet nil eos mal-
le quam velle domino satisfacere vel populo Mittunt etiam
vulneribus confecti ad dominos qui querant quid ve-
lint si satis ei factum sit se velle decumbere Quis
mediocris gladiator ingemuit quis vultum mutavit
umquam quis non modo stetit verum decubuit tur-
piter Quis cum decubuisset ferrum recipere iussus collum
contraxit tantum exercitatio meditatio consuetudo valet Er-
go hec poterit samnitis spurcus homo vita illa dig-
nus locoque vir natus ad gloriam ullam partem animi
tam mollem habebit quam non meditatione et ratione
corroboret crudele gladiatorum spectaculum et in-
humanum nonnullis videri solet et haud scio an ita
sit ut nunc fit Cum vero sontes ferro depugna-
bant auribus fortasse multe quidem oculis nulla
poterat esse fortior contra dolorem et mortem disci-
plina de exercitatione et consuetudine et commendatione
dixi abagesis nunc de ratione videamus nisi quid
vis ad hec Ego ne ut te interpellem nec hoc quidem
vellem ita me ad credendum tua ducit oratio Sit-
ne igitur malum dolere necne stoici videant qui con-
tortulis quibusdam et minutis conclusiunculis nec ad sen-
sus permanantibus effici volunt non esse malum dolorem
Ego illud quicquid sit tantum esse quantum videatur non puto
falsaque eius visione specie moveri homines dico vehe-
mentius doloremque eius omnem esse tollerabilem
Unde igitur ordiar an eadem breviter attingam que
modo dixi quo facilius oratio progredi possit longius
Inter igitur omnes hoc constat nec doctos homines
solum sed etiam indoctos virorum esse fortium et hu-
mana vincentium magnanimorum et pacientium tole-
rant dolorem pati Nec vero quisquam eum qui ita pa-
teretur non laudandum putaret Quod ergo et postu-
latur a fortibus et laudatur cum fit id aut extimesce-
re veniens aut non ferre presens Nonne turpe est
At qui vide ne cum omnes recte animi affectiones
virtutes appelletur non sit hec proprie nominis omnium
sed ab ea que una ceteris excellebat omnes nominate

sunt appellata est enim viro virtus. viri autem propria maxime
fortitudo Cuius munera duo sunt maxima mortis dolo
risque contemptio utendum est igitur hiis si virtutis nomen est
nuncupata Quae res scripse quomodo et recte tale nam me
dicina philosophia profitetur Venit hoc minime malus ut po
ciusvir optimus mihi monet quantum intelligo negligere
inquit dolorem Cuius hoc dicat eadem qui dolore summum
malum voluptas satis constanter audiamus Si summus dolor
est inquit brevis est tum esse Iterandum eadem ipsa mihi
non enim satis intelligo quid summum dicas esse quid breve
summum quo nihil sit superius breve quo nihil brevius
Contemno magnitudinem doloris a qua brevitas tempus
mendicabit ante pene quam venit Sed si tantus dolor
quantus philotete bene plane magnus mihi quidem
videtur sed non summus Nihil enim dolet nisi pes possunt
oculi possunt caput latera pulmones diminutus habet leve
plusquam molestie Nunc ego non possum tamen hanc
nihil sapiens dicere Sed nos ab ea deridere puto esse summum
dolorem etiam si decem athomis est maior alius non
genus dico esse breuem multos quos possem bonos vi
ros nominare qui complures annos doloribus podagre
cruciarentur maximis Sed hic cautus nunquam terminat
nec magnitudinis nec diuturnitatis modum ut sciat quid summum
dicat in dolore quid breve in tempore omittamus Hunc
igitur nihil prorsus dicentem cogamus quod confiteri
non esse ab eo doloris remedium querendum qui do
lorem malorum omnium esse dixit quamvis idem igitur forti
culum se in torminibus et in strangurua sua prebeat
Aliunde igitur est querenda medicina et maxime
quidem si quid maxime consentaneum sit queramus
ab his quibus quod honestum sit summum bonum quod turpe
summum videtur malum his tu presentibus gemere et ia
ctare te non audebis profecto loquitur enim corum ne
re virtus ipsa tecum Tunc cum pueros lacedemonie a
dolescentes olimpie barbaros in arena videris exci
pientes gravissimas plagas a ferentes silencio si te
forte dolor aliquis pervellerit exclamabis ut mulier
non constanter et sedate feres fer non potest natura non
patitur Audio pueri ferunt gloria ducti ferunt alii
pudore alii multa metu et tamen veremur ut hoc quod
a tam multis et quocumque locis perferatur natura patiatur

Illa vero non modo paciatur verum et postulet Nihil enim habet
prestancius nihil quod magis expetat quam honestatem
quam laudem quam dignitatem quam decus hisce ego pluribus
nominibus unam rem declarari volo sed utor ut quam ma-
xime significem pluribus volo autem dicere illud homini
longe optimum esse quod ipsum sit optandum per se a virtute
profectum vel in ipsa virtute situm et sua sponte laudabile
quod quidem citius dixerim solum quam non summum
bonum atque ut hec de honesto sic de turpi contra nihil
est tam tetrum nihil tam aspernandum nihil homine indi-
gnius Quod si tibi persuasum est principio enim dixi-
sti plus in dedecore mali videri quam in dolore reliquum
est ut tute tibi imperes quamquam hoc nescio quo dicatur
quasi duo simus ut alter imperet alter pareat non in-
scite tamen dicitur Est enim animus in partes tributus
duas quarum altera racionis est particeps altera expers
Cum igitur precipitur ut nobis metipsis imperemus
precipitur ut racio coherceat temeritatem est in animis
omnium natura fere molle quiddam demissum humile
enervatum quodammodo et languidum senile sed nihil aliud
esset homine deformius Sed presto est domina et
regina omnium racio que conixa per se et progressa lon-
gius fit perfecta virtus hec ut imperet illi parti ani-
mi que obedire debet id videndum est viro Quonam
modo inquies velut dominus servo velut imperator mili-
ti velut parens filio Si turpissime se illa pars ge-
ret quam dixi esse mollem si se lamentis muliebriter
lacrimisque dedet vinciatur et constringatur amicorum propin-
quorum qui custodiis sepe enim videmus fractos pu-
dore qui racione nulla vincerentur ergo hos quidem
ut famulos vinculis ac custodia propinquorum Qui autem
erunt firmiores nec tamen robustissimi hos admonitu
oportebit ut bonos milites revocatos dignitatem
tueri non nimis ineptus Sophocles ille sapientis-
simus grecie saucius lamentatur ut modice potius
Pedetentim inquit ite et sedato nisu ne succussu
arripiat maior dolor Pacuvius hic melius quam So-
phocles apud illum enim perquam flebiliter Ulixes lamen-
tatur in vulnere tamen huic leviter gementi illi ipsi qui
ferunt saucium persone gravitatem intuentes dubitant
dicere Tu quoque Ulixes quamquam graviter cernimus ictum nimis

plene aio est molli qui consuetus in armis n(on) dicere
Intelligit poeta prudens ferendi doloris consuetudinem
esse no(n) contempnendam magistram atque ille no(n) immode-
rate magnis in dolore retinete tenete opprimite ul-
cus nudate heu miserum me excrucior hic ipse labi de-
inde illico desinit operite abscedite iamiam mittite na(m)
attrectatu et quassu sevum amplificatis dolorem videt-
ne ut conticuerit non sedatus corporis sed castigatus
animi dolor Itaque in extremis [?]ibus alios quoque ob-
iurgat idque moriens conqueri fortunam adversam non
lamentari decet id viri officium est fletus muliebri
ingenio additus huius animi pars illa mollior rationi
sic pareat ut severo imperatori miles pudens In quo
vero erit perfecta sapientia quem adhuc nos quidem vi-
dimus neminem sed philozophorum sententiis qualis futurus
sit si modo aliquando fuerit exponitur Is igitur sive ea ratio
que erit in eo perfecta atque absoluta sic illi parti im-
perabit inferiori ut iustus parens probis filiis nutu
quod volet conficiet nullo labore nulla molestia eriget
ipse se suscitabit instruet armabit ut tamquam hosti sic
obsistat dolori Que sunt ista arma contentio confirmatio
sermo intimus Cum ipse secum cave turpe quicquam
languidum non virile obversentur species honeste animo
Zeno proponatur Eleates qui perpessus est omnia
potius quam conscios delende tyrannidis indicaret De
anaxarcho democrito cogitetur qui cum Cipri in manus
timocreontis regis incidisset nullum genus deprecatus est
supplicii neque recusavit Callanus indus indoctus
et barbarus in radicibus caucasi natus sua volun-
tate vivus combustus est Nos si pes condoluit si dens
sed fac totum dolore corpus ferre non possumus opinio
est quedam effeminata ac levis nec in dolore magis
quam eadem in voluptate qua cum liquescimus fluimusque
mollicia apis aculeum sine clamore ferre non
possumus At vero Gaius Marius rusticanus vir sed pla-
ne vir cum secaretur ut supra dixi principio vetuit
se alligari nec quisquam ante marium solutus dicitur
esse sectus Cur ergo postea alii valuit auctoritas
Videsne igitur opinionis esse non nature malum
et tamen fuisse acrem morsum doloris idem marius
ostendit Crus enim alterum non prebuit ita et tulit dolorem

Ut vir et ut homo maiorem ferre sine causa necesse ve-
lit. Totum igitur est in eo ut tibi imperes. Ostendi au-
tem quid esset imperare. Quod est in hoc genere atque hic cogitatio quid pa-
tientia quid fortitudine quid magnitudine animi
dignissimum sit non solum animum comprimit sed ipsum etiam do-
lorem nescio quo pacto mitiorem facit. Ut enim fit
in prelio ut ignavus miles ac timidus simul ac
viderit hostem abiecto scuto fugiat quantum possit et
ob eam causam pereat nonnumquam etiam integro cor-
pore cum ei qui steterit nihil tale evenerit sic qui do-
loris speciem ferre non possunt abiciunt se atque ita afflicti
et exanimati iacent. Qui autem restiterunt discedunt sepis-
sime superiores. Sunt enim quedam animi similitudi-
nes cum corpore. Ut onera contentis corporibus
facilius feruntur remissis opprimunt simillime
autem intentione sua depellit omnem pressum ponde-
rum remissione autem sic urgetur ut se nequeat
extollere. Et si verum querimus in omnibus officiis persequendis
animi est adhibenda contentio ea est so-
la officii tamquam custodia. Sed hic quidem in dolore
maxime est providendum ne quid abiecte ne quid timi-
de ne quid ignave ne quid serviliter muliebriterve facia-
mus. In primisque refutetur ac reiciatur philoteteus
ille clamor. Ingemiscere nonnumquam viro concessum est
idque raro eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimi-
rum est fletus quem XII tabule in funeribus adhibe-
ri vetuerunt. Nec vero umquam ingemiscit vir fortis
ac sapiens nisi forte ut se intendat ad firmitatem
ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt.
Faciunt idem cum exercentur athlete pugiles vero etiam
cum feriunt adversarium in iactandis cestibus ingemi-
scunt non quod doleant animove succumbant sed quia profun-
denda voce omne corpus intenditur venitque plaga
vehementior. Quid? qui volunt magis exclamare
num satis habent latera fauces linguam intendere
e quibus eici vocem et fundi videmus toto corpore
atque omnibus ut dicitur ungulis contentioni vocis
adserviunt. Genu mehercule M. Antonium vidi cum
contente pro se ipse lege Varia diceret terram tangere. Ut enim
balliste lapidem et reliqua tormenta telorum eo gra-
viores emissiones habent quo sunt contenta atque

adducta vehemencius Sic voce si contentus sit plaga gravior
tum est ipsa contentione Cuius contentionis ac
tanta vis sit si gemitus in dolore ad confirmandum animum
valebit videtur Ulixes Sin erit ille gemitus lamentabilis
si imbecillus si abiectus si flebilis ei qui se dederit
vix eum virum dixerim Qui quidem gemitus si levacionis
aliquid afferret tamen videremus quid esset fortis et animi sapientis
Cum vero nihil imminuat doloris cur frustra turpes
esse volumus Quid est enim fletu muliebri viro turpius
atque hic preceptum quod de dolore datur patet lacius
omnibus enim rebus non solum dolori simili contencione
animi resistendum est ira exardescit libido concitatur
in eandem arcem confugiendum est eadem sunt arma
sumenda sed quoniam de dolore loquimur illa omittamus
ad ferendum igitur dolorem placide atque sedate plurimum
proficit toto pectore ut dicitur cogitare quam
id molestum sit Sumus enim natura ut ante dixi dicendum
est enim sepius studiosissimi appetentissimique honestatis
Cuius si quasi lumen aliquod aspeximus nihil est quod
ut eo potiamur non parati simus et ferre et perpeti
ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem
atque honestatem illa pericula adeuntur In preliis non
senciunt viri fortes in acie vulnera vel senciunt sed mo-
ri malunt quam tantummodo de dignitatis gradu moveri
fulgentes gladios hostium videbant Decii cum in aciem
eorum irruebant His levabat omnem vulnerum metum no-
bilitas mortis et gloria Num tamen ingemuisse Ep-
aminondam putas cum una cum sanguine vitam effluere sen-
tiret Imperantem enim patriam Lacedemoniis relin-
quebat quam acceperat servientem Hec sunt solacia hec
fomenta summorum dolorum Dices Quid in pace quid
domi quid in lectulo Ad philosophos me revocas
qui in aciem non sepe prodeunt e quibus homo levis
Heracleotes Dionysius cum a Zenone fortis esse
didicisset a dolore dedoctus est Nam cum ex reni-
bus laboraret ipso eiulatu clamitabat falsa esse illa
que antea de dolore ipse sensisset Quem cum Cle-
antes condiscipulus rogaret que ratio eum de sententia
deduxisset respondit Quia cum tantum opere philosophie dedis-
sem dolorem tamen ferre non possem satis esse
argumenti malum esse dolorem Plurimos autem

Annos in philosophia consumpsi nec ferre possum Malum est
igitur dolor tum cleante cum ita pedem percussisset versum
ex epigonis ferunt dixisse audis nec hec amphiarae sub
terram abdite zenonem significabat a quo illum degenerare
dolebat At non noster possidonius quem etiam ipse sepe vidi
et id dicam quod narrare solebat pompeius se cum ro-
dum venisset decedens ex asia audire voluisse possi-
donium sed cum audivisset eum graviter esse egrum quod vehementer
eius artus laborarent voluisse tamen nobilissimum philosophum
visere quem ut vidisset et salutavisset et honorificis
verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre quod eum
non posset audire At ille tu vero inquit potes nec committam
ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad
me venerit Itaque narrabat eum graviter et copiose de hoc
ipso nihil esse bonum nisi quod esset honestum cubantem
disputavisse Cumque quasi faces ei doloris admoverentur
sepe dixisse nihil agis dolor quamvis sis molestus num-
quam te esse confitebor malum omninoque omnes clari et nobilitati
labores contempnendo fiunt et tollerabiles videmusne
ut apud quos eorum ludorum qui gymnici nominantur sit
magnus sit honos nullum ab his qui in id certamen
descendunt devitare dolorem apud quos autem vena-
di et equitandi laus viget qui hanc petessunt
nullum fugiunt dolorem Quid de nostris ambitioni-
bus quid de cupiditate honorum loquar Que flam-
ma est per quam non cucurrerint hi qui hec olim
punctis singulis colligebant Itaque semper Africanus socra-
ticum xenofontem in manibus habebat Cuius in
primis laudabat illud quod diceret eosdem labores esse
non eque graves imperatori et militi quod ipse honos
leviorem laborem faceret imperatorium Sed tamen hoc e-
venit ut in vulgus insipientium opinio valeat ho-
nestatis cum ipsam videre non possint Itaque fa-
ma multitudinis iudicio moventur ut id honestum pu-
tent quod a plerisque laudatur Te autem si in oculis
sis multitudinis tamen eius iudicio stare nolim nec quod illa
putet idem putare pulcherrimum tuo tibi iudicio est
utendum tibi si recta probanti placebis tu non mo-
do te viceris quod paulo ante precipiebam sed omnes
et omnia Hec igitur tibi propone amplitudinem
animi et quasi quandam aggerationem quam altissimam

animi que maxime eminet contempnendis doloribus
unam esse omnium rem pulcherrimam eoque pulchriorem si
vacet populo neque plausum captans se tamen ipsa delectet
Ceterum etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia
que sine venditione et sine populo teste fiunt non quod
fugiendus sit omnia enim benefacta in luce se collocare
volunt Sed tamen nullum theatrum virtutis consci-
entia maius est atque in primis meditemur illud ut hec
paciencia dolorum quam sepe iam animi intentione dixi
esse firmandam in omni genere se equabilem prebeat Se-
pe enim multi aut propter victorie cupiditatem aut propter
glorie aut etiam ut ius suum et libertatem tenerent vulnera ex-
ceperunt fortiter et tulerunt Idem omissa contencione do-
lorem morbi ferre non possunt neque enim illud quem faci-
le tolerarant ratione aut sapientia tulerant sed studio potius
et gloria Itaque barbari quidam et immanes decertare
ferro acerrime possunt egrotare viriliter non queunt Omnes
Greci homines aut non satis animosi prudentes ut est
captus hominum satis hostem aspicere non possunt eidem
morbos tollerant atque humane ferunt At Cimbri et
Celtiberi in preliis exultant lamentantur in morbo Nichil
enim potest esse equabile quod non a certa ratione proficiscatur
Sed cum videas eos qui aut studio aut opinione
ducantur in eo persequendo atque adipiscendo dolore
non frangi debeas existimare aut non esse malum
dolorem aut etiam si quicquid asperum alienumque nature
sit id appellare placeat malum tantulum tamen esse ut
a virtute ita obruatur ut nusquam appareat Meditare
queso dies et noctes latius enim manabit hec oratio
et aliquanto maiorem locum quam de uno dolore occupa-
bit Nam si omnia fugiende turpitudinis adipiscende-
que honestatis causa faciemus non modo stimulos do-
loris sed et fortune fulmina contempnamus licebit
presertim cum paratum sit illud ex externa disputacione
perfugium ut enim si cum naviganti predones inse-
quantur deus qui dixerit eice te navi presto est
qui excipiat vel delfinus ut Orionem methimneum
vel equi pelopis ille neptunii qui per undas cur-
rus suspensos rapuisse dicuntur excipiet te et
quo velis perferent omnem omittas timorem Sic
in urgentibus asperis et odiosis doloribus si tanti non

sint ut ferendi sint quo sit confugiendum tu vides
Hec fere hoc tempore putavisse dicenda sed tu for-
tasse in sententia permanes Minime vero meque biduo du-
arum rerum quas maxime timebam spero liberatum
metu Reliqua ergo ad clepsedram sic enim dicimus
sed tibi hoc video non posse deberi Ita prorsus
et illud quidem ante meridiem hoc eodem tempore sic fa-
ciemus tuisque optimis studiis obsequemur

Quid nam esse brute cause putem
cur cum constemus ex animo et corpore
corporis curandi tuendique causa que-
sita sit ars eiusque utilitas deorum
immortalium inventioni consecrata an-
imi autem medicina nec tam desiderata sit antequam inventa nec
tam culta postea quam cognita est nec tam multis grata
et probata pluribus etiam suspecta et invisa an quod
corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus animi
morbum corpore non sentimus ita fit ut animus de
se ipse tum iudicet cum id ipsum quo iudicatur egrotat
Quod si talis nos natura genuisset ut eam ipsam in-
tueri et perspicere eademque optima duce cursum vite confi-
cere possemus haud erat sane quod quisquam rationem ac doc-
trinam requireret Nunc parvulos nobis dedit igniculos quos
celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic
restinguimus ut nusquam nature lumen appareat Sunt
enim ingeniis nostris semina innata virtutum que si ado-
lescere liceret ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret Nunc
autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus in omni
continuo pravitate et in summa opinionum perversitate ver-
samur ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse
videamur Cum vero parentibus redditi dein
magistris traditi sumus tum ita variis imbuimur
erroribus ut vanitati veritas et opinioni confirmate
natura ipsa cedat Accedunt etiam poete qui cum
magnam speciem doctrine sapientieque pre se tulerunt
audiuntur leguntur ediscuntur et inherescunt
penitus in mentibus Cum vero eodem quasi maximus
quidem magister populus accessit atque omnis undique ad vitia con-
sentiens multitudo tum plane inficimur opinionum

Pravitate naturam deflexerimus ut nobis optime naturam
invidisse videantur. Nihil melius homini nihil magis
expetendum nihil prestancius honoribus imperiis popu-
lari gloria iudicaverunt ad quam fertur optimus
quisque veramque illam honestatem expetens quam unam
natura maxime inquirit in summa inanitate versatur 12
consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis
sed adumbratam ymaginem glorie. Est enim gloria
solida quedam res et expressa non adumbrata ea est
consenciens laus bonorum incorrupta vox bene iudican-
cium de excellente virtute et virtuti resonat tamquam ymago
glorie que quia recte factorum plerumque comes est
non est bonis viris repudianda. Illa autem que se
eius imitatricem esse vult temeraria et inconsi-
derata et plerumque peccatorum viciorumque laudatrix
fama popularis simulacione honestatis formam
eius pulchritudinemque corrumpit. Qua cecitate homines
cum quedam preclara etiam cuperent eaque nescirent
nec ubi nec qualia essent funditus alii everterunt
suas civitates alii ipsi occiderunt atque hi quidem optima
petentes non tam voluntate quam cursus errore falluntur.
Quid qui pecunie cupiditate qui voluptatum libidine
feruntur quorumque ita perturbantur animi ut non mul-
tum absint ab insania quod insipientibus contingit omni-
bus his nullane est adhibenda curacio? Utrum quod minus
noceant animi egrotaciones quam corporis an quod cor-
pora curari possint animorum nulla medicina est?
At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam
corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt quod ad animum pertinent
eumque sollicitant animusque eger ut ait Ennius semper
errat neque pati neque perpeti potest cupere numquam
desinit. Quibus duobus morbis ut omittam alios
egritudine et cupiditate qui tandem possunt in corpore
esse graviores? Qui vero probari potest ut sibi mederi animus
non possit cum ipsam medicinam corporis invenerit
cumque ad corporum sanacionem multum ipsa corpora et
natura valeat nec omnes qui curari se passi
sunt continuo etiam convalescant animi autem qui se sa-
nari voluerint preceptisque sapientium paruerint sine
ulla dubitacione sanentur? Est profecto animi me-
dicina phylozophia cuius auxilium non ut corporis

morbis petendum est totis omnibus que opibus et viribus
ut nos metipsi nobis mederi possimus elaborandum
est Quamquam de universa philosophia quanto opere expetenda
esset et colenda satis ut arbitror dictum est in hortensio
de maximis autem rebus nihil fere intermisimus
postea nec disputare nec scribere hiis autem libris
exposita sunt ea que a nobis cum familiaribus
nostris in tusculano erant disputata Sed quoniam duobus
superioribus de morte et de dolore dictum est tertius
dies disputationis tertium volumen effecit ut enim in a-
chedemiam nostram descendimus inclinato iam in
post meridianum tempus die poposci eorum aliquem qui
aderant causam disserendi tunc res acta sic est

Videtur mihi cadere in sapiente egritudo
animi relique quoque perturbationes for-
midines libidines iracundie hec enim fere sunt
eiusmodi que greci pathi appellant
Ego poteram morbos et id verbum esset e verbo sed
in consuetudinem nostram non caderet Nam misereri
invidere gestire letari Hec omnia greci morbos
appellant motus animi rationi non obtemperantis
Nos autem hos eosdem motus concitati animi
recte ut opinor perturbationes diximus morbos autem
non satis usitate nisi quid aliud tibi videatur
Mihi vero isto modo Hecine igitur cadere in sapiente putas
Prorsus existimo Ne ista gloriosa sapientia non magni
existimanda est siquidem non multum differt ab
insania Quid tibi omnisne animi commotio videtur
insania Non mihi quidem soli Sed id quod admirari
sepe soleo maioribus quoque nostris hoc ita visum intelligo
multis seculis ante socratem a quo hec omnis
que est de vita et de moribus philosophia manavit
Quonam tandem modo Quia nomen insanie
significat mentis egrotationem et morbum idem in sa-
nitatem et egritudinem et egrotum quam appellarunt
insaniam Omnes autem perturbationes animi morbos
philosophi appellant negantque stultum quemquam hiis
morbis vacare Qui autem in morbo sunt sani
non sunt et omnium insipientum animi in morbo sunt

Omnes igitur insipientes insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam propterea quod in perturbato animo sicut in corpore sanitas esse non poterit. Nec minus illud acute quod animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam eandemque dementiam. Ex quo intelligendum est eos qui his rebus nomina posuerunt sensisse hoc idem quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt omnes insipientes esse non sanos. Qui est enim animus in aliquo morbo, morbos autem hos perturbatos motus ut modo dixi philosophi appellant, non magis est animus sanus quam id corpus quod in morbo est. Ita fit ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quedam, que est insania eademque dementia; multoque melius hec notata sunt verbis latinis quam grecis. Quod aliis quoque multis locis reperitur. Sed id alias; nunc quod instat. Totum igitur quod querimus quid et quale sit verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos intelligi necesse est quorum mens motu quasi morbo perturbata nullo sit; qui contra affecti sint hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis latini cum exisse dicimus potestate eos qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia, quamquam ipsa iracundia libidinis est pars. Sic enim diffinitur iracundia ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur ideo dicuntur quia non sint in potestate mentis cui regnum totius animi a natura tributum est. Greci autem unde maniam appellant non facile dixerim; eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam illi. Hanc enim insaniam que iuncta stulticie patet latius a furore disiungimus. Greci volunt illi quidem sed parum valent verbo; quem nos furorem melancoliam illi vocant. Quasi vero a trabili solum mens ac non sepe vel iracundia graviore vel timore vel dolore moveatur. Quo genere athamantem alcmeonem aiacem horestem furere dicimus. Qui ita sit affectus eum dominum esse rerum suarum vetant xii tabule. Itaque non est scriptum si insanus, sed si furiosus escit. Stultitiam enim consuetudine constantiam id est sanitatem vacantem que posset tamen tueri mediocritatem officiorum et vite communem cultum atque usitatum; furorem autem esse rati sunt mentis

Ad omnia cecitate. Quod cum maius videatur esse quam
insania tamen eiusmodi est ut furor in sapientem cadere
possit non possit insania. Sed hec alia questio est
nos ad propositum revertamur. Eadem opinor in sapien-
tem egritudinem. tibi ita videri. Ego vero ita existimo
Humanum id quidem quod ita existimes. Non enim silice
enim nati sumus sed est naturale in animis tenerum quiddam
atque molle quod egritudine quasi tempestate quatiatur. nec
absurde Crantor ille qui in nostra achademia vel
in primis fuit nobilis. Minime inquit assentior his
qui istam nescio quam indolenciam magnopere laudant
que nec potest ulla esse nec debet. nec egrotasse si id quod
fuerat sensus adsit sive secetur quid sive avellatur
a corpore. Nam istud nihil dolere non sine magna
mercede contingit immanitatis in animo stuporis in corpore
Sed videamus ne hec oracio sit hominum assentancium nostre
imbecillitati et indulgencium mollitudini. Nos autem non
solum videamus ramos amputare miseriarum. Sed omnes
radicum fibras evellere. Tamen aliquid relinquetur
fortasse ita sunt alte stirpes stulticie Sed relinquetur
id solum quod erat necessarium. Illud quidem sic habeto
nisi animus sanatus sit quod sine philosophia fieri non potest
finem miseriarum nullum fore. Quamobrem quoniam cepimus
tradamus nos ei curandos sanabimur si volemus. Et progrediar
ac quidem longius non enim de egritudine solum quamquam
id quidem primum. Sed de omni animi ut ego posui per-
turbacione morbo ut greci volunt explicabo. Et primo
si placet stoicorum more agamus qui breviter solent astrin-
gere argumenta. deinde nostro instituto vagabimur. Qui for-
tis est idem est fidens quoniam confidens mala consuetudine
loquendi in vicio ponitur ductum verbum a fidendo quod
laudis erit. Qui autem est fidens is profecto non extimescit
discrepat enim a timendo confidere. atqui in quem
cadit egritudo in eundem timor est. Quarum enim rerum
presentia sumus in egritudine easdem et pendentes et
venientes timemus. Ita fit ut fortitudo egritudini
repugnet. Verisimile est igitur in quem cadit egritudo
cadere in eundem timorem et infraccionem quidem animi
et demissionem. que in quem cadunt in eundem cadit ut
serviat ut victum quandoque se esse fateatur. Que qui
recipit recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam

Non cadunt aut hec in virum fortem Igitur neque egritudo
quidem At nemo sapiens nisi fortis Nec cadit ergo
in sapientem egritudo Preterea necesse est qui fortis sit eundem
esse magni animi sit invictum qui invictus sit eum
res humanas despicere atque infra se positas arbitrari
Despicere autem nemo potest eas res propter quas egritudine
affici potest nisi fortis ex quo efficitur fortem virum
numquam egritudine affici Omnes autem sapientes fortes non
cadit igitur in sapientem egritudo Et quemadmodum
oculus conturbatus non est probe affectus ad suum
munus fungendum et reliquie partes totum ve corpus
cum est statu motum deest officio suo et muneri Sic
conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus
suum Munus autem animi est ratione bene uti et sapientis
animus est ita semper affectus ut ratione optime utatur
numquam igitur est perturbatus At egritudo perturbatio est
animi semper igitur ea sapiens vacabit Veri simile illud
est qui sit temperans quem greci appellant
eamque virtutem vocant quam soleo equidem
soleo tamen temperantiam tamen moderacionem appellare non
numquam et modestiam Sed haud scio an recte ea virtus
frugalitas appellari possit quod augustius apud grecos
valet qui frugi homines appellant id est tantummodo utiles
At illud est latius omnis enim abstinencia omnis
innocencia que apud grecos usitatum nomen nullum
habet sed habere potest abla[b]eyan Nam est innocen-
cia affectio talis animi que noceat nemini reliquas
etiam virtutes frugalitas continet que nisi tanta esset
et si hys angustys quibus plerique putant teneretur
numquam esset L. Pisonis cognomen tantopere laudatum
Sed quia nec qui propter metum presidium reliquit quod est
ignavie Nec qui propter avariciam clam depositum non
reddidit quod est iniusticie Nec qui propter temeritatem
male rem gessit quod est stulticie frugi appellari so-
let eo tres virtutes fortitudinem iusticiam prudenciam
frugalitas complexa est Et si hoc quidem commune est
virtutum omnes enim inter se nexe et iugate reliqua igitur
et quarta virtus est ut sit ipsa frugalitas eius enim videtur
esse proprium motus animi appetentes regere et sedare semperque
adversantem libidini moderatam in omni re servare
constanciam Cui contrarium vicium nequicia dicitur frugalitas

lutas ut opinor a frugi que in melius a deo nequaquam ab
eo et si erit hoc fortasse durius sed temerarius lu-
sisse putemus si nil sit ab eo quod nequaquam est in tali
homine ex quo idem nihil dicitur qui sit frugi igitur
et si mavis moderatus et temperans eum necesse est esse
constantem. Qui autem constans quietus qui quietus
perturbatione omni vacuus ergo etiam egritudine et sunt
illa sapientis aberit igitur a sapiente egritudo. Itaque
non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat que
apud Homerum Achilles queritur hoc ut opinor modo
Corque meum penitus turgescit tristibus iris cum decore
atque omni me orbatum laude recordor. Num manus
affecta recte est cum in tumore est. At non aliquod
quidem eorum membrorum tumidum ac turgidum non vitiose
se habet. Sic igitur inflatus et tumens animus in
vitio est. Sapientis autem animus semper vacat vitio nun-
quam turgescit numquam tumet at iratus animus eius modi
est. Numquam igitur sapiens irascitur. Nam si irascitur
etiam concupiscit proprium est enim irati cupere a quo lesus vi-
deatur ei quam maximum dolorem inurere. Qui autem
id concupierit eum necesse est si id consecutus sit ma-
gnopere letari. Ex quo fit ut alieno malo gaudeat quod
quoniam non cadit in sapientem ne ut irascatur quidem
cadit. Si autem cadit in sapientem egritudo caderet etiam
iracundia qua quoniam vacat egritudine etiam vacabit. Et-
enim si sapiens in egritudinem incidere posset posset etiam
in misericordiam et in invidentiam. Non dixi invidiam
que tum est cum invidetur ab invidendo autem invidentia
recte dici potest ut effugiamus ambiguum invidie nomen
quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius
ut est in Melanippo. Quisnam florem liberum
invidit meum. Male latine videtur. Sed praeclare Acci-
us ut enim videre sic invidere florem rectius quam flori
dicitur. Nos consuetudine prohibemur poeta ius suum te-
nuit et dixit audacius. Cadit igitur in eundem
invidere et misereri. Nam qui dolet rebus alicuius
adversis idem alicuius secundis dolet ut Theofrastus
interitum deplorans Callisthenis sodalis sui rebus Alexandri
prosperis angitur. Itaque dicit Callisthenem incidisse in
hominem summa potentia summaque fortuna. Sed
ignarum quemadmodum rebus secundis conveniret uti atque

Quemadmodum misericordia egritudo ex alterius rebus secundis. In
quem igitur cadit misereri in eundem etiam invidere
non cadit autem invidere in sapiente ergo ne misereri quidem
Quod si hic referre sapiens soleret misereri etiam soleret
Abest ergo a sapiente egritudo hic est dum a stoicis concluduntur
contorte. Sed latius aliquanto dicenda sunt et diffu-
sius sententiis tamen eorum utendum est potissimum qui maxime
forti et ut ita dicam virili utuntur ratione atque sententia
Nam peripatetici familiares nostri quibus nihil est
uberius nihil eruditius nihil gravius mediocritate vel
perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant
Omne enim malum etiam mediocre est magnum. Nos autem
id agimus ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam
ut corpus etiam si mediocriter egrum est sanum non est
sic in animo ista mediocritas caret sanitate. Itaque pre-
clare nostri ut alia multa molestiam sollicitudinem
angorem propter similitudinem corporum egrotorum egritudinem
nominaverunt. Hoc prope modum verbo greci omnem animi per-
turbationem appellant vocant enim idem morbum
quecumque est motus in animo turbidus. Nos melius e-
gris enim corporibus simillima est animi egritudo at non
similis egrotationis est libido animi non immoderata
leticia que est voluptas animi elata et gestiens
Ipse enim metus non est morbi admodum similis
quamquam est egritudini finitimus. Sed proprie ut egrotatio
in corpore sic egritudo in animo nomen habet non
seiuncta a dolore. Doloris igitur huius origo nobis
explicanda id est causa efficiens egritudinem in animo
tamquam egrotationem in corpore. Nam ut medici causa mor-
bi inventa curationem esse inventam putant sic nos
causa egritudinis reperta medendi facultatem reperiemus
Est igitur causa omnis in opinione nec vero egritudinis
solum sed etiam reliquarum omnium perturbationum que
sunt genere quatuor partibus plures. Nam cum omnis
perturbatio sit animi motus vel rationis expers vel
aspernans vel rationi non obediens isque motus
aut boni aut mali opinione citetur bifariam quatuor
perturbationes equaliter distribute sunt. Nam due sunt
ex opinione boni quarum altera voluptas gestiens
id est preter modum elata leticia opinione presentis magni a-
licuius boni rationi non obtemperans altera cupiditas

Que recte uel libido dici potest que est inmoderata
appetitio opinati magni boni rationi non obtemperans
Ergo hec duo genera uoluptas gestiens et libido bonorum
opinione turbantur ut duo reliqua metus et egritudo
malorum Nam et metus opinio mali magni impen-
dentis et egritudo est opinio magni mali presentis et quidem
recens opinio talis mali ut in eo rectum uideatur esse
angi id autem est ut is qui doleat oportere opinetur
se dolere His autem perturbationibus quas in uitam hominum
stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat
omnibus uiribus atque opibus repugnandum est si uolumus
hoc datum est uite tranquille placideque traducere Sed ce-
teras alias nunc egritudinem si possumus depellamus
Id enim sit propositum quandoquidem eam tu uideri tibi in
sapientem cadere dixisti quod ego nullomodo existimo te-
tra enim res est misera detestabilis omni contentione uelis ut
ita dicam remisque fugienda Qualis enim tibi ille uidetur
tantalo prognatus pelope natus qui quondam a socero
oenomao rege hippodamiam raptis nanctus est nuptiis
iouis iste quidem pronepos Tamne ergo abiectus tam-
que fractus Nolite inquit hospites ad me adire ilico
istinc ne contagio mea bonis umbraue obsit tanta uis
sceleris in corpore heret Tu te thyesta damnabis orba-
bisque luce propter uim sceleris alieni Quid illum filium
solis nonne patris ipsius luce indignum putas Refu-
gere oculi corpus in macie extabuit lacrime peredere
humorem exsanguis genas situ nidoris barba
pedore horrida atque intonsa infuscat pectus illu-
uie scabrum Hec mala o stultissime oeta ipse tibi
addidisti non inerant in hiis que tibi casus inuexe-
rat et quidem inueterato malo cum tumor animi re-
sedisset Est autem egritudo ut docebo in opinione mali
recentis Sed meres regni desiderio non filie Illam
enim oderas et iure fortasse regno non equo animo
carebas Est autem impudens luctus merore
se conficientis quod imperare non liceat liberis Dyonisius
quidem tyrannus siracusis expulsus corinthi pueros
docebat usque eo imperio carere non poterat Tarquinio
uero quid impudentius qui bellum gereret cum hiis qui
eius non tulerant superbiam Is cum restitui in regnum
nec ueientium nec latinorum armis potuisset

Certulisse se dicatur neque ea urbe semo et egritudine esse
confectus. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse ut eg-
ritudine opprimatur id est miseria. Cum enim omnis perturbatio
miseria est tum carnificina est egritudo. Habet ardorem libido
levitatem leticia gestiens humilitatem metus. Sed e-
gritudo maiora quedam tabem cruciatum afflictionem feditatem
lacerat exest animum planeque conficit. Hanc nisi exuimus
sic ut abiciamus miseria carere non possumus. Et qui hoc
perspicuum est tum egritudinem existere cum ita visum sit ma-
gnum quoddam malum adesse et urgere videatur. Epi-
curo autem placet opinione mali egritudinem esse natura-
lem ut quicumque intueatur in aliquod maius malum si se ibi
accidisse opinetur sit continuo in egritudine. Cirenaici non
omni malo egritudinem fieri censent sed insperato et nec opi-
nato malo. Est id quidem non mediocre ad egritudinem
augendam videntur enim omnia repentina graviora.
Ex hoc et illa iure laudantur. Ego cum genui tunc
morituros scivi et ei rei sustuli. Preterea ad Troyam
cum misi ob defendendam Greciam sciebam me ad mor-
tiferum bellum non in epulas mittere. Hec igitur pre-
meditatio futurorum malorum lenit eorum adventum que
venientia longe ante videris. Itaque apud Euripidem
a Theseo dicta laudantur licet enim ut sepe facimus
in latinum illa convertere. Nam qui hec audita a docto
meminissem viro futuras mecum commentabar miserias aut
mortem acerbam aut exilii mestam fugam aut semper aliquam
molem meditabar mali. Ut si qua invecta diritas
casu foret ne me imparatum cura laceraret repens.
Quod autem a docto se audivisse dicit id de se ipso
loquitur Euripides. Fuerat autem auditor Anaxagore
quem ferunt nunciata morte filii dixisse. Sciebam
me genuisse mortalem. Que vox declarat his esse
hec acerba quibus non fuerint cogitata. Ergo hoc quidem
non dubium quin omnia que mala putentur sint im-
provisa graviora. Itaque quamquam hoc una non res efficiat
maximam egritudinem tamen quoniam multum potest provisio animi
et preparatio ad minuendum dolorem sint semper homini
humana meditata. Et nimirum hec est illa prestans
et divina sapientia et perceptas penitus et pertractatas
res humanas habere nihil admirari cum acciderit nihil
antequam evenerit evenire non posse arbitrari. Quamobrem

cum secunde res sunt maxime tum maxime meditari
secum opportet quo pacto adversam erumnam ferat pericla
damna peregre rediens semper secum cogitet aut filii
peccatum aut uxoris mortem aut morbum filie communia
esse hec fieri posse ne quid hoc unquam accidat animo
novum quicquid preter spem eveniat omne id deputare
esse in lucro. Ergo hoc Terencius a philosophia sumptum
cum tam commode dixerit nos e quorum fontibus id haustum
est non et dicemus hoc melius et constancius sentiemus
Hic est enim ille vultus semper idem quem dicitur Xanti-
pe predicare solita in viro suo fuisse Socrate eodem
vultu semper se vidisse exeuntem illum domo et revertentem
Nec vero ea frons erat que M. Crassi illius veteris
quem semel ait in omni vita risisse Lucilius sed
tranquilla et serena sic enim accepimus iure autem semper
erat idem vultus cum mentis a qua is fingitur nulla
fieret mutacio. Quare accipio equidem a Cy-
renaicis arma contra casus et eventus quibus eorum advenien-
tes impetus premeditacione diuturna frangantur simulque
iudico malum illud opinionis esse non nature. Si enim
in re essent cur fierent provisa leviora. Sed est
isdem de rebus quod dici possit subtilius si prius
Epicuri sentenciam viderimus qui censent necesse esse omnes
in egritudine esse qui se in malis esse arbitrentur sive
sive illa ante provisa et expectata sint sive inve-
teraverint. Nam neque vetustate minui mala nec
fieri premeditata leviora stultamque etiam esse medi-
tacionem futuri mali aut fortasse ne futuri quidem
satis esse odiosum malum omne cum venisset. Qui
autem semper cogitavisset accidere posse aliquid adversi ei
fieri illud sempiternum malum. Si vero ne futurum
quidem sit frustra suscipi miseriam voluntariam itaque
semper angi aut accipiendo aut cogitando malo. Leva-
cionem autem egritudinis in duabus rebus ponit a voca-
cione a cogitanda molestia et revocacione ad con-
templandas voluptates. Parere enim censet animum
racioni posse et quo illa ducat sequi. Vetat igitur racio
intueri molestias abstrahit ab acerbis cogitacionibus
hebetem aciem ad miseriam contemplandam a quibus
cum cecinit receptui impellit rursum et incitat
ad conspiciendas totaque mente contrectandas varias

voluptates quibus ille et preteritarum meminit et spe conse-
quentium sapientis vitam refertam putat hic nostro more
nos dicimus epicurei dicunt suo. Sed que dicant videamus
quomodo negligamus. principio male reprehendunt premeditationem
rerum futurarum nihil est enim quod tam obtundat elevetque egri-
tudinem quam perpetua in omni vita cogitatio nihil esse
quod non accidere possit quam meditatio condicionis humane
quam vite lex commentatioque parendi. Que non hoc affert
ut semper mereamus sed ut numquam neque enim qui rerum naturam
qui vite varietatem qui imbecillitatem generis humani
cogitatur meret cum hoc cogitet. Sed tamen ut ma-
xime vel sapientie fungitur munere utrumque enim consequitur
ut et considerandis rebus humanis proprio philosophie fruatur
officio et adversis casibus triplici consolatione sanetur
Primum quod posse accidere diu cogitavit que cogitatio una
maxime molestias omnes extenuat et diluit deinde
quod humana ferenda intelligit postremo quod videt nullum
malum esse nisi culpam. Culpam nullam esse autem
cum id quod ab homine non potuerit prestari evenerit
Nam revocatio illa quam affert cum a contuendis
nos malis avocat nulla est. Non est enim in nostra
potestate fodicantibus hiis rebus quas malas esse opi-
nemur dissimulatio vel oblivio lacerant vexant sti-
mulos admovent ignes adhibent respirare non sinunt
et tu oblivisci iubes quod contra naturam est. Quod a
natura datum est auxilium extorqueas inveterati do-
loris. Est autem tarda illa quidem medicina sed tamen
magna quam affert longinquitas et dies. Iubes me
bona cogitare oblivisci malorum diceres aliquid et ma-
gno quidem philosopho dignum si ea bona sentires esse que essent
homine dignissima. Pitagoras mihi si diceret aut Socrates
aut Plato quid iaces aut quid meres aut cur succumbis
cedisque fortune que pervellere te forsitan potuit et pu-
ngere non potuit certe vires frangere magna vis
est in virtutibus eas excita si forte dormiunt. Iam tibi
aderit princeps fortitudo que te animo tanto esse coget
ut omnia que possint homini evenire contempnas
et pro nihilo putes aderit temperantia que est eadem mode-
ratio a me quidem paulo ante appellata frugalitas
que te turpiter et nequiter facere nihil patietur. Quid
est autem turpius et nequius effeminato viro ne iustitia

quidem sinas te ista facere cui minime videtur esse in hac ca-
loqui que tamen vis dicat dubitas esse te iniustum qui
et alienum appetas qui mortalis natus condicionem po-
stulet immortalium et graviter feras te quod utendum acceperis
reddidisse prudentiae vos quod respondebis docenti insti-
tute sese contentam quomodo ad bene vivendum sit etiam
ad beate que si extrinsecus religata pendeat et non oriatur
ex se et rursus ad se revertatur et omnia sua complexa nihil
querat aliunde nihil intelligo Cur aut vox tam vehe-
menter ornanda aut tantopere expetenda videatur Quod hoc bonum
si me revocas epicure parco sequar utar te ipso duce
obliviscar et malorum ut iubes eoque facilius quod ea ne
in malis quidem ponenda censes Sed traducis ad vo-
luptates meas cogitationes quas corporis credo aut propter
corpus vel recordatione aut spe cogitantur Numquid est
aliud Recte ne interpretor sententiam tuam solent enim isti negare
nos intelligere quid dicat epicurus hoc dicit et hoc ille
agriculus me audiente athenis senex Zeno istorum
acutissimus contendere et magna voce dicere solebat eum
esse beatum qui presentibus voluptatibus frueretur confideretque
se fruiturum aut in omni aut in magna parte
vite dolore non interveniente aut si interveniret si summus
foret futurum brevem si productior plus habiturum io-
cundi quam mali Hec cogitantem fore beatum presertim
si et ante perceptis bonis contentus esset nec mortem
nec deos extimesceret Habes formam epicuri vite beate
verbis Zenonis expressam nihil ut possit negari Quid
ergo huius vite propositio aut cogitatio aut thiestem le-
vare poterit aut etam de quo paulo ante dixi aut
thelamonem pulsum patria exulantem atque egentem in quo
hec admiratio fiebat hiccine est thelamon ille modo
quem gloria ad celum extulit quem aspectabant cuius
ob os graii ora vertebant sua Quod si cui ut ait
quidam simul animus cum re concidit A gravibus
illis antiquis philosophis petenda medicina est non ab his
voluptariis Quam enim isti bonorum copiam dicunt
fac sane summum bonum esse non dolere quamquam id non
vocatur voluptas Sed non necesse est nunc omnia idne
est quo traducti luctum levemus Sit sane summum
malum dolere In eo igitur qui non est si malo careat continuo
ne fruitur summo bono Quid tergiversamur epicure nec

fateris eam nos dicere voluptatem quam tu idem cum
os perfricuisti soles dicere. Sunt hec tua verba necne. In
eo enim libro qui continet omnem disciplinam tuam fungar e-
nim iam interpretis munere ne quis me putet fingere dicis
hec nec equidem habeo quod intelligam bonum illud de-
trahens eas voluptates que sapore percipiuntur detrahens
eas que auditu cantibus detrahens eas etiam que ex
formis percipiuntur oculis suaves motiones sive que alie
voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu
nec vero ita dici potest mentis leticiam solam esse in bonis
letantem enim mentem ita novi spe eorum omnium que
supradixi fore ut natura potius dolore careat atque hec quidem
his verbis quivis ut intelligat quam voluptatem norit epi-
curus. Deinde paulo infra. Sepe quesivi inquit ex
his qui appellantur sapientes quid haberent quod in bo-
nis relinquerent si illa detraxissent nisi si vellent voces
inanes fundere nihil ab his potui cognoscere qui si
virtutes ebullire volent et sapientias nihil aliud dicant
nisi eam viam qua efficiantur hee voluptates quas
supradixi et que sequuntur in eadem sententia sunt totus-
que liber qui est de summo bono refertus est et verbis et
sententiis talibus. Ad hanc tu igitur vitam telamo-
nem illum revocabis ut leves egritudinem. Et si quem
tuorum afflictum merore videris accipenserem potius
quam aliquem socraticum libellum dabis hydrauli horta-
bere ut audiat voces potius quam platonis expones
que spectet florida et varia fasciculum ad nares ad-
movebis incendes odores et sertis redimiri iube-
bis et rosa. Si vero etiam aliquid admoveris tum
plane omnem luctum absterseris. Hec epicuro confiten-
da sunt aut ea que modo expressa ad verbum dixi tol-
lenda de libro vel totus liber potius abiciendus est
enim confertus voluptatibus. Querendum igitur quemadmodum
egritudine privemus eum qui ita dicat pol mihi fortu-
na magis nunc defit quam genus. Namque regnum suppete-
bat mihi ut scias quanto e loco quantis opibus quibus de
rebus lapsa fortuna occidat. Quid huic calix mul-
si impingendus est ut plorare desinat aut aliquid
huiusmodi. Ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta
ex opibus summis opis egens hector tue huic
subvenire debemus querit enim auxilium. Quid pe-

tam p[er]sidi aut exequar qua re nunc auxilio aut fuga
freta sim? Arce et urbe orba sum. Quo accedam? quo
applicem? cui nec are patrie domi stant, fracte et disie-
cte iacent, fana flamma deflagrata, tosti alti stant
parietes deformati atque abiete crispa. Scitis que se-
quantur et illud in primis: O pater, o patria, o Pri-
ami domus, septum altisono cardine templum. Vidi e-
go te astante ope barbarica tectis celatis laqueatis
auro ebore instructam regifice. O poetam egregium, quam-
quam ab his cantatoribus Euphorionis contempnitur. Sen-
tit omnia repentina et nec opinata esse graviora. Ex-
aggeratis igitur regiis opibus que videbantur sempi-
terne fore quid adiungit? Hec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine
turpari. Preclarum carmen est enim et rebus et modis lu-
gubre. Eripiamus huic egritudinem. Quomodo? Collocemus
in culcitra plumea, psaltriam adducamus, hedicum in-
cendamus calamum odoriferum, demus scutellam dulci-
cule potionis aliquid videamus et cibi. Hec tandem
bona sunt quibus egritudines gravissime detrahantur?
Tu enim paulo ante ne intelligere te quidem alia bona
dicebas. Revocari igitur oportere a merore ad cogi-
tationem bonorum conveniret mihi cum Epicuro, si quid
esset bonum conveniret. Dicat aliquis: quid ergo, tu Epi-
curum existimabas ista voluisse aut libidinosas
eius fuisse sententias? Ego vero minime. Video enim
ab eo dici multa severe, multa preclare. Itaque ut
sepe dixi de acumine agitur eius, non de moribus.
Quamvis spernat voluptates eas quas modo laudavit,
Ego tamen meminero quod videatur ei summum bonum.
Non enim verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit
quid diceret. Saporem inquit et corporum complexum
et ludos atque cantus et formas eas quibus oculi io-
cunde moveantur. Num fingo? num mentior? cu-
pio refelli. Quid enim laboro nisi ut veritas in omni
questione explicetur? At idem ait non crescere volu-
ptatem dolore detracto, summamque esse voluptatem
nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata.
Unum quod secum ipse pugnat: modo enim ne suspicari
quidem quicquam bonum nisi sensus quasi titillarentur
voluptate; nunc autem summam voluptatem esse dolore

Care potest ne magna secum ipse pugnat Alterum
peccatum quod cum in natura dua sint unum gaudere
alterum dolere hec nec dolere nec gaudere hoc primum et totum pu-
tat idem esse ut distinguit a non dolendo voluptatem tertium
peccatum hoc est quibusdam quod cum virtus maxime agi-
tatur eiusque adipiscende causa philosophia quesita sit ille a vir-
tute summum bonum separavit At laudat sepe virtutem et Gracchus
cum largiciones maximas fecisset et effudisset erarium verbis
tamen defendebat erarium Quid verba audiam cum facta
videam Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixe-
rat Is lege lata consularis ad frumentum accipiendum
venerat animadvertit Gracchus in contione Pisonem
stantem querit audiente populo Romano qui sibi constet cum
ea lege frumentum petat quam dissuaserit Nollem in-
quit mea bona Gracce tibi viritim dividere libe-
at Sed si facies partem petam Parumne declaravit
vir prudens et sapiens lege Sempronia lege orationes
Gracchi patronum erarii esse dices Negat Epicurus iucunde
posse vivi nisi cum virtute vivatur nullam in sapientem
vim dicit esse fortune tenuem victum ante fert copio-
so Negat ullum tempus esse quo sapiens non beatus sit
Omnia philosopho digna sed cum voluptate pugnancia non
istam dicit voluptatem dicat quamlibet nempe eam dicit
in qua virtutis nulla pars insit Age si voluptatem
non intelligimus ne dolorem quidem Nego igitur eius
esse qui summum dolorem malum metiatur mentionem fa-
cere virtutis et queruntur quidam epicurei viri optimi
Nam nullum genus est minus maliciosum me studiose di-
cere contra Epicurum Ita credo de honore aut de digni-
tate contendimus mihi summum in animo bonum videtur illi autem
in corpore mihi in virtute illi in voluptate et illi quidem
pugnant et quidem vicinorum fidem implorat Multi
autem sunt qui statim convolent Ego sum is qui di-
cam me non laborare actum habiturum quod egerint
Quid enim de bello Punico agitur de quo ipso cum
aliud M Catoni aliud Lentulo videretur nulla inter
eos concertacio umquam fuit Hi nimis iracunde agunt
presertim cum ab his non sane animosa defendatur sententia
pro qua non in senatu non in contione non apud
exercitum neque ad censores dicere audeant sed cum istis
alias et eo quidem animo nullum ut certamen instituam

Verum dicentibus facile cedam tum admonebo si maxime
verum sit ad corpus omnia referre sapientem sive ut hone-
stius dicam nihil facere nisi quod expediat sive omnia
referre ad utilitatem suam quoniam hec plausibilia non sunt
ut in sinu gaudeant gloriose loqui desinant Cyre-
naicorum restat sententia qui tum egritudinem censent exi-
stere si necopinato quid evenerit Est id quidem magnum
ut supra dixi et Crisippo ita videri scio quod provisum ante
non sit id ferire vehementius Sed non sunt in hoc omnia
Nam hostium repens adventus magis aliquando conturbat quam
expectatus et maritima subita tempestas quam ante provi-
sa terret navigantes vehementius et eiusmodi
sunt pleraque Sed cum diligenter necopinatorum naturam
consideres nihil aliud reperies nisi omnia videri subi-
ta maiora et quidem ob duas causas primum quod quanta
sint que accidant considerandi spacium non datur deinde
cum videtur preaveri potuisse si provisum esset quasi cul-
pa contractum malum egritudinem acriorem facit Quod ita
esse dies declarat que procedens ita mitigat ut eisdem
malis manentibus non modo leniatur egritudo sed
in plerisque tollatur Karthaginenses multi Rome ser-
vierunt Macedones Perse rege capto vidi et in Pelo-
ponenso cum essem adolescens quosdam Corinthi-
os Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha
deplorare Nec omnia vidi sed etiam decantaverat
fortasse eo enim erant vultu oratione omni reliquo motu
et statu ut eos Argivos aut Sicionios diceres magisque
me moverant Corinthi subito aspecte parietine quam ipsos
Corinthios quorum animis diuturna cogitatio callum
vetustatis obduxerat Legimus librum Clithomachi
quem ille eversa Carthagine consolandi causa misit
in captivos cives suos In eo est disputatio scripta Car-
neadis quam se ait in commentarium retulisse
cum ita positum esset videri fore in egritudine sa-
pientem patria capta Que Carneades contra dixerit
scripta sunt Tantum igitur calamitatis presentis
adhibetur medicina quanta in inveterata ne desideratur
quidem nec si aliquot annis post idem ille liber
captivis missus esset vulneribus mederetur sed ci-
catricibus Sensim enim et pedetemptim progrediens exte-
nuatur dolor non quo ipsa res immutari soleat aut

Posset. Sed id quod ratio debuerat usus docet minora esse ea que
sunt visa maiora. Etiam illud ipso opus est ducet aliquis ratione
aut omnino consolatione ulla qua solemus uti cum levare
dolorem merencium volumus. Hec enim fere tu hemus in
compertu nihil oportere inopinatum videri aut qui tolle-
rabilius ferret incommodum quoniam qui cognoverit necesse esse
homini tale aliquid accidere. Hec enim oratio de ipsa summa
mali nihil detrahit tantum affert nihil evenisse quod
non opinandum esset neque tamen genus id orationis
in consolando nec valet. Sed id haud sciam an plu-
rimum. Ergo nec ipsa opinatio non habet tantam
vim ut egritudo omnis ex his oriatur. feriunt enim for-
tasse gravius non id efficiunt ut ea que accidant ma-
iora videantur quia recencia sunt non quia repen-
tina. Duplex igitur est racio veri reperiendi non in hiis
solum que mala. Sed in hiis etiam que bona vi-
dentur. Nam ipsius rei natura qualis et quanta sit
querimus ut de paupertate non numquam cuius honus
disputando levamus docentes quam parva sint et quam
pauca que natura desideret aut a disputandi sub-
tilitate oracionem ad exempla traducimus. Hic Socrates
commemoratur hic Diogenes hic Cecilianum illud. Sepe
est etiam sub sordido palliolo sapiencia. Cum enim pau-
pertatis una eademque sit vis quid nam dici potest quam
ob rem C. Fabricio tollerabilis ea fuerit alii negent
ferre posse. Huic igitur alteri generi similis ea est
racio consolandi que docet humana esse que accide-
rint. Non enim id solum continet ea disputacio ut cogni-
tionem afferat generis humani. Sed significat tolle-
rabilia esse que et tulerunt et ferant ceteri. De pau-
pertate agitur multi pacientes pauperes commemorantur
de contempnendo honore multi inhonorati proferuntur
et quidem propter id ipsum beatiores eorumque qui privatum
ocium negociis publicis ante tulerunt nominatim vi-
ta laudatur. Non siletur illud potentissimi regis
anapestum qui laudat senem et fortunatum esse dicit
quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem per-
venturus. Similiter commemorandis exemplis orbitates
quoque liberorum predicantur eorumque qui graviter ferunt
luctus aliorum exemplis leniuntur. Sic perpessio ceterorum
facit ea que acciderunt multo minora quam quanti sint

existimata videantur Ita fit sensim cogitationibus
ut quantum sit eminentia opinio appareat atque hoc idem
et thelamon ille declarat Ego cum genui morituros
scivi & theseus futuras mecum commentabat miserias
et anaxagoras Sciebam me genuisse mortalem
Hi enim diu cogitantes de rebus humanis intellige-
bant eas nequaquam pro opinione vulgi esse ex-
timescendas et mihi quidem videtur idem fere ac-
cidere his qui ante meditantur quod his quibus me-
detur dies nisi quod ratio quedam sanat illos hos ipsa
natura intellecto eo quod rei illud omne malum quod
inopinatum sit esse maximum ne quamquam esse tantum
ut vitam beatam possit evertere Hoc igitur efficitur
ut ex illo necopinato plaga maior sit non ut ille pu-
tant ut cum duobus pares casus evenerint is modo
egritudine afficiatur cui ille necopinatus casus e-
venerit Itaque dicuntur nonnulli in merore cum de
hac communi hominum condicione audivissent ea le-
ge esse nos natos ut nemo in perpetuum esse posset
expers mali equius tulisse Quocirca carneades
ut video nostrum scribere antiochum reprehendere cri-
sippum solebat laudantem euripideum carmen illud
Mortalis nemo est quem non attingat dolor mor-
busque Multis sunt humandi liberi rursus creandi
morsque est finita omnibus que generi humano ango-
rem nequicquam afferunt reddenda est terre terra
tum vita omnibus metenda ut fruges sic iubet
necessitas negabat genus hoc orationis quicquam omnino
ad levandam egritudinem pertinere id enim ipsum dolendum
esse dicebat quod in tam crudelem necessitatem incidis-
semus Nam illam quidem orationem ex commemora-
tione alienorum malorum ad malivolos consolandos
esse accommodatam michi vero longe videtur secus nam et
necessitas ferende condicionis humane quasi cum
deo pugnare prohibet admonetque esse hominem
que cogitatio magnopere luctum levat et enu-
meratio exemplorum non ut animum malivolorum
oblectet affertur Sed ut ille qui meret ferendum
sibi id censeat quod videat multos moderate
et tranquille tulisse omnibus enim modis fulciendi
sunt qui ruunt nec coherere possunt propter magni-

omnem egritudinis. Ex quo ipsam egritudinem
Crisippus quasi solutionem totius hominis appella
tam putat que tota potest euelli explicata
ut principio dixi causa egritudinis. Est enim nulla alia
nisi opinio et iudicium magni presentis atque urgentis mali
Itaque dolor corporis cuius est morsus acerrimus perfe
retur spe proposita boni et acta etas honeste ac
splendide tantum affert consolationis ut eos qui ita
vixerint aut non tangat egritudo aut perleviter pun
gat animi dolor. Sed ad hanc opinionem mali
magni cum illa etiam opinio accessit oportere rectum
esse ad officium pertinere ferre illud egre quod acciderit
tum denique efficitur illa gravis egritudinis perturbatio
Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia
genera lugendi pedores muliebres lacerationes genarum
pectoris feminum capitis percussiones. Hinc ille
agamemnon homericus et idem Accianus scindens
dolore identidem intonsam comam. In quo face
tum illud Bionis perinde stultissimum regem in luctu
capillum sibi euellere quasi calvicio meror levaretur. Sed
hec faciunt omnia opinantes ita fieri oportere. Ita
que et eschines in demosthenem invehitur quod his
septimo die post filie mortem hostias immolasset
At quam rhetorice quam copiose quas sententias colligit
que verba contorquet ut licere quidvis rhetori intelli
gas. Que nemo probaret nisi insitum illud in
animis haberemus omnes bonos interitu suorum
quam gravissime merere oportere. Ex hoc evenit ut
in animi doloribus alii solitudines capterent ut
ait homerus de bellorophonte. Qui miser
in campis merens errabat alienis ipse suum cor
edens hominum vestigia vitans. Et niobe fingitur
lapidea propter eternum credo in luctu silentium. Hecubam
autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem
fingi in canem esse conversam. Sunt alii quos in
luctu cum ipsa solitudine loqui sepe delec
tat ut illa apud ennium nutrix cupido cepit miseram
nunc me proloqui celo atque terre medee miserias
Hec omnia recta vera debita putantes faci
unt in dolore maximeque declaratur hoc quasi officii
iudicio fieri. Quod si qui forte cum se in luctu esse

Vellent aliquid fecerunt humanius aut si hilarius
locuti sunt revocant se rursus ad mesticiam peccatique se
insimulant quod dolore intermiserint pueros vero
matres et magistri castigare etiam solent nec verbis
solum sed etiam verberibus si quid in domestico
luctu hylarius ab hys factum est aut dictum plorare
cogunt Quid ipsa remissio luctus cum est consecuta
intellectumque nihil profici merendo Nonne res de-
clarat fuisse totum illud voluntarium Quid ille
terencianus ipse se peniens idem
decrevi tantisper me minus chremes iniuriam meo gnato in-
iuriam facere dum fiam miser hec decernit ut
miser sit numquis igitur quicquam decernit invitus
Malo quidem me quovis dignum deputem malo
se dignum deputat nisi miser sit vides ergo opinionis
esse non nature malum Quid res ipsa lugere prohibet
ut apud homerum quotidiane neces interitusque multorum
sedationem merendi afferunt Apud quem ita dicitur
Namque nimis multos atque omni luce cadentes Cerni-
mus ut nemo possit merore vacare Quo magis
est equum tumulis mandare peremptos firmo animo
et luctum lacrimis finire diurnis Ergo in potestate est abi-
cere dolorem cum velis tempori servientem An est ullum
tempus quoniam quidem res in nostra potestate est cui non po-
nende cure egritudinis causa pareamus constabat eos qui
concidentem vulneribus Gneum pompeium vidissent cum illo ipso
acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent quod se
classe hostium circumfusos viderent Nihil tunc aliud
egisse nisi ut remiges hortarentur et ut salutem
adipiscerentur fuga Postea quam tyrum venissent tunc
afflictari lamentarique cepisse timor igitur ab hys egritu-
dinem potuit repellere ratio ac sapientia vera non poterit
Quid est autem quod plus valeat ad ponendum
dolorem quam cum est intellectum nil profici et frustra
esse susceptum Si igitur deponi potest et non suscipi
potest voluntate igitur et iudicio suscipi egritudinem
confitendum est Idque indicatur eorum paciencia qui cum
multa sint sepe perpessi facilius ferunt quicquid accidit
obduruisseque se contra fortunam arbitrantur ut
ille apud euripidem Si mihi nunc tristis primum illu-
xisset dies ne tam erumnoso navigavissem salo esset

dolendi causa ut iniecto quasi freno repente tantum
exagitantur novo. Sed iam subiectus miseriis obtorpuit
defatigatio igitur miseriarum egritudines cum faciat
leniores intelligitur non esse rem ipsam causam
atque fontem esse meroris. Philosophi summi neque dum
tamen sapientiam consequti seu consecuti nondum intelligunt in
summo se malo esse. Sunt enim insipientes neque in-
sipientia nullum maius malum est neque tamen lu-
gent. Quid ita quia huic generi malorum non affi-
gitur illa opinio rectum esse et equum et ad officium
pertinens egre ferre quod sapiens non sit. quod idem
affigimus huic egritudini in qua luctus inest que
omnium maxima est. Itaque Aristoteles veteres philoso-
phos accusans qui existimavissent philosophiam
suis ingeniis esse perfectam ait eos aut stultissimos
aut gloriosissimos fuisse sed se videre quod paucis
annis magna accessio facta esset brevi tempore philosophiam
plane absolutam fore. Theophrastus autem
moriens accusasse naturam dicitur quod cervis et cor-
nicibus vitam diuturnam quorum id nihil interesset
hominibus quorum maxime interfuisset tam exiguam
vitam dedisset. Quorum si etas potuisset esse lon-
ginquior futurum fuisse ut omnibus perfectis artibus
omni doctrina hominum vita erudiretur. querebatur igitur
se cum illam videre cepisset extingui. Quid ex ceteris phi-
losophis nonne optimi et gravissimi quique confitentur
multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam
esse discenda. neque tamen cum se in media stulticia quam
nihil est peius herere intelligant egritudine premuntur
nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris. Quid
qui non putant lugendum viris qualis fuit Q. Ma-
ximus efferens filium consularem qualis L. Paulus
duobus paucis diebus amissis filiis qualis M.
Cato pretore designato mortuo filio quales reli-
qui quos in consolatione collegimus. Quid hos
aliud placavit nisi quod luctum et merorem esse non
putabant viri. Ergo id quod alii rectum opinantes
egritudini se solent dedere id hi turpe putantes
egritudinem repulerunt. Ex quo intelligitur non in natura
sed in opinione esse egritudinem. Contradicant hoc quis
tam demens ut sua voluntate mereat natura affert

dolorem. Cui quidem etiam tum inquinat uester crede-
dum putat primum n(on) atque instat nec respondeat. Itaque
dolens ille apud Sophoclem qui Thelamonem antea de
Aiacis morte consolatus esset is cum audisset de filio fra-
ctus est de cuius commutata mente sic dicitur. Nec
vero tanta preditus sapientia quisquam est qui aliorum
erumnam dictis alleuans non idem cum fortuna muta-
ta impetum conuertat clade ut subita frangantur
sua ut illa ad alios dicta et precepta excidant. Hic
cum disputant hoc student efficere nature obsisti nullo
modo posse. Hii fatentur grauiores egritudines suscipi
quam natura cogat. Que est igitur amentia ut nos
quoque idem ab aliis requiramus. Sed plures sunt
cause suscipiendi doloris. Primum illa opinio mali quo
uiso atque persuaso egritudo insequitur necessario. Deinde
etiam gratum mortuis se facere si grauiter eos lugeant
arbitrantur. Accedit superstitio muliebris quedam. Ex-
istimant enim diis immortalibus se facilius satisfacturos
si eorum plaga perculsi afflictos et fractos esse fate-
antur. Sed hec inter se quam repugnant plerique non
vident. Laudant enim eos qui equo animo moriantur.
Qui alterius mortem equo animo ferant eos putant ui-
tuperandos. Quasi fieri nemo possit quod in amatorio
sermone dici solet ut quisquam plus alterum quam se dili-
gat. Preclarum illud est et si queris rectum quoque
et verum ut eos qui nobis karissimi esse debeant eque ac
nos metipsos amemus. Sed uero plus fieri nullo pa-
cto potest. Ne optandum quidem est in amicicia
ut me ille plus quam se amet ego illum plus quam
me. Perturbatio vite si ita sit atque officiorum omnium
consequatur. Sed de hac alias nunc illud satis est
non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram
ne illos plus quam illi uelint si sentiant plus certe
quam nos metipsos diligamus. Nam quod aiunt
plerosque consolationibus nil leuari adiunguntque consola-
tores ipsos confiteri se miseros cum ad eos impe-
tum suum conuerterit utrumque dissoluitur. Sunt enim
ista non nature vicia sed culpe. Stulticiam ac-
cusare quamuis copiose licet. Nam et qui non leuantur
ipsi ad miseriam inuitant et qui suos casus aliter
ferunt atque ut auctores aliis ipsi fuerunt non sunt

transferret quam ferre plerique qui avari avaros gloriae
cupidos gloriosi reprehendunt Etenim proprium est stultitiae
aliorum vicia cernere oblivisci suorum Sed nimirum hoc
maximum est experimentum cum constat egritudinem ex ve-
tustate tolli hanc vim non esse in die positam sed
in diurna cogitatione Nam si eadem res est et
idem est homo qui potest quicquam de dolore mutari
si neque de eo propter quod dolet quicquam est mutatum neque de
eo qui dolet Cogitatio igitur diurna nihil esse in re
mali dolori medetur non ipsa diuturnitas hic mihi
afferunt mediocritates quas naturales sunt quid
opus est consolatione Natura enim ipsa terminabit
modum sin opinabiles opinio tota tollatur Satis
dictum esse arbitror egritudinem esse opinionem mali
presentis In qua opinione illud insit ut egritudinem
suscipere oporteat additur ad hanc definitionem a zeno-
ne recte ut illa opinio presentis mali sit recens Hoc
autem verbum sic interpretantur ut non tantum illud recens
esse velint quod pauloante acciderit sed quamdiu in
illo opinato malo vis quedam insit et vigeat et
habeant quandam viriditatem tam diu appellet re-
cens ut arthemesia illa mausoli carie regis uxor
que nobile illud alicarnassi fecit sepulcrum quamdiu vi-
xit vixit in luctu eodemque etiam confecta contabuit
huic erat opinio quotidie recens que tum denique
inde non appellatur recens cum vetustate exaruit
Hec igitur officia sunt consolancium tollere egritudinem
funditus aut sedare aut detrahere quamplurimum aut sup-
primere nec pati manare longius aut ad alia tra-
ducere Sunt qui unum officium consolantis putat ma-
lum illud omnino non esse ut cleanti placet Sunt
qui non magnum malum ut peripatetici Sunt qui ab-
ducant a malis ad bona ut Epicurus Sunt qui satis
putant ostendere nihil inopinati accidisse nihil mali
Crisippus autem censet caput esse in consolando de-
trahere illam opinionem merentis si officio fungi
putat iusto atque debito Sunt etiam qui hec omnia
genera consolandi colligunt alius enim alio modo movetur
ut fere nos omnia in consolacione una ofugimus con-
iecimus Erat enim animus in tumore et omnis in eo tem-
tabatur curacio Sed sumendum tempus est non minus

in animorum quam in corporum ut prometheus ille esthi-
li Cui cum dictum esset atque prometheu te hoc tene-
re existimo mederi posse que iracundie respondit Si-
quidem qui tempestiuam medicinam admonet non
ad grauescens uulnus illidat manus Erit igitur in conso-
lationibus prima medicina docere aut nullum malum
esse aut ad modum paruum Altera et de communi condicione
uite et si quid sit de ipsius qui mereat disputandum
tercia summam esse stulticiam frustra confici merore cum
intelligas nichil posse proficere Nam cleantes quidem sapi-
entem consolatur qui consolacione non eget Nihil enim
esse malum quod turpe non sit si lugenti persuaseris
non tamen ille luctum sed stulticiam detraxeris Alienum
autem tempus docendi et tamen non satis mihi videtur
vidisse Hec cleantes suscipi aliquando egritudinem posse
ex corpore quod esse summum malum cleantes ipse fateatur Q-
uid enim dicemus cum Socrates alcibiadi persuasisset
ut accepimus eum nihil esse nec quicquam inter alcibiadem
summo loco natum et quemuis baiulum interesse cum se al-
cibiadem affligtaret lacrimansque socrati supplex esset
ut sibi uirtutem traderet turpitudinemque repelleret quod
dicemus cleantem in illa re que egritudine qui alcibi-
adem afficiebat mali nichil fuisse Quid illa lico-
nis qualia sunt qui egritudinem extenuans paruis
ait eam rebus moueri fortune et corporis inco-
modis non animi malis Quid ergo illud quod alci-
ades dolebat non ex animi malis uiciisque consta-
bat At epicuri consolationem satis est ante dictum
ne illa quidem firmissima consolatio est quamquam
et usitata est et sepe prodest Non hec tibi soli prodest
hec quidem ut dixi nec semper nec omnibus Sunt enim
qui respuant sed refert quo adhibeatur ut enim tule-
rit quisque eorum qui sapienter tulerunt non quo quisque
incommodo affectus sit predicandum est Crisippi ad
ueritatem firmissima est ad tempus egritudinis difficilis
magnum opus est probare merenti illud suo iudicio
et quod sic ita putat oportere facere merere Nimirum igitur
ut in causis non semper utimur eodem statu Sic enim
appellamus controuersiarum genera Sed ad tempus controuersie naturam
ad personam accommodamus Sic in egritudine lenienda
quam quisque curationem recipere possit uidendum est

Sed nescio quo pacto ab eo quod erat a te propositum
aberravit oratio. Tu enim de sapiente quesieras cui
videri malum nullum potest quod vacet turpitudine aut ita
parvum malum ut obruatur sapientia vixque appareat qui nichil
opinione affingat assumatque ad egritudinem neque id
putet esse rectum se ipsum maxime excruciari luctuque
confici quo pravius nichil esse possit. Edocuit tamen
racio ut michi quidem videtur cum hoc ipsum proprie
non quereretur hoc tempore numquid esset malum nisi quod
idem dici turpe posset tamen ut videremus quicquid
esset in egritudine mali id non naturale esse sed vo-
luntario iudicio et opinionis errore contractum. Tractatum
est autem a nobis id genus egritudinis quod unum est
omnium maximum ut eo sublato reliquorum remedia ne
magnopere querenda arbitraremur. Sunt enim certa que
de paupertate certa que de vita inhonorata et ingloria
dici soleant. Separatim certe schole sunt de exilio de
interitu patrie de servitute de debilitate de cecitate de
omni casu in quo nomen poni solet calamitatis. Hec greci
in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt.
Opus enim querunt quamquam plene disputationis sunt.
Et tamen ut medici toto corpore curando minime
etiam parti si condoluit medentur sic philosophia
cum universam egritudinem sustulit tamen si quis error ali-
unde extitit si paupertas momordit si ignominia
pupugit si quid tenebrarum offudit exilium aut eorum
que modo dixi si quid extitit etsi singularum rerum
sunt proprie consolaciones de quibus audies tu quidem
cum voles. Sed ad eundem fontem revertendum est
egritudinem omnem abesse a sapiente quod inanis sit quod
frustra suscipiatur quod non natura exoriatur sed iudicio
sed opinione sed quadam invitacione ad dolendum cum
id decrevimus ita fieri oportere. Hoc detracto quod
totum est voluntarium egritudo erit sublata illa me-
rens morsus tamen comitatur quadam animi relin-
quetur. Hanc dicant sane naturalem dum egritudinis
nomen absit grave tetrum funestum quod cum sapientia esse
atque ut ita dicam habitare nullo modo possit. At stirpes
sunt egritudinis quam multe quam amare que ipso trun-
co everso omnes eligende sunt et si necesse erit singulis
disputacionibus. Superest enim nobis hoc cuicuimodi est otium

Sed hec una est omnium egritudinum pluribus nominibus nam et in-
videre egritudinis est et emulari et obtrectare et misereri et
angi lugere merere erumna affici lamentari sollicitari
dolere in molestia esse affictari desperare. Hec omnia
diffiniunt Stoici eaque verba que dixi singularum rerum
sunt non ut videtur easdem res significant sed quiddam
differunt quod alio loco fortasse tractabimus. Hee sunt
ille fibre stirpium quas initio dixi persequende et omnes
eliciende ne unquam ulla possit existere. Magnum opus
et difficile. Quis negat? Quid autem preclarum non idem
arduum? Sed tamen id se effecturam profitetur philosophia
nos modo curationem eius recipiamus. Verum quidem hec
hactenus cetera quotienscumque volueris et hoc loco et
aliis parata vobis erunt.

Cum multis in locis nostrorum hominum ingenia virtu-
tes et nihilominus Brute soleo mirari tum
maxime in his studiis que sero ad mo-
dum expetita in hanc civitatem e Grecia
transtulerunt. Nam cum a primo urbis ortu regiis
institutis partim etiam legibus auspicia ceremonie co-
mitia provocationes patrum et consilium equitum peditumque
descriptio tota res militaris divinitus esset constituta tum
progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excel-
lentiam factus est dominatu regio re publica liberata nec
vero hic locus est ut de moribus institutisque maiorum
et disciplina ac temperantia civitatis loquamur. Aliis
hec locis satis accurate a nobis dicta sunt maxi-
meque in his vi libris quos de re publica scripsimus. Hoc
autem loco consideranti mihi studia doctrine multa sa-
ne occurrunt cur ea quoque accersita aliunde solum
expetita sed etiam conservata et culta videantur. Erat
enim illis pene in conspectu prestanti nobilitate Pythago-
ras qui fuit in Ytalia temporibus eisdem quibus L. Brutus
patriam liberavit preclarus auctor nobilitatis tue.
Pythagore autem doctrina cum longe lateque flueret
permanavisse mihi videtur in hanc civitatem idque cum
coniectura probabile est tum quibusdam etiam vestigiis
indicatur. Quis est enim qui putet cum floreret in
Ytalia Grecia potentissimis et maximis urbibus

ea que magna dicta est in hisque primo ipsius pytha-
gore deinde postea pythagoreorum tantum nomen esset
nostrorum hominum a deorum doctrinam voces aures clausas
fuisse. Quin etiam arbitror propter pythagoreorum admira-
cionem Numam regem pythagoreum a posterioribus existi-
matum. Nam cum pythagore disciplinam et instituta cog-
noscerent regisque eius equitatem et sapienciam a ma-
ioribus suis accepissent etates autem et tempora ignora-
rent propter vetustatem eum qui sapiencia excelleret pythagore
auditorem fuisse crediderunt et de coniectura quidem
hactenus. Vestigia autem pythagoreorum quamquam multa col-
ligi possunt / paucis tamen utemur quoniam non agitur hoc tem-
pore. Nam cum carminibus soliti illi esse dicantur et precepta quedam
occultius tradere et mentes suas a cogitacionum
intencione cantu fidibus quoque ad tranquillitatem traducere gra-
vissimus autor in originibus dixit cato morem hunc
apud epulas maiorum fuisse ut deinceps qui accuba-
rent canerent ad tibiam clarorum hominum laudes atque vir-
tutes. Ex quo perspicuum est et cantus fuisse rescrip-
tos vocum sonis et carmina. Quamquam id quidem duodecim
tabule declarant condi iam tum solitum esse carmen quod
ne liceret fieri ad alterius iniuriam lege sanxerunt. Nec
vero illud non eruditorum temporum argumentum est quod deorum
pulvinaribus et epulis magistratuum fides precinunt mihi
quod proprium eius fuit de qua loquor disciplina. Quidem
etiam appii ceci carmen quod valde panecius laudat
epistola quadam que est ad tuberonem pythagoreum
videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta
ab illis que pretereo ne ea que repperisse ipsi putemur. Sed
ut ad propositum redeat oracio quam brevi tempore quot et quan-
ti poete qui autem oratores extiterunt ut ap-
pareat nostros omnia consequi potuisse simul ut vel-
le cepissent. Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus
si usus fuerit et sepe diximus. Sapiencie studium vetus
id quidem in nostris. Sed tamen ante Lelii etatem et sci-
pionis non reperio / quos appellare possim nomina-
tim / quibus adulescentibus stoicum diogenem et ache-
demicum carneadem video ad senatum ab athenien-
sibus missos esse legatos. Qui cum rei publice nullam
umquam partem attigissent essetque eorum alter cireneus al-
ter babilonius numquam profecto scholis essent excitati

Itaque ad illud unum electi mihi in quibusdam praeceptis
temporibus illis fuissent studia doctrine qui aut verum lit-
teris mandaret alii in iure civile alii oratores alii
monumenta maiorum hanc amplissimam omnium ar-
tium bene vivendi disciplinam vita magis quam litteris per-
secuti sunt Itaque illius vere elegantisque philosophie que
ducta a Socrate in peripateticis adhuc permansit et
idem alio modo dicentibus stoicis cum academici
eorum controversias disceptarent nulla fere sunt aut
pauca admodum latina monumenta sive propter magnitudinem
rerum occupationemque hominum sive etiam quod imperitis
ea probari posse non arbitrabantur cum interim
illis silentibus Amafinius extitit dicens cuius libris
editis commota multitudo contulit se ad eam potissimum
disciplinam sive quod erat cognitu perfacilis sive quod
invitabantur illecebris blandis voluptatis sive quod
nihil erat prolatum melius illud quod erat tenebant Post
Amafinium autem multi eiusdem emuli rationis multa
cum scripsissent Italiam totam occupaverunt quodque
maximum argumentum est non dici illa subtiliter
quod et facile ediscantur et ab indoctis probentur
id illi firmamentum esse discipline putant Sed
defendat quod quisque sentit sunt enim iudicia libera
nos institutum tenebimus nullisque unius discipline
legibus astricti quibus in philosophia necessario pareamus quid
sit in quaque re maxime probabile semper requiremus
quod cum sepe alias tamen nuper in tusculano
no egimus Itaque expositis tridui disputationibus
quarti diei hoc libro concludemus Ut enim inferiores
ambulationem descendimus quod feceramus idem superiori-
bus diebus acta res est sic Dicat si quis
volt qua de re disputari velit

Non mihi videtur omni animi per-
turbatione sapiens vacare posse
egritudine quidem hesterna disputa-
tione videbatur nisi forte tempo-
ris causa nobis assentiebare Minime
vero nam mihi egregie probata est oratio tua

Non igitur existimas cadere in sapientem egritudinem. Prorsus
non arbitror. Atqui si ista perturbare animum sapientis non potest
nulla poterit. Quid enim metus ne conturbet. At earum rerum
est absentium metus quarum presentium est egritudo. Sublata igitur
egritudine et sublatus est metus. Restant due perturbationes
leticia gestiens et libido que si non cadent in sapientem
semper mens erit tranquilla sapientis. Sic prorsus intel-
ligo. Utrum igitur mavis statim ne nos vela face-
re quasi e portu egredientes an paululum remigare.
Quidnam est istuc non enim intelligo. Quia
Crisippus et Stoici cum de animi perturbationibus disputant
partem magnam in partiendis occupati sunt illa eorum
perexigua oratio est qua medeantur animis nec eos tur-
bulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placan-
dos animos multa afferunt spinas partiendi et diffi-
niendi pretermittunt. Querebam igitur utrum panderem
vela orationis statim an eam ante paululum dialecti-
corum remis propellerem. Isto vero modo erit enim hoc totum
quod quero ex utroque perfectius. Est quidem id rectius
sed post requires si quid fuerit obscurius.
Faciam equidem tu tamen ut soles dices ipsa ista obscura
planius quam dicuntur a Grecis. Enitar equidem sed inten-
to opus est animo ne omnia dilabantur si unum aliquid
effugerit. Quoniam que Greci morbos vocant nos perturbationes
appellari magis placet quam morbos in his explica-
dis veterem illam et quidem Pitagore primum deinde
Platonis descriptionem sequar qui animum in duas partes
dividunt alteram rationis ponunt tranquillitatem id est
placidam quietamque constantiam in illa altera tur-
bidos motus cum ire tum cupiditatis contrarios inimicos-
que rationi. Sit igitur hic fons utamur tamen in his pertur-
bationibus describendis Stoicorum diffinitionibus et parti-
tionibus qui mihi videntur in hac questione versari
acutissime. Est igitur Zenonis hec diffinitio ut
perturbatio sit quod ille dicit aversa a recta ratione con-
tra naturam animi commotio. Quidam brevius perturbationem
esse appetitum vehementiorem. Sed vehementiorem
eum volunt esse qui longius discesserit a nature constantia.
Partes autem perturbationum volunt ex duobus opina-
tis bonis nasci et ex duobus malis. Ita esse quattuor
ex bonis libidinem et leticiam ut sit leticia presentium bonorum

libido futurorum ex malis metus et egritudine nascuntur
sed metus futuris egritudo presentibus Que enim venientia
metuuntur eadem afficiunt egritudine instantia Leticia autem
et libido in bonorum opinione versantur cum libido ad id quod
videtur bonum incitata et inflammata rapiatur leticia
ut adepta iam aliquid concupitum efferatur et gestiat natura
enim omnes ea que bona videntur sequuntur fugiuntque contra-
ria Quamobrem simul obiecta species cuiuspiam
quod bonum videatur ad id adipiscendum impellit ipsa
natura id cum constanter prudenterque fit eiusmodi appetitionem
Stoici appellant nos appellamus voluntatem eam
illi putant in solo esse sapiente quam sic diffiniunt vo-
luntas est que quid cum ratione desiderat Que autem
ratione adversa incitata est vehementius ea libido est
vel cupiditas effrenata que in omnibus stultis inve-
nitur Itemque cum ita movemur ut in bono simus
aliquo dupliciter id contingit Nam cum ratione animus movetur
placide atque constanter tum id gaudium dicitur Cum
autem inaniter et effuse animus exultat tum illa leticia
gestiens vel nimia dici potest quam ita diffiniunt
sine ratione animi elationem quoniamque ut bona natura ap-
petimus sic a malis natura declinamus que declinatio
si cum ratione fiet cautio appelletur atque intelligatur in solo
esse sapiente que autem sine ratione et cum exanimatione
humili atque fracta nominetur metus Est igitur me-
tus a ratione aversa cautio presentis autem mali sapientis
affectio nulla est Stultorum autem egritudo ea qua affi-
ciuntur in malis opinatis animosque demittunt et contrahunt
rationi non obtemperantes Itaque hec prima diffinitio est ut
egritudo sit animi adversante ratione contractio Sic quattuor perturbationes
sunt tres constantie quoniam egritudini nulla constantia
opponitur Sed omnes perturbationes iudicio censent fieri
et opinione Itaque eas diffiniunt pressius ut intelligatur
non modo quam viciose sed et quam in nostra sint potestate
Est ergo egritudo opinio recens mali presentis in quo
demitti contrahique animo rectum esse videatur leticia recens
boni presentis opinio in quo efferri rectum esse videatur
Metus opinio impendentis mali quod intollerabile esse
videatur libido opinio venturi boni quod sit ex usu
iam presens esse atque adesse Sed que iudicia quasque
opiniones perturbationum esse dixi non in eis perturbationes

Laicas solum positas esse dicunt verum illa etiam que effi-
ciuntur perturbationibus ut egritudo quasi morsum aliquem
doloris efficiat metus recessum quendam animi et fugam
letitia profusam hilaritatem libido effrenatam appeten-
tiam opinationem autem quam in omnes diffinitiones superiusque
volunt esse imbecillam assensionem sed singulis perturbationibus
partes eiusdem generis plures subiciuntur ut egritudini invidencia
utendum est enim docendi causa verbo minus usitato quoniam
invidia non in eo qui invidet solum dicitur sed etiam
in eo cui invidetur emulatio obtrectatio misericordia angor
luctus meror erumna dolor lamentatio sollicitudo mo-
lestia afflictatio desperatio et si que sunt de genere eodem
Sub metum autem subiecta sunt pigricia pudor ter-
rorem timor pavor exanimatio conturbatio formi-
do voluptati malivolencia letans malo alieno delectatio
iactatio et similia libidini ira excandescencia odium inimicicia
discordia indigencia desiderium et cetera huiusmodi hec autem
diffiniunt hoc modo invidenciam esse dicunt egritudinem
susceptam propter alterius res secundas que non noceant invide-
nti Nam si quis doleat eius rebus a quo ipse
laedatur non recte dicetur invidere ut si Hectori Aga-
menon Qui autem cui alterius commoda nihil noceant
tamen eum doleat his frui is invideat profecto emulatio
dupliciter illa quidem dicitur ut et in laude et in vicio
nomen hoc sit nam et imitatio virtutis emulatio dicitur
Sed ea nihil hoc loco utimur est enim laudis et est e-
mulatio egritudo si eo quod concupierit alius potiatur ipse ca-
reat obtrectatio autem est ea quam intelligi zelotipiam
volo egritudo ex eo quod potiatur eo quod ipse concupierit
Misericordia est egritudo ex miseria alterius iniuria labo-
rantis nemo enim parricide aut proditoris supplicio mi-
sericordia commovetur angor egritudo premens luctus egritudo ex
eius qui carus fuerit interitu acerbo meror egritudo fle-
bilis erumna egritudo laboriosa dolor egritudo crucia-
ans lamentatio egritudo cum eiulatu Sollicitudo egri-
tudo cum cogitatione molestia egritudo permanens affli-
ctatio egritudo cum vexatione corporis desperatio egritudo
sine ulla rerum expectatione meliorum Que autem
subiecta sunt sub metum ea sic diffiniunt pigri-
tiam metum consequentis laboris terrorem metum
concucientem ex quo fit ut pudorem rubor terrorem pal-

lor et tremor etiam dentium consequitur crepitus tunc est
metus mali appropinquantis pavor est metus mentem loco
movens ex quo illud ennii Tum pavor sapientiam omnem
mihi ex animo expellet exanimatio metus consequens et
quasi comes pavoris quibusdam metus examinantem co-
gitata formidine metus permanens voluptas autem ut
hic modo describitur ut malivolentia sit voluptas ex malo
alterius sine emolumento suo delectatio voluptas suavitate
auditus animum deleniens et qualis est hec aurium tales sunt
oculorum et tactionum et odorationum et saporum que sunt
omnes unius generis ad perfundendum animum tamquam illi quae sunt
voluptates liquore iactatio est voluptas gestiens et se efferens
insolentius Que autem libidini subiecta sunt ea sic
diffiniuntur ut ira sit libido puniendi eius qui videatur
lesisse iniuria et excandescentia autem sit ira nascens
et modo consistens grece dicitur odium ira inveterata
Inimicitia ira ulciscendi tempus observans discordia ira
acerbior intimo odio et corde concepta Indigentia libi-
do inexplebilis desiderium libido eius qui nondum adsit
videndi distinguitur etiam illud ut libido sit earum rerum
que dicuntur de quodam aut quibusdam quod dialecti-
ci appellant ut habere divicias capere honores indigentia
rerum ipsarum est ut honorum ut pecunie omnium autem perturbationum
fontem esse dicunt intemperantiam que est a tota mente ac
recta ratione defectio sic aversa a prescriptione rationis ut
nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant
Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones et efficit
ut hec recte rationi pareant conservatque considerata iudicia
mentis sic huic inimica intemperantia omnem animi sta-
tum inflammat conturbat incitat Itaque et egritudines et
metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea
Quemadmodum cum sanguis corruptus est aut pituita
redundat aut bilis in corpore morbi egrota-
tionesque nascuntur sic pravarum opinionum conturbatio et
ipsarum inter se repugnantia sanitate expoliat animum mor-
bisque perturbat Ex perturbationibus autem primum morbi
conficiuntur quae vocant illi ea que sunt eis morbis
contraria habet ad res certas vitiosas offensiones
hoc loco nimium operae consumitur a stoicis maxime
a crisippo dum morbis corporum comparatur morborum
autem similitudo que a re propinqua nunc veniat ea que

nature contra perturbationem. Intelligatur igitur perturbationem iacta-
tibus se opinionibus et constanter et turpide in motu
esse semper. Cum autem hic feruor concitatio animi invete-
rauit et tamquam in venis medullis que insederit tunc exis-
tit de morbis egrotatio offensiones ea que sunt eis
morbis egrotacionibus contrarie. Hec que dico cogi-
tatione inter se differunt, re quidem copulate sunt ea
que ostenduntur ex libidine et excellencia. Nam cum est
concupita pecunia nec adhibita continuo racio quasi quedam
consocratica medicina que sanaret eam cupiditatem
permanat in venas et heret in visceribus illud malum
existit qui morbus et egrotatio que avelli veterata
non possunt eique morbo nomen est avaricia. Similiter ceteri morbi
ut glorie cupiditas ut mulierositas ut ita appellem
que greci [gap] dicitur ceterique similiter morbi egro-
tationes nascuntur. Que autem hiis contraria sunt ea nasci
putantur a metu ut odium mulierum quale in misso ti-
attili est ut in hominum universum genus quod accepimus
de timone appellatur ut inhospitalitas que omnes
egrotaciones animi ex quodam metu nascuntur earum
rerum quas fugiunt et oderunt. Diffiniunt autem animi
egrotationem opinationem vehementem de re non expetenda
tamquam valde expetenda sit inherentem et penitus in-
sitam tamquam fugienda. Hec autem opinatio est iudicare
se scire quod nesciat. Egrotacioni quedam talia subiecta
sunt avaricia ambicio mulierositas pertinacia ligurri-
cio molencia cupedia et si que sunt similia. Est enim avaricia
opinatio vehemens de pecunia quasi valde expetenda sit
inherens et penitus insita similisque et eiusdem generis dif-
finicio reliquarum. Offensionum autem diffiniciones sunt eiusmo-
di ut hospitalitas sit opinio vehemens valde fugi-
endum esse hospitem et que inherens et penitus insita
similiterque diffinitur et mulierum odium ut ypolit et ut timo-
nis genere humani atque ut analecciudinis similitudine
veniat corporis collatione utamur aliquando. Sed pro-
cliues quidem solent stoici ut sint alii ad alios morbos
procliviores alii ad metum alii ad aliam perturbationem
ex quo in aliis anxietas unde anxii. In aliis iracundia
dicitur que ab ira differt estque aliud iracundum esse
aliud iratum ut differt anxietas ab angore neque
enim omnes anxii qui anguntur aliquando hec qui anxii

semper anguntur ut inter ebrietatem interest aliud quod est
amatorem esse aliud amantem atque hec aliorum ad ali-
os morbos per diuinitatem patet nam pertinet ad omnes
perturbaciones in multis eciam vicijs apparet sed nomen
res non habet ergo maliuoli et inuidi et timidi et
misericordes quia proclives ad eas perturbaciones non
quia semper feruntur hec igitur proclivitas ad suum quod-
que genus ad similitudinem corporis egrotacio dicitur dum
ea intelligitur ad egrotandum proclivitas sed hec in bonis
rebus que alij ad alia bona sunt aptiores facilitas
nominetur in malis proclivitas lapsionem neutris habeat
superius nomen quo autem in corpore est morbus est egro-
tacio et vicium sic in animo morbum appellant totius cor-
poris corrupcionem egrotacionem morbum cum imbecillitate
vicium tamen partes corporis inter se dissident ex quo
pravitas membrorum distorcio deformitas itaque illa
duo morbus et egrotacio ex totius valitudinis cor-
poris conquassacione et perturbacione gignuntur vicium autem
integra valitudine ipsum ex se cernitur sed tamen in animo
possumus in animo cogitacione morbum ab egrotacione
seiungere viciositas autem est habitus aut affectio
in tota vita inconstans et a se ipsa dissenciens ita
fit ut in altera constancia et repugnancia non enim
omne vicium partes habet dissencientes ut eorum qui non
longe a sapiencia absunt affectio est illa que dis-
crepans sibi ipsa dum est insipiens sed non distorta nec
prava morbi autem et egrotaciones partes sunt vicio-
sitatis sed perturbaciones sunt eiusdem partes questio ve-
ra vicia enim affecciones sunt manentes perturbaciones autem
moventes ut non possint affeccionum manencium partes
esse atque ut in malis attingit animi naturam corporis
similitudo sic in bonis sunt in corpore precipua
valitudo vires pulchritudo firmitas velocitas sic
et in animo ut enim corporis temperacio cum ea congruunt inter se
e quibus constamus sanitas sic animi dicitur cum eius
iudicia opinionesque concordant eaque animi virtus est quam alij
ipsam temperanciam dicunt esse alij obtemperantem temperancie pre-
ceptis et eam subsequentem nec habentem ullam speciem suam
sed sive hoc sive illud sit in solo esse sapiente est
autem quedam animi sanitas que in insipientem eciam
cadat cum curacione et perturbacione medicorum conturbacio

Mentis aufert et ut corporis est quedam apta figura
membrorum cum coloris quadam suavitate ea que dicitur
pulchritudo sic in animo opinionum iudiciorumque equalitas
et constancia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem
subsequens aut virtutis vim ipsam continens pulchritudo
vocatur Itidem eius viribus corporis et nervis efficacitati
similes similibusque verbis animi vires nominantur
Velocitas autem corporis celeritas appellatur que eadem
ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum
brevi tempore percursionem Id animorum corporumque dissimile
quod animi valentes morbo temptari non possunt Sed cor-
porum offensiones sine culpa accidere possunt animorum non
item quorum omnes morbi et perturbationes ex asperna-
tione rationis eveniunt Itaque in omnibus existunt
Nam bestie simile quiddam faciunt Sed in perturbationes
non incidunt Inter acutos autem et inter hebetes inter-
est quod ingeniosi ut aes corinthium in eruginem
sic illi in morbum et incidunt tarde et recreantur
ocius hebetes non ita Nec vero in omnem morbum
ac perturbationem animi ingeniosi cadit non enim multa
efferata et immania quedam autem humanitatis quoque
habent primam speciem ut misericordia egritudo me-
tus Egrotationes quoque morbique animorum difficilius
evelli posse putantur quam summa illa vicia que
virtutibus sunt contraria Morbis enim manentibus vicia sub-
lata esse non possunt quia non tam celeriter sanantur
quam illa tolluntur Habes ea que de perturbacionibus
enucleate disputant Stoici que logica appellant
quia disseruntur subtilius e quibus quoniam tamquam ex
scrupulosis cotibus enavigavit oratio reliquam disputationis
cursum teneamus modo satis illa dilucide dixerimus
pro rerum obscuritate Satis [illegible] si que erunt
diligencius requirenda queremus alias nunc ve-
la que modo deligavimus expediamus et cursum
Tullius ad alios locos de vite educimus et sepe di-
cendum est perturbacionem omnium quod ad verum mo-
res pertinet a virtutis fonte ducitur quoniam ipsa
virtus est affectio constans atque conveniens laudabiles
efficiens eos in quibus est et ipsa per se sua sponte
separata etiam utilitate laudabilis ex ea enim proficiscuntur
honeste voluntates sententie actiones omnisque recta ra-

quamquam ipsa virtus brevissime recta racio dici potest huius igitur
virtutis contraria est viciositas sic enim malo quam ma-
liciam appellare eam quam greci appellant
Nam malicia certi cuiusdam vicii nomen est viciositas
omnium ex qua concitantur perturbaciones que sunt ut pau-
lo ante diximus turbidi animorum concitatique motus ad-
versi racioni et inimicissimi mentis vitaeque tranquil-
le important enim egritudines anxias atque acerbas
animosque affligunt et debilitant metu idem inflammant
appeticione nimia quam tum cupiditatem tum libidinem
dicimus impotenciam quandam animi a temperancia et modera-
cione plurimum dissidentem que si quando adepta e-
rit id quod ei fuerit concupitum tum fertur alacritate ut
nichil ei constet quod agat ut ille qui voluptatem
animi nimiam summum esse errorem arbitratur Eorum igitur
malorum in una virtute posita sanacio est quid autem
est non miserius solum sed fedius et deformius
quam egritudine quis afflictus debilitatusque iacens
Cui miserie proximus est hic qui appropinquans
aliquod malum metuit exanimatusque pendet ani-
mi quam vim mali significantes poete impendere apud
inferos faciunt saxum tantalo ob scelera animique
impotenciam et superbiloquenciam ea communis pena
stulticie est omnibus enim quorum mens abhorret
a racione semper aliquis terror impendet
Atque ut hec tabifice mentis perturbaciones sunt egri-
tudinem dico et metum sic hilariores ille Cupi-
ditates avide semper aliquid expetens et inanis
alacritas id est leticia gestiens non multum differt ab
amencia ex quo intelligitur qualis sit ille quem
tum moderatum alias modestum tum temperantem alias con-
stantem continentemque dicimus non numquam hec eadem voca-
bula ad frugalitatis nomen tamquam ad caput referre volumus
quod nisi eo nomine virtutes continerentur numquam ita pervul-
gatum esset ut iam proverbii locum obtineret ho-
minem frugi omnia recte facere quod idem cum stoici de
sapiente dicunt nimis admirabiliter nimisque magni-
fice dicere videntur Ergo hic quisquis est qui moderacio-
ne et constancia quietus animo est sibique ipse placatus
ut nec tabescat molestiis nec frangatur timore nec
sitienter quid expetens ardeat desiderio nec alacritate futili

gesserent acquiescat. Hic est sapiens quem querimus, hic est
beatus cui nihil humanarum rerum aut intollerabile ad demitten-
dum animum aut nimis letabile ad efferendum potest videri. Quid
enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui et-
ternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam
quid aut in studiis humanis aut vite exigua brevitate
vite magnum sapienti videri potest qui semper animo sic excu-
bat ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum,
nihil omnino novum. Atque idem ita in omnes partes aciem inten-
dit ut semper videat sibi sedem et locum sine molestia atque
angore vivendi, ut quemcumque casum fortuna invexerit
hunc apte et quiete ferat. Quod qui faciet non egritudine
solum vacabit sed etiam perturbationibus reliquis omni-
bus. His autem vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit.
Idemque concitatus et abstractus ab integra certaque ratione
non constantiam solum amittit verum etiam sanitatem. Quocirca
et mollis et enervata putanda est peripatheticorum
ratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse, sed adhibent mo-
dum quendam quem ultra progredi non oporteat. Modum
tu adhibes vicio? An vicium nullum est non parere rationi?
An ratio parum precipit nec bonum id esse quod aut cupias
ardenter aut adeptus te efferas insolenter, nec porro
malum quo aut oppressus iaceas aut ne opprimare men-
te vix constes, et que eadem aut nimis tristia aut
nimis leta errore fieri? Qui si error stultis extenuetur
die, ut cum res eadem maneat aliter recentia, sapi-
entis quidem ne attingat omnino. Et quis erit
tandem modus iste? Queramus modum egritudinis,
in qua opere plurimum ponitur. Egre tulisse P. Rutilium
fratris repulsam consulatus scriptum apud Fan-
nium est; sed tamen transisse videtur modum, quippe
qui ob eam causam a vita recessit; moderatius igitur
ferre debuit. Quid si, cum id ferret modice, mors
liberorum accessisset? Nata esset egritudo nova, sed ea
modica. Magna tamen facta esset accessio. Quid si
deinde dolores graves corporis, si bonorum amissio, si ce-
citas, si exilium? Si pro singulis malis egritudines accederent,
summa ea fieret que non sustineretur. Qui modum igitur vicio
querit, similiter facit ut si posse putet eum qui se e Leu-
cata precipitaverit sustinere se cum velit. Ut enim is non
potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest nec

quo loco vult insistere omnino quecumque crescentia perniciosa sunt
eadem sunt vitiosa nascentia. Egritudo autem ceteraeque pertur-
bationes amplificate certe pestifere sunt. Igitur etiam su-
scepte continuo in magna pestis parte versantur. Etenim
ipse se impellunt ubi semel a ratione discessum est ipsa-
que sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur im-
prudens nec reperit locum subsistendi. Quam ob rem nihil
interest utrum perturbationes moderatas approbet an mo-
deratam iniusticiam moderatam ignaviam moderatam
intemperanciam. Qui enim vitiis modum apponet is suscipit
partem vitiorum. Quod cum ipsum per se odiosum est tum
eo molestius quia sunt in lubrico incitataque semel
proclive labuntur sustinerique nullo modo possunt. Quid
idem peripatetici perturbationes istas quas nos extir-
pandas putamus non modo naturales esse dicunt
Sed etiam utiliter a natura datas quorum est talis oratio
Primum multis verbis iracundiam laudant cotem fortitudinis
esse dicunt multoque et in hoste et in improbum civem vehe-
mentiores iratorum impetus esse levis autem ratiun-
culas eorum qui ita cogitarent proelium rectum est hoc
fieri convenit dimicare pro legibus et libertate pro patria
hec nullam habent vim nisi ira excanduit fortitudo
Nec vero de bellatoribus solum disputant imperia se-
veriora nulla esse putant sine aliqua acerbitate ira-
cundie oratorem denique non modo accusantem sed ne
defendentem quidem probant sine aculeis iracundie que
etiam si non adsit tamen verbis atque motu simulandam
arbitrantur ut auditoris iram oratoris incendat a-
ctio virum denique videri negant qui irasci nesciat
eamque quam nos lenitatem dicimus vitiose lentitu-
dinis nomine appellant. Nec vero solum hanc libidinem
laudant. Est enim ira ut modo diffinivi ulciscendi
libido. Sed ipsum illud genus vel libidinis vel cu-
piditatis ad summam utilitatem esse a natura datum. Nihil
est enim quemquam nisi quod lubeat preclare facere posse noctu
ambulabat in publicum themistocles quod somnum cape-
re non posset querentibusque respondebat Miltiadis tro-
pheis se e somno suscitari. Cui non sit audite
demostenis vigilie qui dolere se aiebat si quando
opificum antelucana victus esset industria et
philosophie denique principes numquam in studiis tantos

progressus sine flagranti cupiditate facere potuisset Ulti-
mas terras lustrasse pitagoram democritum platonem ac-
cepimus ubi enim quicquid esset quod disci posset eo veniendum
iudicaverunt Num putamus hec fieri sine summo cupi-
ditatis ardore potuisse Ipsam egritudinem quam nos ut
tetram et immanem beluam fugiendam diximus non sine
magna utilitate dicunt a natura constitutam ut homines castiga-
cionibus reprehensionibus ignominiis affici se in
delicto dolerent Impunitas enim peccatorum data videtur
eis qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore
morderi est melius consciencia Ex quo est illud e vita ductum
ab afranio Nam cum dissolutus filius heu me mi-
serum tunc severus pater dummodo doleat aliquid
doleat quidlibet Reliquas quoque partes egritudinis utiles
esse dicunt misericordiam ad opem ferendam et calami-
tates hominum indignorum sublevandas ipsum illud emu-
lari obtrectare non esse inutile cum aut se non vi-
deat consecutum quod alium aut alium idem quod se Metum
vero si quis sustulisset omnem vite diligenciam sublatam
fore que summa esset in hiis qui leges qui magistratus qui
paupertatem qui ignominiam qui mortem qui dolorem
timerent Hec tamen ita disputant ut resecanda
esse fateantur non evelli penitus dicant nec posse
nec opus esse et in omnibus fere rebus mediocritatem
esse optimam existiment quod cum exponunt nichil ne tibi
videntur an aliquid dicere Michi vero dicere aliquid
Itaque expecto quid ad ista reperiam fortasse Sed illud
ante vides ne quanta fuerit apud achademicos vere-
cundia plane enim dicunt quid ad rem pertineat peripa-
teticis respondetur a stoicis digladientur illi per me licet
cui michi nichil est necesse nisi quod verisimil-
limum videatur anquirere Quid est igitur quod occurrat
in hac questione quo possit attingi aliquid verisimile
quo longius mens humana progredi non possit Dif-
finicio perturbacionis qua recte zenonem usum pu-
to Ita enim diffinit ut perturbacio sit aversa a racione
contra naturam animi commocio vel brevius ut perturbacio sit
appetitus vehemencior autem intelligatur is qui procul
absit a nature constancia Quid ad has diffiniciones
possim dicere Atque hec pleraque sunt prudenter acuteque
disserentium illa quidem ex rethorum pompa ardores

animorum coercere virtutem an vero ut fortis in stoma-
chari cepit non potest fortis esse gladiatorem id quod [illegible]
quamquam in eis ipsis eandem saepe constantiam colloquuntur
congrediuntur quaerunt aliquid postulant ut magis
placati quam irati esse videantur. Sed in illo sit sane
Aliquis hoc animo ut narrat Lucilius occidam
illum equidem et vincam si id quaeritis inquit verum
illud credo fore in os prius accipiam ipse quam gladium
in stomacho furia ac pulmonibus odi hominem iratus pu-
gno nec longius quicquam nobis quam dextrae gladi-
um dum accommodet alter usque adeo studio atque odio
illius efferor ira. Hac sine hac gladiatoria iracun-
dia videmus progredientem apud Homerum Aiacem multa
cum hilaritate sociis terrorem autem hostibus
ut ipsum legione quemadmodum est apud Homerum
toto pectore trementem provocasse ad pugnam
peniteret atque hi collocuti inter se priusquam manum
consererent leniter et quiete nihil ne in ipsa pu-
gna quidem iracunde rabiose fecerunt. Ego ne
Torquatum illum quidem qui hoc cognomen invenit
iratum existimo Gallo torquem detraxisse nec Mar-
cellum apud Clastidium ideo fortem fuisse quia fu-
erit iratus. De Affricano quidem quia notior est
nobis propter recentem memoriam vel iurare possum non
illum iracundia tum inflammatum fuisse cum in acie ali-
enum pro legione scuto protexerit gladiumque hosti
impetus infixerit. De L. Bruto dubitarem an propter
infinitum odium tyranni effrenatius in Arruntem inva-
serit video enim utrumque quo minus ictu cecidisse
contrario. Quid igitur huc adhibetis iram an fortitudo
nisi insanire cepit impetus suos non habet. Quid
Herculem quem in caelum ista ipsa quam vos ira-
cundiam esse vultis sustulit fortitudo iratumne ce-
nses conflixisse cum Erymanthio apro aut leone
Nemeo. An etiam Theseus Marathonii tauri
cornua comprehendit iratus. Vide ne fortitudo
minime rabiosa sit et iracundia tota levitatis
neque enim ulla fortitudo quae rationis est expers
contemnende res humane sunt neglegenda mors est
patibiles et dolores et labores putandi. Haec cum
constituta sunt iudicio atque sententia tum est robusta

illa et stabilis fortitudo nisi fortasse vehementer iratus ac
so fuit iracundie ferre supplicium. Mihi ne quidem Scipio
ille pontifex maximus qui hoc Stoicorum verum esse decla
ravit numquam privatum esse sapientem iratus fuisse videtur Ty
berio Graccho tum cum consulem languentem reliquit
atque ita privatus ut si consul esset qui rem publicam salvam vellet
esse se sequi iussit. Nescio inquit ipsi nos in re publica fortiter
fecerimus si quid fecimus certe irati non fecimus. An est quicquam
similius insania quam ira quam bene Ennius initium dixit insanie
color vox oculi spiritus impotentia dictorum ac factorum
quam partem habet sanitatis. Quid Achille Homerico foedius
quid Agamemnone in iurgio. Nam Aiacem quidem ira ad
furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat forti
tudo advocatam iracundiam satis est instructa parata armata
per se. Nam isto modo quidem licet dicere utilem vinolentiam ad for
titudinem utilem etiam dementiam quod et insani et ebrii multa fa
ciunt sepe vehementius. Semper Aiax fortissimus tamen in furore
nam facinus fecit maximum cum Danais inclinantibus summam rem
perfecit magis plus restituit insaniens. Dicamus igitur utilem insa
niam. Tracta diffinitiones fortitudinis intelliges eam stoma
cho non egere. Fortitudo est igitur affectio animi legi summe in perpetien
tis rebus obtemperans vel conservatio stabilis iudicii in eis
rebus que formidolose videntur subeundis et repellen
dis vel scientia rerum formidolosarum contrariarum aut omnino rerum
negligendarum conservans earum rerum stabile iudicium vel
brevius ut Chrisippus nam superiores diffinitiones erant Sphe
ri hominis in primis bene diffinientis ut putant Stoici sunt enim
omnino fere omnes similes sed declarant communes notiones alia
magis alia. Quomodo igitur Chrisippus. Fortitudo est inquit scientia rerum
perferendarum vel affectio animi in patiendo ac perferen
do summe legi parens sine timore. Quamvis licet istos insecte
mur ut Carneades solebat metuo ne soli philosophi sint. Que
enim istarum diffinitionum non aperit notionem nostram quam
habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam qua
aperta quis est qui aut bellatori aut imperatori aut oratori querat
aliquid neque eos existimet sine rabie quicquam fortiter facere
posse. Quid Stoici qui omnes insipientes insanos esse dicunt
nonne ista colligunt. Remove perturbationes maxime iracun
diam iam videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt
sic se dicere omnes stultos insanire ut male olere omne cenum et
semper commove senties sic iracundus non semper iratus. Lacesse iam

videbis furentem quid ista bellatrix iracundia cum domum
redyt qualis est cum uxore cum liberis cum familia an
tum quoque est utilis Est igitur aliquid quod conturbata mens
melius possit facere quam constans an quisquam potest sine
perturbacione mentis irasci Unde igitur nostri cum omnia
essent in morbis vicia quod nullum erat iracundia fedius ira-
cundos solos morosos nominaverunt oratorem irasci mi-
nime decet simulare non dedecet An tibi irasci tum vi-
demur cum quid in causis acrius et vehemencius dicimus
Quid cum iam rebus transactis de preteritis oraciones scribimus
num irati scribimus et quis hoc animadvertit Vincite num
aut egisse umquam iratum Esopum aut scripsisse existimas
iratum Accium et aguntur ista preclare et ab oratore quidem
melius si modo est orator quam ab ullo histrione sed agun-
tur leniter et mente tranquilla libidinem vero laudare cuius
libidinis Themistoclem michi et demostenem pro-
fertis additis Pitagoram Democritum Plathonem Quid
vos studia libidinem vocatis que velut optimarum rerum ut ea
sunt que profertis sedata tamen et tranquilla esse debent
Iam egritudinem laudare unam rem maxime detes-
tabilem quorum est tandem philosophorum at commode dix-
it Affranius dummodo doleat aliquid doleat quod libet dix-
it enim de adolescente perdito ac dissoluto nos autem
de constanti viro ac sapienti querimus et quidem illam ipsam
iram centurio habeat aut signifer vel ceteri de quibus di-
ci non est necesse ne rethorum aperiamus misteria Uti-
le est enim uti motu animi qui uti racione non potest nos
ut testificor sepe de sapiente querimus At etiam e-
mulari utile est obtrectare misereri Cur misereare potius
quam feras opem si id facere possis an sine misericordia li-
berales esse non possumus non enim suscipere ipsi egritudi-
nes propter alios debemus sed alios si possumus levare
egritudine obtrectare vero alterius aut illa viciosa emula-
cione que rivalitati simile est emulari quid habet utilita-
tis cum sit emulanti angi alieno bono quod ipse
non habeat obtrectantis autem angi alieno bono quod id
etiam alius habeat Quis ita approbare possit egritudinem
suscipere pro experiencia si quid habere velis nam solum ha-
bere velle summa dementia est Mediocritatem autem ma-
lorum quis recte laudare possit quis enim potest in quo li-
bido cupiditas ut sit non libidinosus et cupidus esse

In quo ira non iracundus In quo angor anxius
in quo timor non timidus libidinosus et cupidum
et anxium et timidum censemus esse sapientem de
cuius excellencia multa quidem dici sunt licet et possit
sed brevissime illo modo sapientem esse rerum humanarum et di
vinarum cognitionem cognoscere quae cuiusque rei causa sit ex quo efficitur ut di
vina imitetur humana omnia inferiora ducat in hanc
igitur tu tamquam in mare quod est ventis subiectum perturbationes
tibi esse dixisse videri Quid est quod tanta gravitate
constantiam perturbet an improvisum aliquid aut repentinum
quid potest accidere tale etiam nihil quod homini
evenire posse Itaque quod aiunt nimia resecari
oportere naturalia relinqui quid tandem possit naturale
esse idem nimium esse possit Sunt enim omnia ista ex
errore orta radicibus quae est evellenda et extrahenda
penitus non circumcidenda nec amputanda Sed suspicor
te non tam de sapiente quam de te ipso quaerere In
eo putes omnia perturbatione esse liberum videamus quanta
sint quae philosophia remedia morbis animorum adhibeat
Est enim quaedam medicina certe nec tam fuit hominum generi
infensa atque inimica natura ut corporibus tot res sa
lutares animis nullam invenerit de quibus hoc etiam est
merita melius quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus
animorum salus inclusa in his ipsis est sed quo
magis est perstancior maiestas et divinior eo maiore indi
gent diligentia Itaque bene adhibita ratio cernit quid optimum
sit neglecta multis implicatur erroribus Ad te igitur
convertenda omnis oratio est Simulas enim quaerere de sapiente
quaeris autem fortasse de te Earum igitur perturbationum
quas exposui variae sunt curationes Nam neque
omnis aegritudo una ratione sedatur alia est enim lugenti alia mi
seranti aut invidenti adhibenda medicina. In
omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio utrum
ad universam perturbationem quae est aspernatio rationis
aut appetitus vehementior an ad singulas ut ad
metum libidinem reliquas et melius adhibeatur
oratio et utrum illud nec non videatur aegre ferendum
ex quo suscepta sit aegritudo an omnium rerum tollenda
omnino aegritudo ut si quis aegre ferat se pauperem esse
id ne disputes paupertate malum non esse an hominem
aegre ferre nihil oportere Nimirum hoc melius insi

forte de paupertate non persuaseris sit egritudini concedendum
egritudine autem sublata propriis rationibus quibus heri
usi sumus quodam modo paupertatis malum tollitur. Illa quidem
cum doceas nec bonum id esse ex quo leticia aut libido
oriatur nec malum ex quo aut metus aut egritudo verum
hec est certa et ita sanatio si doceas ipsas perturbationes
per se esse viciosas nec quicquam habere aut naturale aut necessarium
ut ipsam egritudinem leniri videamus cum obicimus meren-
tibus imbecillitatem animi effeminati cumque eorum gra-
vitatem constanciamque laudamus qui non turbulente
humana patiuntur quod quidem solet eis etiam accidere qui illa
mala esse censent ferenda tamen equo animo arbitrantur
putat esse aliquis voluptatem bonum alius autem pecu-
niam tamen et ille ab intemperancia et hic ab avaricia avo-
cari potest. Illa autem altera ratio et oratio que simul et opi-
nionem falsam tollit et egritudinem detrahit est ea quidem utili-
or sed raro proficit nec est ad vulgus philosophi adhi-
benda. Quedam autem sunt egritudines quas illa me-
dicina levare nullo modo possit ut si quis egre ferat nihil in
se esse virtutis nihil animi nihil officii nihil honesta-
tis propter mala is quidem angatur sed alia quedam sit ad
eum admovenda curatio et talis quidem que possit esse
omnium etiam de ceteris rebus discrepantium philoso-
phorum. Inter omnes enim convenire oportet commociones
animi a recta ratione aversas esse viciosas ut etiam
si mala non sint illa que egritudinem metumve vel non
bona ut cupiditatem leticiam commoveant tamen sit viciosa
ipsa commocio. Constantem enim quendam volumus sedatum
gravem humana omnia prementem illum esse quem mag-
nanimum et virum fortem esse dicimus. Talis autem
merens nec timens nec cupiens nec gestiens esse
potest. Quare omnium philosophorum ut ante dixi una
ratio est medendi ut nihil quale sit id quod perturbat
animum sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in
ipsa cupiditate cum id solum agitur ut ea tollatur
non querendo bonum illud necne sit quod libidinem mo-
veat sed libido ipsa tollenda ut sive quod honestum est
sive voluptas sive horumque sit coniunctum sive tria
genera bonorum tamen etiam si virtutis ipsius vehemencior
appetitus sit eadem sit omnibus ad deterrendum adhiben-
da oratio. Continet autem omnem sedacionem animi humanam

In conspectu posita racio que quo facilius se ipsa de
ternas explicanda est oracio communis condicio lege
vite Itaque non sine causa cum Horestem fabulam
diceret euripides primos tres versus revocasse dicitur
Socrates Nec tam terribilis ulla fandi racio nec sors
nec ira celi tum invectum malum quod non natura humana
paciendo efferat est autem utilis ad persuadendum ea
que acciderit ferri et posse et oportere enumeracio
eorum qui tulerunt et si egritudinis sedacio et externa
disputacione explicata est et consolacionis libro quem
in medio non sapientes eramus merore et dolore
conscripsimus quod et vetat crisippus ad recentes quasi
tumores animorum remedium adhibere id nos fecimusque na-
ture vim attulimus et magnitudini medicine magnitudo
doloris concederet Sed egritudini de qua satis est dis-
putatum finitimus est metus de quo pauca dicenda
sunt Est enim metus ut egritudo presentis sic ille futuri et
mali Itaque non nulli egritudinis partem quandam
metum esse dicebant Alii autem metum pre molestia ap-
pellabant quod est quasi dux consequentis molestie Quibus
igitur instancia feruntur eisdem contempnuntur sequencia
Nam videndum est in utrisque ne quid humile sub-
missum molle effeminatum fractum abiectumque faciamus
Sed quamquam de ipsius metus inconstancia inbecillitate
levitate dicendum est tamen multum prodest ea que
metuuntur ipsa contempnere Itaque sine consilio quo commode
factum est quod eis de rebus que maxime metuuntur
de morte et de dolore primo et proximo die dis-
putatum est Que si probata sunt metu magna
ex parte liberati sumus hac de malorum opinione
hactenus videamus nunc de bonorum de leticia et
cupiditate Mihi quidem in tota racione ea que pertinet
ad animi perturbacionem una res videtur causam continere
omnes eas esse in nostra potestate omnes iudicio susceptas
omnes voluntarias Hic igitur error est eripiendus
hec detrahenda opinio atque ut in malis opinatis tol-
lerabilia sic in bonis sedaciora sunt efficienda ea
que magna et letabilia ducuntur Atque hoc quidem commune
bonorum et malorum ut si iam difficile sit persuadere
nihil earum rerum que perturbent animum aut in bonis
aut in malis esse habendum tamen alia ad alium motum

cura est adhibenda aliaque ratione malivolos alia
amatores alia rursus anxios alia timidos corrigere
atque erat facile sequentem eam rationem que maxime
probatur de bonis et malis negare umquam letitia affi-
ci posse insipientem quod nihil umquam haberet boni. Sed
loquimur nunc more communi sint sane ista bona que
putantur honores divitie voluptates cetera tamen in eis
ipsis potiunda exultans gestiens que letitia turpis est
ut si ridere concessum sit vituperetur tamen cachinnatio eodem
tamen vicio est effusio animi in letitia quo in dolore
contractio eademque levitate cupiditas est in appetendo
qua letitia in fruendo ut nimis afflictio molestia
sic animi elata letitia iure dicitur levitas et
Et cum invidere egritudinis sit malis autem alienis
voluptatem capere letitie utrumque in immanitate et feritate
quadam proponenda castigari solet atque ut confidere
decet timere non decet quoniam docendi causa a gau-
dio letitiam distinguimus. Illud iam supra diximus con-
tractationem animi recte fieri numquam posse elationem. Aliter enim ne-
vianus ille hector gaudet letus sum laudari me abs te
pater a laudato viro aliter trabea lena delinita ar-
gento nutum observabit meum quid velim quid studeam
adveniens digito impellam fores patebunt de im-
proviso crisis ubi aspexit alacris obviam mihi se dedet
quam hec pulchra putet ipse iam dicat fortunam ipsam
ante ibo fortunis meis. Hec letitia quam turpis
sit satis est diligenter attendentem penitus videre
et ut turpes sunt qui efferunt se letitia cum fruuntur
veneris voluptatibus sic flagitiosi qui eas inflamma-
to concupiscunt. Totus vero iste qui vulgus vocatur
amor nec hercule invenio quo nomine alio possit
appellari tante levitatis est ut nihil videam quod putem
conferendum. Quem cecilius deum qui non summum
putet aut stultum aut rerum imperitum existimat
cui in manu sit quem esse dementem velit quem
sapere. Quem in sanare quem in morbum inici quem
non amari quem expeti quem arcessi o preclaram
emendatricem vite Poeticam que amorem fla-
gitii et levitatis auctorem in celo deorum collo-
candum putet de comedia loquor que si hec
flagitia non probaremus nulla esset omnino quod ex

tragedia princeps ille argo nautarum tu ne amoris magis
quam honoris servavisti gratia Quid ergo huius medee quanta
miseriarum excitavit incendia atque ea tamen apud a-
lium poetam patri dicere audet se coniugem habuisse illum
Amor quem dederat qui plus pollet potiorque est patre
Sed poetas ludere sinamus quorum fabulis in hoc
flagitio versari ipsum videmus iovem ad magistros virtutis
philosophos veniamus qui amorem negant stupri esse
et in eo litigant cum epicuro non multum ut opinio
mea fert mentiente Quis est enim iste amor amicitie
Cur neque deformem adolescentem quisquam amat
neque formosam senem Mihi quidem in grecorum gym-
nasiis nata consuetudo videtur In quibus isti liberi
et concessi sunt amores bene ergo ennius flagitii prin-
cipium est nudare inter cives corpora qui ut sint
quod fieri posse video pudici et solliciti tamen et
anxii sunt eoque magis quod se ipsi continent et coercent
Atque ut muliebres amores omittam quibus maio-
rem licentiam natura concessit quis aut de ganime-
dis raptu dubitet quid poete velint aut non
intelligit quid apud euripidem eloquatur et cu-
piat laius quid denique homines doctissimi et summi
poete de se ipsis et carminibus edant et cantibus
fortis vir in sua re publica cognitus que de iuvenum
amore scribit alceus Nam anacreontis quidem
tota poesis est amatoria maxime vero omnium
flagrasse amore reginum ibicum apparet ex scrip-
tis horum omnium libidinosos esse amores videmus
philosophi sumus exorti et auctore quidem nostro platone
quem non iniuria dicearchus accusat qui amori auc-
toritatem tribueremus Stoici vero et sapientem amatorem
esse dicunt et amorem ipsum conatum amicitie fa-
ciende ex pulchritudinis specie definiunt qui si quis
est in rerum natura sine sollicitudine sine desiderio
sine cura sine suspirio sit sane vacat enim omni li-
bidine hec autem est sin autem est aliquis amor ut est certe qui nil
absit aut non multum ab insania qualis in leucadia
est si quidem sit quisque deus cui ego sim cure ad
id erat deis omnibus curandum quemadmodum
hic frueretur voluptate amatoria Heu me infelicem
nihil verius probe et ille sanusne es qui temere

lamentatur sic insanum videtur esse eam et sicut ad quam
tragedias efficit et appello phenice fer opem. Iteque ci-
potentis neptune invoco vosque adeo venti invidia tom
se ad amorem suum sublevandum conversum putat ve-
nerem unam exantit ut iniqua. Illam quid ego et
appellam venus cum plibidine negat curare quamquam
quod vero ipse non propter libidinem tanta flagitia et faciat
et dicat. Sic igitur affectus hec adhibenda curatio est
ut et illud quod cupiat ostendat quam leve quam contempnendum
sit omnino quam facile vel aliunde vel alio modo perfici ut omnino
negligi possit abducendum est etiam non numquam ad alia
studia sollicitudines curas negotia loci denique muta-
tione tamquam egroti non convalescentes sepe curandus
est etiam quidam novo amore veterem tamquam clavo cla-
vum eiciendum putant maxime autem admonendus quantus
sit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbati-
onibus est profecto nulla vehementior ut si iam illa
ipsa accusare nolis stupra dico et corruptelas et
adulteria incesta denique quorum omnium accusabilis est tur-
pitudo sed hec ut omittam perturbatio ipsa mentis in a-
more feda per se est. Nam illa ut preteream que sunt fu-
roris hec ipsa per se que habent levitatem que
videntur esse mediocria. Iniurie suspectiones
inimicicie indutie bellum pax rursum incerta hec
si tu postules ratione certa facere nihilo plus agas quam
si des operam ut cum ratione insanias hec incon-
stantia mutabilitasque mentis quem non ipsa pravitate
deterreat. Est enim illud quod in omni perturbatione demon-
strandum dicitur nullam esse nisi opinabilem nisi suscep-
tam nisi voluntariam etenim si naturalis amor es-
set et amarent omnes et amarent semper amaret et
idem amarent neque alium pudor alium cogitatio alium
sacietas deterreret. Ira vero que quam diu perturbat
animum dubitationem insanie non habet cuius in pulsu exi-
git etiam inter fratres tale iurgium quis homo te ex-
uperavit usquam gentium imprudentia quis aut
malicia res nosti que sequuntur alternis enim ver-
sibus intorquentur inter fratres gravissime contume-
lie ut facile pareat atrei filios esse eius qui
meditator in fratre penam novam. Maior mihi
moles magis miscendum malum qui illius acerbum

tot continuata et comprensa quo igitur hec erumpit moles
audi thiestem ipsum hortantem me ut meos mala nisi
mandarem natos eorum visceribus apponit Illud est enim
non tragedias eodem ira quo fieret Iratos enim
proprie dicimus exisse de potestate id est de consilio de racione
de mente horum enim potestas in totum animum esse debet hiis
aut subtrahendi sunt ei in quos impetum conantur
facere dum se ipsi colligant Illud est autem se ipsum
colligere nisi dissipatas animi partes rursum in suum
locum cogere aut orandi rogandi quod sit ut si quam
habeant ulciscendi vim differant in tempus aliud dum
defervescat ira defervescere autem certe significat ardo-
rem animi invita racione excitatum ex quo illud
laudatur archite qui cum villico factus esset iratior
quo te inquit modo accepissem nisi iratus essem
ubi sunt ergo isti qui iracundiam utilem esse dicunt
potest utilis esse insania aut naturalem hanc quamquam
esse secundum naturam quod fit repugnante racione Quo autem
si naturalis esset ira aut alius alio magis iracundus
esset aut finem haberet prius quam esset ulta ulciscendi
libido aut quemquam peniteret quod fecisset per iram ut ale-
xandrum regem videmus qui cum interemisset clitum
familiarem suum vix a se manus abstinuit tanta
vis fuit penitendi quibus cognitis quis est qui
dubitet quin hic quoque motus animi sit totus opina-
bilis ac voluntarius quis enim dubitarit quin egrota-
ciones animi qualis est avaricia glorie cupiditas ex
eo quod magni extimetur ex qua animus egrotat ori-
antur Unde intelligi perturbationem quoque omnem esse in o-
pinione et si fidencia et firma animi confisio sciencia quedam
est et opinio gravis non temere assencientis me-
tus quoque est diffidencia expectati et impendentis
mali et si spes est expectacio boni mali expecta-
cionem necesse est esse malum ut igitur metus sic reliquas
perturbaciones sunt in malo ut constancia sciencie
sic perturbacio erroris est qui autem natura dicuntur
iracundi aut misericordes aut invidi aut tale
Illud enim sunt constituti quasi mala valitudine animi
sanabiles est tamen ut socrates dicit multa in conventu
vicia collegisset in eum zopirus qui se naturam
cuiusque ex forma perspicere profitebatur derisus est a ce-

ceteris qui illa in Socrate vitia non agnoscerent ab ipso
autem Socrate sublevatus cum illi sibi signa sed ratio-
ne a se deiecta diceret. Ergo ut optima quisque vale-
tudine affectus potest videri ut natura ad aliquem mor-
bum productior sit aliquis alius ad alia vitia propensior.
Eorum autem non natura sed ad pravi vitiosi esse dicuntur eorum
vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum
et malarum et sic aliquis ad alios motus perturbationes-
que productior. Inveteratio autem ut in corporibus egri-
us depellitur quam perturbatio citiusque repentinus ocu-
lorum tumor sanatur quam diuturna lippido depellitur.
Sed cognita iam causa perturbationum que omnes oriuntur ex
iudiciis opinionum et voluntatibus sit iam huius dispu-
tationis modus. Scire autem nos oportet cognitis quo-
ad sunt ab homine cognosci bonorum et malorum finibus
nihil a philosophia posse aut maius aut utilius optari
quam hec que a nobis hoc quadriduo disputata sunt.
Morte enim contempta et dolore ad patiendum levato
sedationem egritudinis qua nullum homini malum ma-
ius est. Et si enim omnis animi perturbatio gravis est nec multum dif-
fert ab amentia tamen ceteros cum sunt in aliqua perturbatione
aut metus aut letitie aut cupiditatis commotos modo
et perturbatos dicere solemus ad eos qui se egritudini dedi-
derunt miseros afflictos erumnosos calamitosos. Ita-
que non fortuitu factum videtur sed a te ratione propositum
ut separatim de egritudine et de ceteris perturbationibus dis-
putaremus. In ea enim est fons miseriarum et caput.
Sed egritudinis et reliquorum animi morborum una sanatio est omnia
opinabilia esse et voluntaria eaque re suscipi quia recte
esse videatur. Hunc errorem quasi radicem omnium malo-
rum stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. Demus igitur
nos huic excolendos patiamurque nos sanari. His enim
malis insidentibus non modo beati sed ne sani quidem
esse possumus. Aut igitur negemus quicquam ratione confici cum
contra nihil sine ratione recte fieri possit aut cum
philosophia ex rationum collatione constet ab ea
si boni et beati volumus esse omnia adiumenta et auxilia
petamus bene beateque vivendo

Hic dies Brute finem faciet tusculanarum di-
sputacionum quo die est a nobis ea de
re quam de omnibus maxime probas disspu-
tandum. placere enim tibi admodum sensi et
ex eo libro quem ad me accuratissime scrip-
sisti et ex multis sermonibus tuis virtutem ad
beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod si difficile
est propter varia et multa tormenta fortune tale tamen est
ut elaborandum sit quo facilius probetur. Nichil enim om-
nium que in philosophia tractantur quod gravius magnificentiusque eloquatur
Nam cum ea causa impulerit eos qui primi se ad philosophie stu-
dium contulerunt ut omnibus rebus posthabitis totos
se in optimo vite instituto exquirendo collocarent
profecto spe beate vivendi tantam in eo studio cu-
ram operamque posuerunt. Quod si ab his inventa et perfecta
virtus est et si presidii ad beate vivendum in virtute satis est
quis est qui non preclare ab illis positam et a nobis susce-
ptam operam philosophandi arbitretur. Sin autem virtus subie-
cta sub varios incertosque casus famula fortune est nec
tantarum virium est ut se ipsam tueatur vereor ne non
tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem bene vivendi
quam vota facienda videantur. Equidem eos casus in
quibus me fortuna vehementer exercuit mecum ipse con-
siderans huic incipio sentencie diffidere interdum et huma-
ni generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor
enim ne natura cum corpora nobis infirma dedisset hisque et
morbos insanabiles et dolores intollerabiles adiunxis-
set animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes et
separatim suis molestiis et doloribus implicatos. Sed
in hoc me ipse castigo quod ex aliorum et nostra fortas-
se mollicia non ex ipsa virtute de virtutis robore existimo.
Illa enim si modo est ulla virtus quam dubitacionem avunculus
tuus Brute sustulit omnia que cadere in hominem
possunt subter se habet eaque despiciens casus et
contempnit humanos culpaque omni carens preter se ipsam
nichil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa
cum venientia metu augentes cum merore pre-
sentia rerum naturam quam errorem nostrum damnare
malumus. Sed et huius culpe ceterorum vitiorum pec-
catorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correc-
cio est cuius in sinum cum a primis temporibus etatis nostra

Voluntas studiumque compulit his gravissimis casibus in
eundem portum ex quo eramus egressi magna ia-
ctati tempestate confugimus. O vite philosophia dux
o virtutis indagatrix expultrixque viciorum quid non
modo nos sed omnino vita hominum sine te esse potuisset. Tu
urbes peperisti tu dissipatos homines in societatem vite
convocasti. Tu eos inter se primo domiciliis deinde
coniugiis tum litterarum et vocum communione iunxisti. Tu in-
ventrix legum tu magistra morum et discipline fu-
isti. Ad te confugimus a te opem petimus tibi nos
ut antea magna ex parte sic nunc penitus totosque
tradimus. Est autem unus dies bene et ex preceptis
tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.
Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis que
et vite tranquillitatem largita nobis es et terrorem mortis
sustulisti. Philosophia quidem tantum abest ut proinde ac
de hominum vita est merita laudetur ut a plerisque negle-
cta a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam
vite parentem et hoc parricidio se inquinare au-
det et tam impie ingratus esse ut eam accuset
quam vereri deberet etiam si minus percipere potuisset.
Sed ut opinor hic error et hec indoctorum animis
offusa caligo est quod tam longe retro respicere non pos-
sunt nec eos a quibus vita hominum instructa primis sit fu-
isse philosophos arbitrantur. Quam rem antiquissimam cum videamus
nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam qui-
dem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam
verum etiam nomine. Que divinarum humanarumque rerum
tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherri-
mum nomen apud antiquos assequebatur. Itaque et illos septem
philosophos qui a grecis zophoi sapientes et a nostris
habebantur et nominabantur et multis ante seculis Lygur-
gum cuius temporibus Homerum fuisse et ante hanc urbem
conditam traditur etiam heroicis etatibus Ulixem
et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes
nec vero Atlas sustinere celum nec Prometheus affixus
Caucaso nec stellatus Cepheus cum uxore genero filia
traderetur nisi celestium divina cognitio nomen eorum
ad errorem fabule traduxisset. A quibus ducti deinceps
omnes qui in rerum contemplatione studia ponebant sa-
pientes et habebantur et nominabantur idque eorum nomen usque

de laudibus philosophie

de laude philosophie

ad pitagore manavit etatem que ut scribit auditor pla-
tonis ponticus eraclides vir doctus in primis phi-
lonte ferunt venisse eumque leonte principe phlia-
siorum docte et copiose disseruisse quedam cuius in-
genium et eloquentiam cum admiratus esset leo quesivis-
se ex eo qua maxime arte confideret ad illud quidem
artem se scire nullam sed esse philosophum admiratum leo-
tem novitatem nominis quesivisse quinam essent philosophi
et quid inter eos et reliquos interesset pitagoram autem
respondisse similem sibi videri vitam hominum et merca-
tum eum qui haberetur maxime ludorum apparatu
totius grecie celebritate Nam ut illic alii corpori-
bus exercitatis gloriam et nobilitatem corone peterent
alii emendi questu et lucro ducerentur esset autem quoddam
genus eorum id quod ut maxime ingenuum qui nec plausum
nec lucrum quereret sed videndi causa veniret studiose-
que perspiceret quid ageretur et quo Item nos quasi
in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua sic in
hanc vitam ex alia vita et natura profectos alios
glorie servire alios pecunie raros esse quosdam qui
ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam stu-
diose intuerentur hos se appellare sapientie studiosos id est
enim philosophos et ut illic liberalissimum esset spectare nihil
sibi acquirentem Sic in vita longe omnibus studiis
contemplationem rerum cognitionemque prestare Nec vero pitago-
ras nominis solum inventor sed etiam rerum ipsarum am-
plificator fuit qui cum post hunc philiasium sermonem
in italiam venisset exornavit eam greciam que ma-
gna dicta est et privatim et publice prestantissime
et institutis et artibus cuius de disciplina
aliud fuit tempus fortasse dicendi Sed ab antiqua philosophia
usque ad socratem qui archelaum anaxagore disci-
pulum audierat numeri motusque tractabantur et
unde omnia orerentur quove reciderent studioseque
ab his siderum magnitudines intervalla cursus anquire-
bantur et cuncta celestia Socrates autem primus philosophiam
evocavit a celo et in urbibus collocavit et in do-
mos et introduxit et coegit de vita et moribus bonis
et malis querere cuius multiplex ratio disputandi rerumque
varietas ingeniique magnitudo platonis memoria
et litteris consecrata plura genera effecit dissentientium

phorum et quibus nos potissimum sumus consentanei quo facilius
vestra arbitramur ut nostram ipsi sententiam tegeremus er-
rore alios levaremus et in omni disputatione quid esset
simillimum veri quereremus. Quem morem cum Carneades
acutissime copiosissimeque tenuisset fecimus et alias se-
pe et nuper in tusculano ut ad eam consuetudinem dispu-
taremus in quo quidem sermonem superioribus ad te con-
scriptum libris quattuor misimus. Quinto autem die cum eodem in loco
consedissemus sic est propositum de quo disputaremus.

Non mihi videtur ad beate vivendum sa-
tis posse virtutem. At hercule bruto
meo videtur cuius ego iudicium pace
tua dixerim longe ante pono tuo.
Non dubito nec nunc agitur ad
illum quid amas sed de hoc quod mihi dixi vi-
deri quale sit de quo ante disputari volo. M.
Nempe negas ad beate vivendum satis posse pos-
se virtutem. A. Prorsus nego. M. Quid ad recte
honeste laudabiliter postremo ad bene vivendum sa-
tis ne presidii in virtute. A. Certe satis. M. Potesne
igitur aut qui male vivat non eum miserum dicere
aut quem bene fateare eum negare bene vivere. A. Quid-
ni possim nam et in tormentis recte honeste lauda-
biliter et ob eam rem bene vivi potest dummodo intelligas
quid nunc dicam bene dico enim constanter graviter sapien-
ter fortiter. Hec et in eculeum coniciuntur quo
vita non aspirat beata. M. Quid igitur sola ne beata
vita quesso relinquitur extra ostium limenque carceris cum
constantia gravitas fortitudo sapientia reliquaeque virtutes rapiantur
ad tortorem nullumque recusent nec supplicium nec do-
lorem. A. Tu si quid es facturus nova aliqua conquiras
oportet ista me minime movent non solum quia pervulga-
ta sunt sed multo magis quia tamquam levia quedam
vina nihil valent in aqua sic stoicorum ista magis
gustata quam potata delectant. Velut iste chorus
virtutum in eculeum impositus ymagines constituit ante
oculos cum amplissima dignitate ut ad eas cursum per-
recturam nec eas beata vita a se desertas passuram
videatur. A. Cum autem animum ab ista pictura ymaginibus

quod virtutem ad rem vitientem deduceres nec diutius retinere
possit nec quis beatus esse quamdiu torquetur quomodo
rem hoc nunc queramus virtutes autem noli vereri ne ex
postulent et querantur se a beata vita esse relictas si enim
nulla virtus prudentia vacat prudentia ipsa hoc vi
det non omnes bonos esse et beatos etiam multa que de
mancilio quanto scipione de marco aquilio recordetur
beatamque vitam si ymaginibus potius uti quam rebus
ipsis placet conantem ire in eculeum retinet ipsa prudentia
negatque ei cum dolore et cruciatu quicquam esse commune
M. facile patior te isto modo agere et iniquum est pre
scribere mihi te quemadmodum a me disputari velis
sed quero utrum aliquid actum superioribus diebus an
nichil arbitremur A. actum vero et aliquantum quidem
M. Atqui si ita est profligata iam hec et pene ad exitum
adducta questio est A. quo tandem modo M. Quia mo
tus turbulenti iactacionesque animorum incitate et impe
tu inconsiderato elate racionem omnem repellentes vi
te beate nullam partem relinquunt. Quid non potest
qui mortem aut dolorem metuens quorum alterum
sepe adest alterum semper impendet et non miser. Quid
si idem quod plerumque fit paupertatem ignominiam in
famiam timet si debilitatem cecitatem si denique
ei quod non singulis hominibus sed potentibus populis
sepe contingit servitutem potest ea timens esse quisquam
beatus. Quid non modo futura timet verum eciam
fert sustinetque presentia At de eodem exilia luctus
orbitatesque rebus his fractus egritudine eliditur potest
ne tandem esse non miserrimus. Quid vero illum
quem libidinibus inflammatum et furentem videmus
omnia rapide appetentem cum inexplebili cupiditate
quoque voluptates affluencius undique hauriat eo
gravius ardenciusque sicientem non ne miserrimum di
xeris quod ille levitate inanique leticia exultans et te
mere gestiens non tanto miserior quanto sibi videtur
beatior ergo ut hi miseri sic contra illi beati quos nulli
metus terrent nulle egritudines nulle futiles
leticie exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus
ut maris igitur tranquillitas intelligitur nulla ne minima
quidem aura fluctus commovente sic animi quietus
et placatus status cernitur cum perturbacio nulla qua mo

vereri queat. Quod si est et vim fortune qui omnia
humana quecumque accidere possunt tollerabilia ducat ex
quo nec timor eum nec angor attingit idemque si nichil
concupiscat nulla impotenti leticia efferatur beatus sit
ita ut eo ubi credo aliam aut eam integram hoc est
In superioribus disputationibus effectum videtur
cum cum plerisque sapientes minime sit consentaneum
est res videtur ut ad exitum venisse quo propositum
modum id quod vim tibi mathematicorum iste mos
est non philozophorum. Nam geometrie cum aliquid
docere volunt si quid ad eam rem pertinet eorum que
ante docuerunt id sumunt pro concesso et probato id
modo explicant de quo ante nichil est scriptum
philosophi quamcumque rem habent in manibus in eam que
conveniunt congerunt omnia et si alio loco disputata
sunt. Quod ni ista esset cur stoicus cum esset
quesitum satisne ad beate vivendum virtus posset
multa diceret cui satis esset respondere se ante docuisse
nichil bonum esse nisi quod honestum esset hoc
probato consequens esse beatam vitam virtute contentam
et quo modo hoc sit consequens illi sic illud huic ut si beata
vita virtute contenta sit nisi honestum quod sit nichil
aliud esse bonum. Sed tamen non agit sic nam de ho-
nesto et summo bono separati libri sunt et cum ex eo
efficiatur satis magnam ad bene vivendum esse vim nichil
omnis hoc agit separatim propriis enim et suis argumentis
et admonitionibus tractanda que res est tanta
presertim. Cave enim putas ullam in philosophia vocem emis-
sam clariorem ullumve esse philosophie promissum uberi-
rius aut maius. Nam quid profitetur o dii boni per-
fecturam se qui legibus suis paruisset ut esset contra
fortunam semper armatus ut omnia presidia haberet in se bene
beateque vivendi ut esset semper denique beatus. Sed videro
quid efficiat tantisper hoc ipsum magni extimo
quod pollicetur nam serses quidem refer-
tus omnibus premiis donisque fortune non
equitatu non pedestribus copiis non navium multitudine
non infinito pondere auri contentus premium proposuit
qui invenisset novam voluptatem qua ipse non
fuit contentus neque enim umquam finem inveniet libi-
do. Nos vellem premio dicere possimus qui nobis

aliquid attulisses quo hec firmius accederemus Velle
id quidem si habeo paulum quod requiram et ignoscen
tes eorum hic posuisti aliud alii consequens esse ut quem
admodum si quod Theophrastus sit solidum bonum sic sequatur
beatam vitam virtuti efficere sic vita beata in virtute
nil sit esse nisi virtute bona si viciis tamen auto
re Aristone et Antiocho nec sunt hec putat
in etiam si sit bonum aliquod preter virtutem Quid
igitur contra brevium ne me dicere putas Tum ille,
ut ut videtur nam consuetudo non movet me atque
atque in consentaneum sit aliis locis nam ista mihi
et cum Antiocho sepe et cum Aristone nuper cum
Athenis imperator apud eum deversarer dissensio
fuit mihi enim non videbatur quisquam esse posse
beatus cum in malis esset in malis autem sapientem esse
posse si essent ulla corporis aut fortune mala Dice
bantur hec que scripsit etiam Antiochus locis
pluribus virtutem ipsam per se beatam efficere posse
neque tamen beatissimam deinde ex maiori parte
plerasque res nominari etiam si que pars abesset
ut vires ut valitudinem ut divicias ut honorem
et gloriam que genere non numero cernuntur item
vitam beatam etiam si ex aliqua parte clauderet
tamen ex multo maiori parte obtinere nomen suum Hec
nunc enucleare non ita necesse est quamquam non consta
tissime dici mihi videtur nam et qui beatus est
non intelligo quid requirat ut sit beatior si est
enim quod desit ne beatus quidem est et quod ex ma
iori parte unamquamque rem appellari et spectari
dicitis est ubi id isto modo valeat cum vero tria genera
malorum esse dicatis qui duorum generum malis omnibus
urgeatur ut omnia adversa sint in fortuna omnibus
oppressum corpus et confectum doloribus huic pau
lumne ad beatam vitam deesse dicemus non
modo ad beatissimam hoc illud est quod Theophrastus
sustinere non potuit Nam cum statuisset verbera
tormenta cruciatus patrie eversiones exilia or
bitates magnam vim habere ad male misere
que vivendum non est ausus elate et ample lo
qui cum humiliter demisseque sentiret quam bene non
queritur constanter quidem certe Itaque placere non

Mihi solis consequentia reprehendere cum prima concesseris
hic dicit elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus
non magnopere comprehenditur cum ea quae dicit bono-
rum vexatur autem ab omnibus primum in eo libro quem
scripsit de vita beata in quo multa disputat
quamobrem his qui torqueatur qui crucietur beatus esse
non possit in eo etiam putatur dicere in rotam beatam
vitam non scandere non usquam id quidem dicit ora-
tio sed quae dicit idem valent possum igitur cui con-
cesserim in malis esse dolores corporis in malis
naufragia fortunae huic succensere dicenti non
omnes bonos esse beatos cum in omnes bonos ea quae in
malis numerat cadere possint vexatur idem Theophra-
stus et libris et scholis philosophorum omnium quod in Callisthene
suo laudaverit illam sententiam vitam regit fortuna non
sapientia negant ab illo philosopho quicquam esse dictum lan-
guidius recte id quidem sed nihil intelligo dici potuis-
se constantius si enim tot sunt in corpore bona quae
tot extra corpus in casu atque fortuna nonne consenta-
neum est plus fortunam quae domina rerum est et
externarum et ad corpus pertinentium quam consilium vale-
re an malumus Epicurum imitari qui multa praeclare dicit
quae non sibi constanter convenienterque dicit non labo-
rat laudat tenuem victum philosophi id quidem sed si
Socrates aut Antisthenes diceret non is qui finem
bonorum voluptatem esse dixit negat quemquam posse vive-
re nisi idem honeste sapienter iusteque vivat nihil
gravius nihil philosophia dignius nisi idem hoc ipsum ho-
neste sapienter iuste ad voluptatem referret quid
melius quam fortunam exiguam intervenire sapienti
sed hoc isne dicit qui cum dolorem non modo maxi-
mum malum sed solum malum esse dixit toto corpore oppri-
mi possit acerrimis doloribus tum cum maxime
contra fortunam glorietur quod idem melioribus verbis Me-
trodorus occupavi te inquit fortuna atque cepi
omnesque aditus tuos interclusi ut ad me aspirare non pos-
ses praeclare si Aristomcus aut si Stoicus Ze-
non diceret qui quod turpe esset nihil malum duceret tu
vero me trade qui omne bonum in visceribus medul-
lisque condideris diffinieris summum bonum firma
corporis affectione exploratamque spem contineri

Fortuna aditus interclusisti. Nihil cum isto modo explodi
potest at si is occupat imperium semper huius sententiae ipsorum
hominum similitudo dicere aut disputantes id est
quod quisque dicat. Sed quid nunc dicendum sit videtur
velut in ea re summa quam in hac disputatione suscepimus
omnes bonos semper beatos volumus esse. Quos dicam
bonos perspicuum est omnibus enim virtutibus ornatos
atque instructos tamen sapientes tum viros bonos
dicimus. Videamus qui dicendi sint beati equidem
hos existimo qui sint in bonis nullo adiuncto ma
lo neque ulla alia huic verbo cum beatum dicimus subie
cta notio est nisi secretis malis omnibus cumula
ta bonorum complexio. Hanc assequi virtus
si quicquam praeter ipsam bonum est non potest aderit enim
malorum si mala illa ducimus turba quedam
paupertas ignobilitas humilitas solitudo amissio suo
rum graves dolores corporis perdita valitudine
debilitas cecitas interitus patrie exilium servitus
denique in his tot et tantis atque etiam plura pos
sunt accidere potest esse sapiens. Nam hec casus im
portat qui in sapientem potest incurrere. At si ea mala
sunt quis potest [ ] semper sapientem beatum fore
cum vel in omnibus eis uno tempore esse possit. Non igitur facile
concedo neque Bruto meo neque communibus magistris
neque veteribus illis Aristoteli Speusippo Xenocrati
Polemoni ut cum ea que supra enumeravi in malis
numerent idem dicant semper beatum esse sapientem
quos si titulus hic delectat insignis et pulcher
Pythagora Socrate Platone dignissimus inducant animum
illa quorum splendore capiuntur vires pulchritudinem va
litudinem divicias honores opes contempnere ea
que his contraria sunt pro nihilo ducere. Tum poterunt cla
rissima voce profiteri se neque fortune impetu nec
multitudinis opinione nec dolore nec paupertate terreri
omniaque sibi in se ipsa esse posita nec esse quicquam
extra suam potestatem quod ducant in bonis. Nunc
autem et hec loqui que sunt magni cuiusdam et alti
viri et eademque vulgus et in malis et in bonis
numerare concedi nullo modo potest. Qua gloria
commotus Epicurus exoritur cui etiam si dis placere
videtur semper sapiens beatus hic dignitate huius

sine capite sed nunquam id dicet si ipse se audiet. Id
est enim quod minus conveniat quam ut qui summum aut so-
lum malum dolorem esse dicat idem censeat quam hoc
suave est dum in dolore cruciatur dicturum esse sapientem
non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sed ex
perpetuitate atque constantia. Adducis me ut tibi
assentiar sed tua quoque vide ne desideretur
constantie. M. Quonam modo. A. Quia legi tuum nuper
quartum de finibus in eo mihi videbare contra Catonem disse-
rens hoc velle ostendere quod mihi quidem probatur inter Ze-
nonem et peripateticos nihil preter verborum novitatem
quod si ita quid est cause quin si Zenonis ratione con-
sentaneum sit satis magnam vim in
virtute esse ad beate vivendum liceat idem peripa-
teticis dicere. Rem enim opinor spectari oportere
non verba. M. Tu quidem tabellis obsignatis agis
mecum et testificaris quid dixerim aliquando
aut scripserim. Cum aliis isto modo qui legibus im-
positis disputant nos in diem vivimus quodcumque
nostros animos probabilitate percussit id dicimus itaque
soli sumus liberi. Verumtamen quoniam de con-
stantia paulo ante diximus non ego hoc loco
id querendum puto verumne sit quod Zenoni pla-
cuerit quodque eius auditori Aristoni bonum esse
solum quod honestum esset sed si ita esset tum ut totum
hoc beate vivere in una virtute poneret. Quare de-
mus hoc sane Bruto ut sit beatus semper sapiens
quam sibi conveniat ipse viderit gloria quidem
huius sententie quis est illo viro dignior. Nos tamen
teneamus ut sit idem beatissimus. Et si Zeno Ci-
tieus advena quidam et ignobilis verborum opifex
insinuasse se in antiquam philosophiam videatur huius
sententie gravitas a Platonis auctoritate repetatur apud
quem sepe hec ratio usurpata est ut nihil
preter virtutem diceretur bonum velut in Gorgia So-
crates cum esset ex eo quesitum Archelaum Perdicce
filium qui tum fortunatissimus haberetur nonne beatum puta-
ret haud scio inquit nunquam enim cum eo locutus sum.
Ain tu an aliter id scire non potes. A. Nullo
M. Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno
potes dicere beatusne sit. A. An ego possim

cum ignorem quam sit doctus quam vir bonus. M. Quid
tu in eo sic tam beatam vitam putas. A. Ita prorsus
existimo bonos beatos improbos miseros. M.
Miser ergo Archelaus rex si iniustus videtur ne
omnem hic vitam beatam in una virtute ponet
Quid vero in epitaphio quomodo idem. Nam
cui viro ex se ipso apta sunt omnia que ad beate
vivendum ferunt nec suspensa aliorum aut bo-
no casu aut contrario pendere ex alterius eventis
et errare coguntur huic optime vivendi compa-
rata ratio est. Hic est ille moderatus hic fortis
hic sapiens hic nascentibus et cadentibus
et reliquis commodis cum maxime liberis pa-
rebit et obediet precepto illi veteri neque enim leta-
bitur umquam nec merebit nimis quod semper in se ipso
omnem spem reponet sui. Ex hoc igitur platonis
quodam sancto augustoque fonte nostra omnis
manabit oratio. Unde igitur rectius ordiri pos-
sumus quam a communi parente natura que quicquid ge-
nuit non modo animal sed quod ita ortum
esset e terra ut stirpibus suis niteretur in suo quodque
genere perfectum esse voluit. Itaque arbores et vites
et ea humiliora neque se tollere a terra altius pos-
sunt alia semper virent alia hyeme nudata ver-
no tempore tepefacta frondescunt. Neque enim est nulla
que non ita vigeat interiore quodam motu et suis
quoque seminibus inclusis ut aut flores aut fru-
ges fundunt aut bacas omniaque in omnibus quantum
in ipsis sit nulla vi impediente perfecta sint fa-
ciliusque vero etiam in bestiis quod iis sensus a natura
est datus vis ipsius nature perspici potest. Namque
esse alias bestias nantes aquarum incolas
esse voluerit alias volucres celo frui libero
quasdam serpentes quasdam esse gradientes earum
ipsarum partim solivagas partim congregatas im-
manes alias quasdam autem cicures non nul-
las abditas terraque tectas atque earum quaeque suum
tenens munus cum in disparis animantis vitam
transire non possit manet in lege nature et ut
in bestiis aliud alii a natura datum est quod suum
quaeque retinet nec recedit ab eo sic homini multo quiddam preclarius

cuius est constantia deducta ea dicta que habeat a-
liquam comparationem Humanus autem animus decerptus ex men-
te divina cum alio nullo nisi cum ipso deo si hoc phas
est dictu comparari potest Hic igitur si est excultus
et si eius acies ita curata est ut ne cecaretur
erroribus fit perfecta mens id est absoluta racio quod
est idem virtus Et si omne beatum est cui nihil
deest et quod in suo genere expletum atque cumula-
tum idque virtutis est proprium certe omnes virtutis compotes
beati sunt Et ad hoc mihi quidem cum Bruto convenit
idem cum Aristotele Xenocrate Speusippo Polemone
Sed mihi videntur etiam beatissimi Quid enim non deest
ad beate vivendum ei qui confidit suis bonis aut
qui diffidit beatus esse qui potest Sed diffidat
necesse est qui bona dividit tripertito Quid enim po-
terit aut corporis firmitate aut fortune stabilitate
confidere Atqui nisi stabili et fixo et perma-
nente bono beatus nemo esse potest Quid ergo
eiusmodi istorum est ut Laconis illud dictum
in hos cadere videatur qui glorianti cuidam mercatori
quod multas naves in omnem oram maritimam
dimisisset Non sane optabilis ista quidem
inquit rudentibus apta fortuna An dubium est quin
nihil sit habendum in eo genere quo vita beata
compleatur si id possit amitti nihil enim interarescere
nihil extingui nihil cadere debet in quibus vita
beata consistit Nam qui timebit ne quid ex his
deperdat beatus esse inexpugnabilem septum atque muni-
tum non ut parvo metu preditus sit sed ut nullo
nocet sic sine metu habendus est non qui
parum metuit sed qui omnino metu vacat Que
est enim alia fortitudo nisi animi affectio cum
et in eundo periculo et labore ac dolore patiens
est procul ab omni metu Atque hec certe non ita se
haberent nisi bonum in una honestate consisteret
Qui autem illam maxime optatam et expetitam securitatem
quam appello vacuitatem egritudinis in qua vita beata
posita est habere quisquam potest cui aut adsit aut ad-
esse possit malorum multitudo Quid autem poterit esse
celsus et erectus et ea que homini accidere possunt
omnia parva ducens qualem sapientem esse volumus

nisi omnia bona in se posita censebit. An Lacede-
monii Philippo minitanti per litteras se omnia que conarentur
prohibiturum quesierunt Num se esset etiam mori prohibiturus
Vir hic quem querimus non multo facilius talis
animo reperietur quam civitas universa. Quid? ad hanc fortitudinem
de qua loquimur temperancia adiuncta que
sit moderatrix omnium commotionum. Quid potest ad be-
ate vivendum deesse ei quem fortitudo ab egritudine et metu
vindicet. Temperancia cum a libidine avocet tum in-
solenti alacritate gestire non sinat. Hec efficere virtutem
ostenderem nisi superioribus diebus essent explicata.
At quoniam perturbaciones animi miseriam, sedaciones
autem efficiant beatam duplexque ratio perturbacionis sit, quod egritudo
et metus in malis opinatis in bonorum autem erro-
rem leticia gestiens libidoque versentur que omnia cum consilio
et racione pugnent. His tu tam gravibus concitacioni-
bus tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis
quem vacuum solutum liberumque videris hunc dubitabis
beatum dicere. Atque sapiens ita affectus est semper, igitur sapi-
ens beatus est. Atque etiam omne bonum letabile est.
Quod autem letabile id predicandum et pre se ferendum.
Quod tale autem id etiam gloriosum. Si vero gloriosum certe laudabile
Quod autem laudabile profecto etiam honestum. Quod honestum igitur id bo-
num est. At que ista bona numerant ne ipsi quidem ho-
nesta dicunt. Solum igitur bonum quod honestum. Ex
quo efficitur honestate una vitam contineri beatam. Non
sunt igitur ea bona dicenda nec habenda quibus habun-
dantem licet esse miserrimum. An dubitabis quin prestans
valitudine viribus forma acerrimis integerrimisque sen-
sibus adde etiam si libet pernicitatem et velocitatem da divi-
tias honores imperia opes gloriam si fuerit is qui
hec habet iniustus intemperans timidus hebeti inge-
nio atque nullo dubitabis ne eum miserum dicere. Qua-
lia igitur ista bona sunt que qui habeat miserrimus esse
possit. Videamus ne ut acervus ex sui generis granis
sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat.
Quod si ita est ex bonis que sola honesta sunt effi-
ciendum est beatum. Ea mixta ex dissimilibus si erunt
honestum ex his effici nihil poterit. Quo detracto quid
poterit beatum intelligi. Etenim quicquid est quod bonum
sit id expetendum id certe probandum. Quod vero ap-

probari id quod tum accepturus es hodie. Ergo eadem dignitas
ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est
bonum; igitur omne laudabile. Ex quo efficitur ut quod sit honestum
id solum bonum. Quod nisi ita tenebimus, multa erunt que
nobis bona dicenda sint. Omitto divicias, quas
cum quivis quamvis indignus habere possit, in bonis non
numero; quod enim est bonum, id non quivis habere potest.
Omitto nobilitatem famamque popularem stultorum
improborumque consensu excitatam: hec, que sunt minima, tamen
bona dicantur necesse est: Candiduli dentes, venu-
sti oculi, color suavis, et ea que Anticlea Ulixi pe-
des abluens: lenitudo orationis, mollitudo corporis. Ea
si bona ducemus, quid erit in philosophi gravitate quod in vul-
gi opinione stultorumque turba quod dicatur aut gravius aut
grandius? At enim eadem Stoici precipua vel produ-
cta dicunt que bona isti. Dicunt illi quidem, sed iis vitam
beatam compleri negant. Hii autem sine iis esse nullam putant,
aut, si sit beata, beatissimam certe negant. Nos autem bea-
tissimam esse volumus, idque nobis Socratica illa conclusione
confirmatur. Sic enim princeps ille philosophie disserebat: qualis
esset cuiusque animi affectus, talem esse hominem; qualis
autem homo ipse esset, talem eius esse orationem; orationi
autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in
bono viro laudabilis et honesta; ergo quoniam laudabilis, ex quibus
bonorum beatam vitam esse concluditur. Etenim pro deo-
rum atque hominum fidem, parumne cognitum est superioribus no-
stris disputacionibus, an delectacionis et ocii causa
locuti sumus, sapientem ab omni concitacione animi,
quam perturbacionem voco, semper vacare, semper in animo eius esse pla-
cidissimam pacem? Vir igitur temperatus, constans, sine me-
tu, sine egritudine, sine alacritate ulla, sine libidine non-
ne beatus? At semper sapiens talis; semper igitur beatus. Iam
vero qui potest vir bonus non ad id quod laudabile sit omnia
referre que agit quaeque sentit? Refert autem omnia
ad beate vivendum; beata igitur vita laudabilis; nec quicquam
sine virtute laudabile; beata igitur vita virtute conficitur. Atque hoc sic
etiam concluditur: nec in misera vita quicquam est predicabile
aut gloriandum, neque in ea que nec misera sit nec beata.
Et est in aliqua vita predicabile aliquid et gloriandum ac
prae se ferendum, ut Epaminundas: Consiliis nostris laus est
attonsa Laconum, ut Affricanus: A sole exoriente supra

mentis plaudit nemo est qui facilius comparare queat quod
sit bene vita gloriandum est praedicanda. Et ipse fere-
nda est nihil est aliud quod praedicandum et prae se ferendum
sit quibus possit intellegi quid sequatur et equidem
nisi ea vita beata est que est eadem honesta sit
necesse est melius vita beata quod enim erit honestum certe
fatebuntur esse melius. Ita erit vita melius beata
aliquid quo quid potest dici perversius. Quid cum fatentur satis
magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam nonne
fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam.
Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Quo loco quero
quam vim habeat libra illa Critolai qui cum in altera
lance animi bona imponat in altera corporis et externa tantum
propendere illam bonis lancem putet ut terram et
maria deprimat. Quid ergo aut hunc prohibet aut
etiam Xenocratem illum gravissimum philosophorum exaggerantem
tantopere virtutem et extenuantem cetera et abicientem in
virtute non beatam modo vitam sed etiam beatissimam
ponere quod quidem nisi sit virtutum interitus consequetur
nam in quem cadit egritudo in eundem metum cadere necesse
est. Est enim metus futurae egritudinis sollicita exspectatio in quem
autem metus in eundem formido timiditas pavor ig-
navia. Ergo ut idem vincatur interdum nec putet ad
se preceptum illud Atrei pertinere proinde ita parent
se in vita ut vinci nesciant. At nos virtutem semper liberam
volumus semper invictam que nisi sunt sublata virtus est. Atque
si in virtute satis presidii est ad bene vivendum satis
est etiam ad beate satis est enim certe in virtute ut forti-
ter vivamus. Si fortiter etiam ut magno animo et quidem ut
nulla re umquam terreamur semperque simus invicti. Sequitur
ut nihil peniteat nihil desit nihil obstet. Ergo omnia
profluenter absolute prospere igitur beate. Satis autem virtus
ad fortiter vivendum potest satis igitur ad beate. Etenim ut
stultitia et si adepta est quod concupivit numquam tamen
se satis consecutam putat. Sic sapientia semper eo contenta
est quod adest nec eam umquam sui penitet. Similemne pu-
tas C. Lelii unum consulatum fuisse et eum quidem cum
repulsa si cum sapiens et bonus vir qualis ille fuit
suffragiis preteritur non populus a bono consule
potius quam ille a malo populo repulsam fert suffragiis
utrum tamen malles te si potestas esset semel ut Lelium

Considera autem quid? non dubito quod tu responsurus sis
itaque video cui committam non quemvis hoc idem interrogarem
Responderet alius fortasse se non modo quattuor consula-
tus uni anteponere sed unum diem Cinne multorum et claro-
rum virorum totis etatibus. Lelius si digito quem attigis-
set penas dedisset. Cinna college sui consulis Gn. Octavii
precidi caput iussit P. Crassi L. Cesaris nobilissimorum
virorum quorum virtus fuerat domi militieque cognita M.
Anthonii omnium eloquentissimi quos ego audierim C.
Cesaris in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis
salis suavitatis leporis. Beatusne igitur qui hos interfecit
Mihi contra non solum eo videtur miser quod ea fecit sed etiam
quod ita se gessit ut ea facere ei liceret, et si peccare nemi-
ni licet, sed sermonis errore labimur. Id enim licere dicimus
quod cuique conceditur. Utrum tandem beatior C. Marius tunc
cum Cimbrice victorie gloriam cum collega Catulo com-
municavit pene alio Lelio. Nam hunc illi duco
simillimum, an cum civili bello victor iratus necessariis Ca-
tuli deprecantibus non semel respondit sed sepe mo-
riatur. In quo beatior ille qui huic nefarie voci
paruit quam is qui tam scelerate imperavit. Nam cum
accipere quam facere prestat iniuriam tum morti iam ipsi ad-
ventanti paulum procedere obviam quod fecit Catulus
quam quod Marius talis viri interitu sex suos obruere
consulatus et contaminare extremum tempus etatis. Duo-
de quadraginta annis tyrannus Siracusanorum
fuit Dionisius cum quinque et viginti natus annos domina-
tum occupasset. Qua pulchritudine urbem quibus autem opibus
preditam servitute oppressam tenuit civitatem. Atqui de hoc
homine sic scriptum accepimus summam fuisse eius in victu
temperantiam in rebusque gerendis virum
acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura
et iniustum. Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri
necesse est miserrimum. Ea enim ipsa que concupierat ne tum qui-
dem cum omnia se posse censebat consequebatur. Qui cum
esset bonis parentibus atque honesto loco natus et
si id quidem alius alio modo tradidit habundaretque
et equalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum
haberet etiam more Grecie quosdam adolescentes amore
coniunctos credebat eorum nemini sed hiis quos ex fa-
miliis locupletum servos delegerat quibus servi no-

ipse detraheret et quibusdam committens et feris barbaris corporis
committebat custodiam. Itaque ipse miser et depravatus cupiditate
ni tarcem quodammodo se ipse se incluserat coram ne tonso
ri collum submitteret tondere filias suas docuit. Ita quod sor
dido ancillarique artificio regie virgines ut tonstrice tondebant
barbam et capillum patris et tamen ab his ipsis cum essent adulte
ferrum removit instituitque ut
barbam sibi et capillum adureret. Cumque duas uxores haberet
Aristomachem civem suam Doridem autem Locrensem, sic noctu
ad eas ventitabat ut omnia specularetur et perscrutaretur ante
et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset eiusque fosse tran
situm ponticulo ligneo iunxisset eum ipsum cum fores cubicu
li clauserat detorquebat. Idemque cum in communibus suggestis consiste
re non auderet concionari ex turri alta solebat. Atque hic cum
pila ludere vellet studiose enim id faciebat tunicamque po
neret adolescentulo quem amabat tradidisse gladium dicitur. Hic
cum quidam familiaris iocans dixisset huic quidem certe vitam
tuam committis arrisisset quod adolescens utrumque iussit interfici
alterum quia viam demonstrasset interimendi sui alterum
quia id risu approbavisset atque eo facto sic doluit ut nihil
ut tulerit gravius in vita quem enim vehementer amaret occi
derat. Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cu
piditates atque huic obsecutus sis illi est repugnandum quam
quam id quidem tyrannus ipse iudicat quam esset beatus nam cum quidam ex
eius assentatoribus Damocles cum commemorasset et sermo
ne copias eius opes maiestatem dominatus rerum habun
dantiam magnificentiam edium regiarum negaret quod umquam be
atiorem quemquam fuisse visne igitur Damocle quoniam hec te vita
delectat ipsa eandem degustare et fortunam experiri meam
cum se ille cupere dixisset collocari iussit hominem in aureo
lecto strato pulcherrimo textili stragulo magnificis operibus
pictis abacosque complures ornavit argento auroque celato
hinc ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consis
tere eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare
Aderant unguenta corone incendebantur odores mense conqui
sitis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur

In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari
seta equina appensum demitti iussit ut im-
penderet illius beati cervicibus Itaque nec pulchros
illos administratores aspiciebat nec plenum artis ar-
gentum nec manum porrigebat in mensam Iam
ipse defluebant corone Denique exoravit tyrannum
ut abire liceret quod iam beatus nollet Satis esse
ne videtur declarasse dionysius nihil esse ei beatum
Cui semper aliquis terror impendeat Atque ei ne integrum
quidem esset ut ad iusticiam remigraret civibus libertatem
et iura redderet His enim se adolescens improvida e-
tate
erratis eaque commiserat ut salvus
esse non posset si sanus esse cepisset Quantopere
vero amicicias desideraret quarum infidelitatem ex-
timescebat declaravit in pitagoreis illis duobus quorum
cum alterum vadem suum liberaret presto fuisse ad horam
mortis destinatam utinam ego inquit tertius vobis
amicus adscriberer Quam huic erat miserum carere
consuetudine amicorum societate victus sermone omnino fa-
miliari homini presertim docto a puero et artibus in-
genuis erudito musicorum vero perstudioso poetam etiam
tragicum quam bonum nihil ad rem in hoc enim genere
nescio quo pacto magis quam in aliis suum
cuique pulchrum est adhuc neminem cognovi poetam
et mihi fuit cum aquinio amicicia qui sibi non o-
ptimus videtur Sic se res habet te tua me delectant
mea Sed ut dionisium redeamus omni cultu et victu hu-
mano carebat vivebat cum fugitivis cum facino-
rosis cum barbaris qui aut libertate neminem dig-
num esse aut omnino liberum esse sibi amicum arbitrabatur
Non ego iam cum huius vita qua tetrius miserius
detestabilius excogitare nihil possum
platonis aut archite vitam comparabo doctorum ho-
minum et plane sapientium ex eadem urbe humilem
homunculum a pulvere et radio excitabo qui multis
annis post archimedem cuius ego questor ignoratum
a siracusanis cum esse omnino negarent septum
undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi
sepulcrum Tenebam enim quosdam senariolos quos
in eius monumento esse scriptos acceperam qui de-
clarabant in summo sepulcro speram esse positam

cu(m) cilindro. Ego aut(em) cu(m) om(n)ia collustrare(m) oculis. Est
e(ni)m ad portas agragianas magna frequentia sepulc(ro)r(um)
an(imu)m adverti columellam non multu(m) e dumis emi-
nentem in qua inesset sp(er)e figura et cilindri. atq(ue)
ego statim Siracusanis. Erant aut(em) principes mecu(m)
dixi me illud arbitrari esse quod quererem. immissi cu(m)
falcibus multi collu(m) purgaverunt et aperuerunt locu(m).
quo cu(m) patefactus esset aditus ad adversam basim acces-
simus. apparebat epigrama exesis posterioribus partibus
versiculoru(m) dimidiatis fere. Ita nobilissima grecie
civitas quonda(m) vero eciam doctissima sui civis unius acutis-
simi monumentu(m) ignorasset nisi ab homine arpina-
te didicisset. Sed redeat unde aberravit oratio. Quis
e(st) hominu(m) qui modo cu(m) musis i(d est) cu(m) humanitate et cu(m) doctrina
habeat aliquod commerciu(m) qui se non hunc mathe-
maticu(m) malit q(uam) illu(m) tirannu(m). Si vite modu(m) actio-
nemq(ue) querimus alterius mens rationibus agitan-
dis exquirendisq(ue) alebatur cu(m) oblectatione solercie
qui est unus suavissimus pastus animoru(m). alterius
in cede et in iniuriis cu(m) et diurno et nocturno metu.
Age confer democritu(m) pitagoram anaxagoram que
regna quas opes studiis eoru(m) et delectationibus
anteponas. Etenim que pars est optima in homine
in ea situ(m) esse necesse est illud quod queris opti-
mu(m). Quid est aut(em) optimu(m) in homine sagaci ac
bona mente melius. eius bono fruendu(m) est igitur
si beati esse volumus. bonu(m) aut(em) mentis est virtus.
ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc om(n)ia
que pulchra honesta preclara sunt ut supra dixi sed
dicendu(m) idem illud paulo uberius videtur plena
gaudioru(m) sunt. ex p(er)petuis aut(em) plenisq(ue) gaudiis
cu(m) p(er)spicuu(m) sit vitam existere. Sequitur ut ea existat
ex honestate. Sed ne verbis solis attingamus ea q(ue)
volumus ostendere proponenda quedam quasi movea(n)t
sunt que nos magis ad cognicionem intelligentiamq(ue) con-
vertant. Sumatur e(nim) nobis quidam vir optimis artib(us)
hic isq(ue) animo parumper et cogitacione fingatur. Primu(m) inge-
nio eximio sit necesse est. tardis e(nim) mentibus virtus
non facile comitatur. Deinde ad investigandam ve-
ritatem studio incitato. ex quo triplex ille animi fetus
existet unus in cognicione reru(m) positus et in explicatione

nature. Alterum in descriptione expetendarum fugiendarumque
rerum ne vivendi errant in iudicando quid cuique rei
sit consequens quid repugnat in quo inest omnis cum
subtilitas disserendi tum veritas iudicandi. Quo tandem
gaudio igitur affici necesse est sapientis animum cum
his humilitatem habitantem pernoctantemque curis ut
cum totius mundi motus conversionesque perspexerit side-
raque viderit innumerabilia celo inherentia cum eius ipsius
motu congruere certis infixa sedibus septem alia
suosque tenere cursus multum inter se aut humilitate aut alti-
tudine distantia quorum vagi motus rata tamen et certa
sui cursus spatia definiunt horum nimirum aspectus impulit
illos veteres et ammonuit ut plura quererent. Inde
est indagatio nata initiorum et tamquam seminum unde es-
sent omnia orta generata concreta cuiusque generis vel
inanimi aut animantis vel muti vel loquentis origo
vita qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo
atque mutatio. Unde terra et quibus librata ponderibus quibus ca-
vernis maria sustineantur qua omnia delata gravitate
medium mundi locum semper expetant qui est idem infimus in ro-
tundo. Hec tractanti animo et noctes et dies cogitanti exi-
stit illa a deo delphis precepta cognitio ut ipsa se mens
agnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat
ex quo insatiabili gaudio compleatur. Ipsa enim cogitatio de vi
et natura deorum studium incendit illius eternitatis imitande
neque se in brevitate vite collocatam esse putat cum rerum
causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt
quibus ab eterno tempore fluentibus in eternum tamen ratio
et mens moderatur. Hec ille intuens atque suspiciens
vel potius omnes partes orasque circumspiciens et rursus
cum tranquillitate humana et citeriora considerat. Hinc illa cognitio
virtutis existit et florescunt genera partesque virtutum invenitur
quid sit quod natura expetit extremum in bonis in malis
quid in malis ultimum quo referenda sint officia que
eligende etatis ratio diligenda. Quibus et talibus
rebus ex quibus hoc vel maxime efficitur quod hac dispu-
tatione agimus ut virtus ad bene vivendum sit se ipsa
contenta. Sequitur tertia que per omnes partes sapientie
manat et funditur que rem definit genera dispertit
sequentia adiungit perfecta concludit vera et falsa diiudicat
disserendi ratio et scientia ex qua cum summa utilitas existat

uit ad res ponderandasque tum maxime ingenii delectatio et dig-
sapientia sunt haec opera tum satietas. Despiciet ad rem publicam tu-
endam, quid eo possit esse praestantius, tum cernendi prudentia
utilitatem civium, cernat iustitia nihil in suam domum
inde derivet, reliquis utatur tot tantisque virtutibus? adiunge
fructum amicitiarum, in quo doctis positum est consilium omnis vitae
consentiens et paene conspirans, tum summa iucunditas e cotidi-
ano cultu atque victu. Quid haec tandem vita desiderat quo
sit beatior? cui refertae tot tantisque gaudiis fortuna ipsa ce-
dit necesse est. An etiam ne in cruciatu atque tormentis? An
tu me in viola putas aut in rosa dicere? An Epicuro, qui tan-
tum induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, di-
cere licebit, quod quidem ut habet se res me tamen plaudente dicat,
nullum sapienti esse tempus, etsi uratur, torqueatur, secetur, quin pos-
sit exclamare: quam pro nihilo puto! Cum praesertim omne malum
dolore definiat, bonum voluptate, haec nostra honesta tur-
pia irrideat dicatque nos in vocibus occupatos inanes
sonos fundere, nec quicquam ad nos pertinere nisi quod aut
leve aut asperum in corpore sentiatur. Hic ergo, ut dixi, non
multum differens a iudicio ferarum, oblivisci licebit sui et tum for-
tunam contemnere, cum sit omne et bonum eius et malum in po-
testate fortunae, tum dicere se beatum in summo cruciatu atque
tormentis, cum constituerit non modo summum malum esse dolorem, sed e-
tiam solum? Nec vero illa remedia comparavit ad tollerandum dolorem,
firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consue-
tudinemque patiendi, praecepta fortitudinis, duritiam virilem,
sed una se dicit recordatione acquiescere praeteritarum voluptatum,
ut si quis aestuans, cum vim caloris non facile patiatur, recor-
dari velit se aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus cir-
cumfusum fuisse. Non enim video quomodo sedare possint mala
praesentia praeteritae voluptates. Sed cum dicat semper beatum esse sa-
pientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret, quid e-
na faciendum est his qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum
quod honestate careat? Existimet me quidem auctore Peripa-
tetici veteres atque Achademici balbutire aliquando desinant aperte-
que et clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis
taurum descensuram. Sint enim tria genera bonorum, ut iam a
laqueis Stoicorum, quibus usum me pluribus quam soleo intellego, re-
cedamus; sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa
iaceant humi et tantummodo, quia sumenda sint, appellentur bona,
alia autem divina longe lateque se pandant caelumque contingant, ut ea

quam adeptus sit nec eum beatum tantum sed etiam beatissimum esse dixerim
Dolorem vero sapiens existimesne summum esse malum Hic enim huic maxime
fine repugnat Iam contra mortem nostram atque nostrorum contraque
egritudines et reliquas animi perturbaciones satis esse videmur
armati Dolor autem virtuti adversarius acerrimus ardentes faces intentat ut fortitudinem
magnitudinem animi paciencia se debilitatum iaceat
Sic igitur succumbet virtus hic beata sapientis et constantis vi
vita decedet quam turpe pueri Spartani non ingemis
cunt verberum dolore laniati adulescentum greges Lacedemone
vidimus ipsi incredibili contencione certantes pugnis calcibus
unguibus morsu denique ut exanimarentur prius quam se victos
faterentur que barbaria India vastior aut agrestior in ea tamen
gente primum ei qui sapientes habentur nudi etatem agunt et Caucasi
nives hiemalem que vim perferunt sine dolore cumque ad flam
mam se applicaverunt sine gemitu aduruntur mulieres vero in
India cum est cuius earum vir mortuus in certamen iudiciumque veni
unt quam plurimum ille dilexerit plures enim singulis solent esse
nupte que est victrix ea leta prosequentibus suis una cum viro in rogum
ponitur illa victa mesta discedit numquam naturam mos vinceret est
enim ea semper invicta sed nos umbris deliciis ocio languore desidia
animum infecimus opinionibus maloque more delinitum
mollivimus Egipciorum morem quis ignorat quorum imbute men
tes pravitatis erroribus quamvis carnificinam prius subierint quam
ibim aut aspidem aut felem aut canem aut cocodrillum vio
lent quorum eciam si imprudentes quippiam quidque fecerint
penam nullam recusant De hominibus loquor quid bestie non
frigus non famem non montivagos atque silvestres cursus
lustraciones que paciuntur non pro suo partu ita propugnant ut
vulnera excipiant nullos impetus nullos ictus reformident
Omitto que perferant quaeque paciantur ambiciosi honoris causa
laudis studiosi glorie gracia amore incensi cupiditatis ple
na vita ex exemplorum est Sed adhibeat oracio modum et redeat
illuc unde deflexit Dabit dabit inquam se in tormenta vi
ta beata nec iusticiam temperanciam in primisque fortitudinem magni
tudinem animi pacienciam prosecuta cum tortoris os viderit
consistet virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruci
atum pergentibus resistet extra fores ut ante dixi limenque carceris
Quid enim fedius quid deformius sola relicta pulcherrimo
comitatu segregata quod tamen fieri nullo modo potest Nec enim virtutes
sine beata vita cohaerere possunt nec illa sine virtutibus
ita que eam tergiversari non sinent secumque rapient ad quemcumque

dolorem cruciatumque dicerent. Sapientis est enim proprium
nihil quod penitere possit facere, nihil invitum, splendide, constanter,
graviter, honeste omnia, nihil ita expectare quasi certo futurum,
nihil cum acciderit admirari ut inopinatum ac novum ac-
cidisse videatur, omnia ad suum arbitrium referre, suis
stare iudiciis. Quo quid sit beatius mihi certe in mente
venire non potest. Stoicorum facilis conclusio est, qui cum
finem bonorum senserint congruere naturae cumque ea convenienter
vivere, cum id sit in sapiente situm non officio solum
verum etiam potestate, sequatur necesse est ut cuius in potestate
summum bonum in eiusdem vita sit. Ita fit semper
vita beata sapientis. Habes quae fortissime de beata
vita dici putem, et quo modo nunc est, nisi quid tu me-
lius attuleris. A. Et verissime. Melius equidem af-
ferre nihil possum, sed a te impetrarem libenter nisi
ut nisi molestum sit, quoniam te nulla vincla impediunt
nullius certae disciplinae libasque ex omnibus quodcumque
te maxime specie veritatis movet, quod paulo ante
Peripateticos veteremque Academiam hortari videbare
ut sine retractatione libere dicere auderent sapientes
esse semper beatissimos, id velim audire quemadmodum
iis putes consentaneum esse id dicere. Multa enim a te
contra istam sententiam dicta Stoicorum ratione conclusa.
Utamur igitur libertate qua nobis solis in philosophia
licet uti, quorum oratio nihil ipsa iudicat sed habetur in
omnes partes, ut ab aliis possit ipsa per se sine cuiusquam
auctoritate adiuncta iudicari. Et quoniam videris hoc velle
ut quaecumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus,
tamen virtus habeat satis ad vitam beatam praesidii, quod
quidem Carneadem disputare solitum accepimus, sed
is ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refelle-
bat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat,
nos illud quidem cum pace agemus. Si enim Stoici
fines bonorum recte posuerunt, confecta res est: necesse est
beatum esse sapientem. Sed quaeramus unamquamque re-
liquorum sententiam, si fieri potest ut hoc praeclarum quasi de-
cretum beatae vitae possit omnium sententiis et disciplinis convenire.
Sunt autem haec de finibus, ut opinor, retentae de-
fensaeque sententiae: primum simplices quattuor, nihil bonum nisi
honestum ut Stoici, nihil bonum nisi voluptatem ut Epi-
curus, nihil bonum nisi vacuitatem ut Hieronymus, nihil bonum

nisi namque Pisonis aut in omnibus aut magna ex
parte ut Carneades contra Stoicos disserebat. Hec
igitur simplicia .3.a, mixta vero quatuor genera bonorum ma-
teria cum sola corporis altera .3.a ut Peripateti-
ci. Hec multo veteres Achademici secuti. Volup-
tatem cum honestate Dinomachus et Calipho copulavit.
Indolenciam autem honestati Peripateticus Diodorus
adiungit. Hec sunt sentencie que stabilitatis aliquid ha-
beant. Nam Aristonis, Pirrhonis, Herilli non nul-
lorum aliorum evanuerunt. Hi quid possint optinere
videamus omissis Stoicis quorum satis videor defen-
disse sentenciam. Et Peripateticorum quidem explicata sen-
tencia est preter Theophrastum et si qui illum secuti im-
becillius horrent dolorem et reformidant. Reliquis
quidem licet facere id quod fere faciunt ut gravitatem
dignitatemque virtutis exaggerent quam cum ad celum extule-
rint quod facere eloquentes homines copiose solent re-
liqua ex collatione facile est conterere atque contemnere.
Nec enim licet iis qui laudem cum dolore petendam
esse dicant negare eos esse beatos qui illam adepti sint.
Quamquam enim sint in quibusdam malis tamen hoc nomen beati
longe et late patet. Nam ut questuosa mercatura,
fructuosa aratio dicitur non si altera semper omni dam-
pno, altera omni tempestatis calamitate semper omni
dampno altera vacat sed si multo maiore ex
parte exstat in utraque felicitas sic vita non solum si undique
referta bonis est sed si multo maiore et graviore
ex parte bona propendent beata recte dici potest.
Sequitur igitur horum ratione vel ad supplicium
beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum
Aristotele Xenocrate Polemone Speusippo aucto-
ribus nec eam minis aut blandimentis corrup-
ta deseret. Eadem Calliphontis et Diodori quorum
utrique honestatem sic complectitur ut omnia que sine ea
sint longe et retro ponenda censeat. Reliqui se
habere videntur angustius, enatant tamen Epicurus Hie-
ronymus et si qui sunt qui desertum illum Carneade-
um curent defendere. Nemo est enim qui eorum bonorum
animum putet esse iudicem eumque condocefaciat ut ea
que bona mala ve videantur possit contemnere. Nam
que tibi Epicuri videtur eadem erit Hieronymi et

carneadis et et heracle omnium reliquorum. Quamvis non pa
rum est contra mortem aut dolorem precipuis ordinamur
ab eo si placet que mollem quam voluptatem dicimus
Quid is liberi mortem ne videtur an dolorem timere
qui eum diem quo moritur beatum appellat maximisque do
loribus affectus eos ipsos inventorum suorum memoria
et recordatione confutat nec hoc sic agit ut ex tempore
quasi effutire videatur de morte enim ita sentit
ut dissoluto animante sensum extinctum putet quod
autem sensu careat nichil ad nos id iudicet pertinere
Idem de dolore certa habet que sequatur cuius magnitudinem
brevitate consoletur longinquitatem levitate Qui tandem
isti grandiloqui contra hec duo que maxime angunt
melius se habent quam epicurus An ad cetera que ma
la putantur Non et epicurus et reliqui philosophi satis
parati videntur Quis non paupertatem extimescit
neque tamen quisquam philosophorum hic vero ipse quam parvo
est contentus nemo de tenui victu plura dixit
etenim que res pecunie cupiditatem afferunt ut
amori et ambitioni ut quottidianis sumptibus
copie suppetant Cum procul ab hiis omnibus
rebus absit Cur pecuniam magnopere desideret vel
potius cur curet omnino An scythes anacharsis potuit
pro nichilo pecuniam ducere nostrates philosophi facere non
potuerunt Illius epistola fertur hiis verbis Anachar
sis hannoni salutem Mihi amictui est scythicum tegimen
calciamentum solorum callum cubile terra pulpamentum
fames lacte caseo carne vescor Quare ut ad
quietum me licet venies Munera autem ista quibus
es delectatus vel civibus tuis vel diis immortalibus
dona Omnes fere philosophi omnium disciplinarum nisi quos
a recta ratione natura viciosa detorsisset eodem
hoc animo esse potuerunt Socrates in pompa cum
magna vis auri argentique ferretur quam multa
non desidero inquit Xenocrates qui legati ab alle
xandro L ei talenta attulissent que erat pe
cunia temporibus illis athenis presertim maxima de
duxit legatos ad cenam in achademiam hiis
apposuit tandem tantum quod satis esset nullo appa
ratu Cum postridie rogarent eum cui numera
ri iuberet Quid vos hesterna inquit cenula

no ne intellexisse me pecunia non egere. Xenocra
tum Xenocrates vidisset xxx minas accepit ne aspernari
regis liberalitatem. At vero diogenes liberius ut cinicus
alexandro roganti ut diceret si quid opus esset
nunc quidem paululum inquit a sole. offecerat videlicet ap
ricanti. Et hic quidem disputare solebat quanto re
gem persarum vita fortunaque superaret. Sibi nihil
deesse. illi nihil satis umquam fore. se eius volu
ptates non desiderare quibus numquam ille satiari
posset. Suas eum consequi nullo modo posse. vides
credo ut epicurus cupiditatum genera diviserit non ni
mis fortasse subtiliter utiliter tamen partim esse naturales
et necessarias partim naturales et non necessarias partim neu
trum necessarias satiari posse pene nihilo divitias
enim nature esse parabiles. Secundum autem genus cupidi
tatum nec ad potiendum difficile esse censent nec
non ad carendum. Tertias quod essent plane ina
nes neque necessitatem modo Sed ne naturam quidem attigisse
rint funditus eiciendas putavit. hoc loco multa
ab epicureis disputantur. hee que voluptates singilla
tim extenuantur quarum genera non contempnunt querunt
tamen copiam. Nam obscenas voluptates de quibus
multa ab illis habetur oratio faciles communes in medio
sitas esse dicunt easque si natura requirat non genere aut
loco aut ordine Sed forma etate figura metiendas
putant. Ab hisque abstinere minime esse difficile. Si
aut valitudo aut officium aut fama postulet o
mninoque genus hoc voluptatum optabile esse. Si non
obsit prodesse numquam. Totumque hoc de voluptate
sic ille precipit ut voluptatem ipsam per se quia volu
ptas sit semper optandam expetendamque putet ea
demque ratione dolorem ob id ipsum quia dolor sit semper
esse fugiendum. Itaque hac usurum compensatione
sapientem. et ut voluptatem fugiat si ea ma
iorem dolorem effectura sit et dolorem suscipi
at maiorem efficientem voluptatem. omniaque iu
cunda quamquam sensu corporis iudicentur ad animum referri
tamen quo circa corpus gaudere tam diu dum presentem
sentiret voluptatem animum et presentem percipere pariter
cum corpore et prospicere venientem nec preteritam
preterfluere sinere. Ita perpetuas et contextas voluptates

in sapiente foret sed cum exspectatio speratae voluptatis
perpetuata memoria ungitur atque hiis similia ad victum etiam
transferuntur extenuantur magnificencia et sumptus epu-
larum quo parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis
hoc non videt desideriis omnia ista condiri. Darius
in fuga cum aquam turbidam et cadaveribus inquina-
tam bibisset negavit umquam se bibisse mundius numquam
videlicet siciens biberat. Nec esuriens ptolomeus ederat
cui cum peragranti egyptum comitibus non consecutis ci-
barius in casa panis datus esset nichil visum pane
illo mundius. Socratem ferunt cum usque ad vesperam
contencius ambularet quesitumque esset ex eo quare hoc
faceret respondisse se quo melius cenaret obsonare
ambulando famem. Quid victum lacedemoniorum
in philiciis nonne videmus ubi cum tyrannus cenavisset
Dionisius negavit se iure illo nigro quod cene
caput erat delectatum. Tum is qui illa coxerat mi-
nime mirum condimenta defuerunt. Que tandem inquit
ille labor in venatu sudor cursus ab eurota fames sitis hiis enim
rebus lacedemoniorum epule condiuntur. Atque hoc non ex hominum more solum
sed etiam ex bestiis intelligi potest que ut quicquid obiectum est quod modo
a natura non sit alienum eo contente non querunt amplius. Civi-
tates quedam universe more docte parsimonia delectantur ut de
lacedemoniis paulo ante diximus persarum a xenophonte victus
exponitur quos negat ad panem adhibere quicquam preter nasturcium.
Quamquam si quedam etiam suaviora natura desiderat quam multa ex terra
et arboribus gignuntur cum copia facili tum suavitate prestanti.
Adde siccitatem que consequitur hanc continenciam in victu adde integri-
tatem valitudinis. Confer sudantes ructantes refertos epulis tam-
quam opimos boves. Tum intelliges qui voluptatem maxime sequuntur
eos minime consequi iucunditatemque victus esse in desiderio non in sa-
cietate. Thimotheum clarum hominem athenis et principem civita-
tis ferunt cum cenavisset apud platonem eoque convivio admodum
delectatum fuisse vidisse quod eum postridie dixisse vestre quidem cene
non solum in presencia sed etiam postero die iocunde sunt. Quid quod
ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi. Est
preclara epistola platonis ad dionis propinquos in qua scriptum est
hiis fere verbis quo cum venissem vita illa beata que ferebatur plena
italarum syracusiarum atque mensarum nullo modo michi placuit bis in die
saturum fieri nec umquam pernoctare solum ceteraque que comitantur huic
vite in qua sapiens nemo efficietur umquam moderatus vero multo minus

Que enim natura tam mirabilis tempora potest esse a qua absit prudentia
absit moderatio. Ex quo Sardanapalli opulentissimi Syrie
regis error agnoscitur qui incidi fecit in busto haec habeo que
edi quaeque exsaturata libido hausit at illa iacet multa et preclara
relicta. Quid aliud inquit Aristoteles in bovis non in regis sepulchro
inscriberes haec habere se mortuum dicit que ne vivus quidem diutius habebat
quam fruebatur. Cur igitur divitie desiderantur aut ubi paupertas beatos esse
non sinit. Signis credo tabulis ludis. Si quis est qui his delec-
tatur nonne melius tenues homines fruuntur quam illi qui hiis habundant.
Est enim omnium earum rerum in nostra urbe summa in publico copia que qui
privati habent nec tam multa et raro vident cum in sua rura venerunt
quos tamen pungit aliquid cum illa unde habeant recordantur. Dies
deficiat si velim paupertatis causam defendere aperta enim res est
et quotidie nos ipsa natura admonet quam paucis quam parvis rebus
egeat quam vilibus. Num igitur ignobilitas aut humilitas aut etiam popula-
ris offensio sapientem beatum esse prohibebit. Vide ne plus commen-
datio in vulgus. Num igitur ignobilitas aut haec que expetitur gloria
molestie habeant quam voluptatis. Leviculus sane noster Demosthenes.
Quid hoc levius aut quantus orator. Sed apud alios loqui valet di-
dicerat non multum ipse secum. Intelligendum est igitur nec gloriam popula-
rem ipsam per se esse expetendam nec ignobilitatem extimescendam. Veni
Athenas inquit Democritus neque me quisquam ibi agnovit. Con-
stantem hominem et gravem qui glorietur a gloria se abfuisse. An
tibicines isti qui fidibus utuntur suo non multitudinis arbitrio can-
tus numerosque moderantur. Vir sapiens multo arte maiore preditus non
quid verissimum sit sed quid velit vulgus exquiret. An quicquam stultius
quam quos singulos sicut operarios barbaros quam contempnas eos aliquid
putare esse universos. Ille vero nostras ambitiones levitatesque contempnet
honores quam populi etiam ultro delatos repudiabit. Nos autem eos
nescimus antequam penitere cepit contempnere. Est apud Heraclitum phi-
sicum de principe Ephesiorum Hermodoro universos ait Ephesios
esse morte multandos quod cum civitate expelleret Hermodorum
ita locuti sunt nemo de nobis unus excellat sin quis extite-
rit alio in loco et apud alios sit. An hoc non ita fit in omni populo
nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt. Quid Aristides malo enim
Grecorum quam nostra proferre nonne ob eam causam expulsus est patria
quod preter modum iustus esset. Quantis igitur molestiis vacant
qui nichil omnino cum populo contrahunt. Quid est enim dulcius otio
litterato. Hiis dico litteris quibus infinitatem rerum atque nature et in hoc ipso
mundo celum terras maria cognoscimus. Contempto igitur honore
contempta etiam pecunia quid relinquitur quod extimescendum sit.

Exilium vero quod in maximis malis ducitur. Id si propter
alienam et offensam voluntatem populi malum est quam
sit ea contempnenda paulo ante dictum est. Sin abesse a
patria miserum esse plene miserorum provincie sunt
ex quibus ad modum pauci in patriam revertuntur. At
multantur bonis exules. Quid tum parumne
multa de tollerandi paupertate dicuntur. Iam vero exi-
lium si rerum naturam non ignominiam nominis querimus quan-
tum a perpetua peregrinacione differt in qua etates su-
as philosophi nobilissimi consumpserunt Xenocrates Crantor
Archesilas Lacides Aristoteles Theofrastus Zeno Cleantes
Crisippus Antipater Carneades Panetius Anti-
ochus Possidonius innumerabiles alii qui semel egressi
numquam domum reverterunt. At enim si ignominia afficit
sapientem de sapiente. Hec enim omnis oracio est cui iu-
re id accidere non possit. Nam iure exulantem
consolari non oportet. Postremo ad casus omnes
facillima racio est eorum qui ad voluptatem ea refe-
runt que sequuntur in vita ut quocumque hec loco sup-
peditetur ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem
racionem Teucri vox accommodari potest Patria est ubi-
cumque est bene. Socrates quidem cum rogaretur cuia-
tem se esse diceret Mundanum inquit totius enim
mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid Titus
Albucius nonne animo equissimo Athenis exul phi-
lozofabatur cui tamen illud ipsum non accidisset si in re
publica quiescens Epicuri legibus paruisset. Qui enim
beatior Epicurus quod in patria vivebat quam quod Athenis
loquor enim de homine docto et erudito. Cuius
vivere est congruens sapientis aut cogitacio non ferme
ad investigandum adhibet sensus advocatos. Etenim si
vox non adiuvat ad vitam beatam ac dicens nostri plus
admittat. Nam ut Antipatrum Cirenaicum est quidem
paulo obscenius. Sed non absurde sentencia est cuius
cecitatem cum mulierculae lamentarentur quid agitis
an nobis nulla videtur esse voluptas nocturna. Appi-
um quidem veterem illum qui cecus annos multos fuit et ex ma-
gistratibus et ex rebus gestis intelligimus in illo
suo casu nec privato nec publico muneri defuisse.
Democritus luminibus amissis alba et atra discerne-
re non poterat. At vero bona mala equa iniqua honesta

turpia · inutilia · parva · magna poterat et sine varietate
colorum licebat vivere beate sine notione rerum non licebat
atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum
arbitrabatur et cum alii saepe quod ante pedes esset non viderent ille in
finitatem omnem peregrinabatur ut nulla in extremitate con-
sisteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse et eius
picturam non poesim videmus. Quae regio quae
ora, qui locus Graeciae, quae species formae quae pugna
quae acies quod remigium qui motus hominum
qui ferarum non ita expictus est ut quae non viderit
nos ut videremus effecerit. Quid ergo aut Ho-
mero delectationem animi aut voluptatem aut cuiquam
docto fuisse umquam arbitramur aut si ita res ha-
beret Anaxagoras aut hic Democritus agros et
patrimonia sua reliquissent et huic discendi que-
rendique delectationi toto se animo dedissent. Itaque au-
gurem Tiresiam quem sapientem fingunt poetae
numquam inducunt deplorantem caecitatem suam. At vero
Polyphemum Homerus cum immanem ferumque finxisset ferum
cum ariete etiam colloquentem facit eiusque lauda-
re fortunas quod qua vellet ingredi posset et quae
vellet attingere recte hic quidem nihil enim erat ipse Ciclops
quam aries ille prudentior. In surditateque vero quidnam
est mali. Erat surdaster Marcus Crassus sed aliud
molestius quod male audiebat etiam si ut mihi videbatur
iniuria. Epicurei nostri Graece fere nesciunt nec Grae-
ci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi pro-
fecto sumus. At vocem citharoedi non audiunt ne
stridorem quidem serrae tum cum acuitur aut grunditum
aut iugulatur suis nec cum quiescere volunt fremitum
murmurantis maris et si cantus eos forte delectet
primum cogitare debent antequam hi sint inventi multos beate
vixisse sapientes. Deinde multo maiorem percipi posse
legendis his quam audiendis voluptatem. Sic licet sur-
dos ad oculos. Etenim qui secum loqui poterit sermonem
alterius non requiret. Congerantur in unum omnia
ut idem oculis et auribus captus sit prematur etiam dolo-
ribus acerrimis corporis qui primum per se ipsi plerumque confi-
ciunt hominem sin forte longinquitate producti vehe-
mentius tamen torquent quam ut causa sit cur ferantur di
boni tandem quid est quod laboremus portus enim praesto est qui

mors ubidem est eternum uel sentiendi receptandum The
odorus lisimacho mortem minitanti Magnum uero inquit
effecisti si cantaridis uim consecutus es paulus persi de
precanti ne in triumphum duceretur in tua inquit id quidem
potestate est multa primo die de ipsa morte secundo
non pauca etiam postea de labore animi agerentur sunt
dicta De morte quod qui recordaretur quod sine piaculo
est ne non mortem aut optandam aut certe non timendam
putet Michi quidem putat michi quidem in vita
seruanda videtur illa lex que in grecorum conuiuiis
obtinetur aut bibat aut habeat et recte aut enim fru
atur aliis pariter cum aliis uoluptate potandi aut ne so
brius in uiolentiam uinolentorum incidat ante discedat
Sic iniurias fortune quas ferre nequeas defugiendo
relinquas Hec eadem que epicurus totidem verbis
dicit hieronimus quod si philosophorum quorum ea sua est ut v
tus per se ipsa nichil valeat omne quod honestum nos
et laudabile esse dicimus id illi cassum quoddam et inanis vo
cis sono decoratum esse dicant et tamen beatum censent es
se sapientem Quid tandem a socrate et platone profectis
philozophis faciendum putas quorum alii tantam praestantiam
in bonis animi esse dicunt ut ab his corporis et ex
terna obscurentur Alii autem nec bona quidem quorum hec dicunt
In acie reponunt omnia quorum controuersia solebat
tamen honorarius arbiter esse uideri carneades Nam cum
quecumque bona peripatetici eadem stoicis commoda
viderentur Neque tamen peripateticis eadem plus tribuerent di
uitiis bone valitudini ceterisque rebus generis eiusdem quam
stoici cum ea re non verbis ponderaretur causam esse de
scendendi negabat quare hunc locum ceterarum disciplina
rum philosophi quemadmodum obtinere possint ipsi viderint
Michi tamen gratum est quod de sapientium semper beata uita vacandi
facultate dignum quoddam philosophorum voce profiteri Sed
quoniam mane est eundum has quinque dierum disputationes me
moria comprehendamus et quidem me ad conscribendum ar
bitror nulla in melius uti possumus hoc autem otio est omni
ad brutum quoque nostrum hos libros alteros quinque mittemus
a quo non modo impulsi sumus ad philosophie scriptio
nem certe lacessiti in qua quantum ceteris profuturi simus
non facile dixerimus nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et
undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri leuatio etc.

et aplicam ben. Dilecti filii Nicolai Andree de Wyslicia pauperis
apostolica scripta mandamus quatinus de vita et conversacione ipsius
atores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari faciatis
inquirens si eum vite laudabilis et honeste conversacionis esse re
digno beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura consueto absolum clericis se
proventus si cum cura viginti si vero sine cura fuerit X marcarum
sit faciendum quod de ipso pro decima communiter persolui consueverunt
ecclesie Cracovien communiter pertinente siquod in Civitate vel dioc
pacium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit duxerit accep
ndem eciam in corporalem possessionem huiusmodi beneficii et defendens
dmitti sibique de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus
pellacione postposita compescendo Non obstantibus si aliqui super provisio
el generales dicte sedis ... seu quacumque verborum forma
as quomodolibet sit processum quibus omnibus preterquam auctoritate
ac anteferri sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem beneficiorum
iusmodi ab eadem sit sede indultum quod ad recepcionem vel provisionem
non possint quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem vel
ras aplicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum
speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expre
et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio spe
ilecti filii .. de Mogila et .. de Bresko dicte dioc monasteriorum
arum litterarum tenorem exequi possint et debeant super quo eis te
ntulo ne de huiusmodi beneficio interim eciam ante insinuacionem
dem clericus beneficium huiusmodi acceptare voluerit disponere
per premissis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter
May Pontificatus nostri Anno Primo

[illegible] felix est similis forme p. 26

[illegible]	1	2		3.		
Opponitur	1	2			e.	
Collatio			Collat.			

qui solus nouerit quid modo perfectum sit
ingentia edificia collapsa sunt
Iam in mundo nec nostrum vel equum vel sanctum nec fedum vel tutum est
[illegible] iusticia [illegible] descendit [illegible] et si ascendit [illegible]
[illegible] Michael [illegible] nulla [illegible] iusticia et [illegible]

quid [illegible] sit [illegible]

Schola [illegible]

ita labefactata et rescripta destructa

propterea potius est victoria [illegible]

prosequatur [illegible]

[illegible] adducit aliquorum [illegible] Iohannes

[illegible] adducit

magnam partem suam [illegible] solum

[illegible] a Scipione

[illegible] facile habeo in mente [illegible]

~~[illegible]~~

Et magnam cladem intulerunt

[illegible] labefactae et euerte
[illegible] campaniam [illegible]
labefactant et euertunt
labefactabant et euertebant vel destruebant

